


JOHANNIS SOPHRONII KOZAK, à Prachien Med. Doct.

TRACTATUS MEDICUS de SALE,

Ejusdemque in Corpore humano resolutionibus salutaribus et noxiis Omnibus Medicinæ Practicis valdè utilis et Ægrotis necessarius.

FRANCOFURTI, Prostat apud Balthasar Kühnen. 1663.















VIRIS

Nobilibus, Magnificis, Amplissimis, Clarissimis, Consultissimis & Prudentissimis

Dnn. CONSULIBUS. SYNDICIS ET SENATORIBUS inclytæ Reipub. BREMENSIS.

Dominis Fautoribus, & Patronis æternum honorandis,

S. P. D.



Onsideranti mihi, Nobiles, Magnifici & Amplissimi Domini, tumultuarios humanarum rerum casus, & eam quæ est in mortalium omnium & singulorum opinionibus, desideriis, affectibus, vultibus, gestibus varietatem, illiusque varietatis principium, an nempe id unum sit, an pro varietate hominum variet? An in nostrum singulis hæreat, vel extrinsecus in nos derivetur, & unde? In mentem quoque venit, de morborum & voluptatum, vitæ, dolorum, mortisque authore vel satore cogitare; Hæ enim, nempe voluptates & morbi, videntur fatales esse vitæ

præſentis in corpore animali leges, alternatim ſe reciprocantes, ſuisque ſtimulis nos omnes & ſingulos ad ſua vel blandè invitantes, vel ſuaviter ducentes, aut per vim cogentes obſequia. Infernè quidem in nos derivari omnia nos libertate noſtrâ deprædantia, ſive de terra non autem de cœlo; id eſt extra controverſiam. Attamen non omnes inferi ex æquo nobis ſunt vel eſſe poſſunt infeſti & exitiales; non omnes vel ſinguli ſunt æquè violenti, ſed alii aliis nos & frequentius & durius moleſtant, aſtutius vel doctius fallunt, mitius vel tetrius terrent, occultius nobis inſidiantur, vel manifeſtius nos affligunt: Quis eſt qui doleat ob exceſſum hilaritatis, valetudinis, vel voluptatis carnalis? Quis eſt qui triſtatur laſciviente in eo Venerea voluptate; ubi carnis in nobis torpent vel languent concupiſcentiæ, de morbo quærimur, non gaudemus de valetudine. Vividus nō morbidus dicitur fœcundus luxuriantium carnalium, vel animalium concupiſcentiarum bajulus & alumnus. Ideò non ex familiis animalibus in nos dolorificæ derivantur paſſiones; Voluptates ſunt quas in nobis efficiunt leges animales nobis imperantes; morborum ſaltem prodromi, affectuum talium authores qui pro diverſitate temporum & locorum, vitiorum vel virtutum nomina gerunt. Profundius eſt id principium quod voluptates animales remoratur, vel in triſtitias mutat, mox in membra ſævit etiam animalium, exulcerando, urendo, depaſcendo carnes, oſſa, medullas. Hujus Principii ignoratio in varias ſectas diſtraxit Medicos, de morborum origine inveniendа ſollicitos; ita ut alii ex tribus, alii ex quatuor primis morbos ſurgere pronuntiarint; alii ex aſtris, vel eorum tacita influentia eos derivari; alii Divinitus nobis infligi docuerint; Ecce quàm utilis, imò quàm neceſſaria eſt nobis Medicis Principii morbifici cognitio, ſi quid titulo, ſi quid officio Medico dignum ſcire, vel agere poſſe affectamus: Prævidere nempe unde in nos irruant dolorificæ paſſiones? An in nobis aliquandiu latuerint, tanquam ex inſidiis nos oppreſſuræ? An extrinſecus nobis communi-

municatæ fuerint? Quare non semper tales sint, quales se esse demonstrant per intervalla; vel ubi lateant in nobis hærentes, ut eas adesse nesciamus, vel non sentiamus? Sensibilia tantum sensibilibus opponere; est sensum ducem sequi non rationem; vel cum vulgo delirare, imprudenter & præpostere mederi: inter ægros & morbos cæco impetu, vel dubio eventu tumultuari, quàm Medicum rationalem imitari. Nisi casus fortuitos, artificialibus operibus exæquare velimus, vel æquipendere judicemus. Et quamvis necessitas, sive doloris sævitia, nos ad sensibilium abolitionem & dolorum mitigationem cogat; tamen non semper; nec nos absolvit ab officio, nec ægros ab omni periculo recidivæ liberat, sensibilis doloris cessatio aut mitigatio; vulgare id proverbium; Nihil dici posse à nobis quod non dictum sit antea, nostræ desidiæ patrocinatur quidem, & à scrutinio mysteriorum naturalium absolvit in quantum; nequaquam tamen in totum; Nam nisi judicio proprio sicuti uti ita & niti queamus, tum semper servi sumus litteræ, semper infantes, semper hallucinamur, nunquam aliquam certam morborum cognitionem habemus. Quot quæso myridiadibus curarũ, anxietatum, terrorum, morborum, dolorũ, intus & extra affligimur, vel circumcirca obsepti sumus, aliqualem saltem Sapientiæ nacti cognitionis portionem, quantò pluribus & pejoribus obnoxii sumus, à peregrinis tantum pendentes opinionibus, judicio omni destituti, aut uti nescii. Turpitudo illa ignorantiæ nos ad profundiora & certiora affectanda propellere debet quàm ea sunt quæ in scholis juventutis nostræ judicio omni, vel maturo destituti didicimus, audivimus, legimus, vidimus, vel sensibus externis assequi unquam possumus. Hi fuerunt stimuli & sunt quotidiani mearum meditationum, qui me communibus vel vulgaribus majora audere compellunt, tum ob meæ ipsius valetudinis curam, tum ob amorem aliorum. Nec metuo pati eadem quæ unquam industrii mysteriorum indagatores perpessi sunt, nempe æquam & iniquam Lectorum

censuram. Nihil enim gravioris imminet ardua ausuris, quàm exempla antiquorum docent Philosophorum, Sapientiam & Veritatem nō mundanos honores, opes, aut voluptates affectantium. Nempe invidia & calumnia vulgi, à littera & sensu penduli, sed spiritu & judicio destituti. Decreta Medicorum Scholasticorum, de ortu & causis, signis & indiciis, morborum locorumq; affectorum heterogeneitate, numero, situ, figura dogmatizantium, multa sunt, pulcra sunt, utilia & necessaria sunt sapientiam affectantibus; Nam sine his nec ipsi discere, nec alios docere possumus quæ humanitus discenda vel docenda sunt; Sed ad acquirendam certiorationem scientiæ nō sufficiunt; nisi judicium proprium accedat, & ab omni præconceptâ opinione liberum. Doctores inter se non saltem variant opinionibus, sententiis, & cuique appensis rationibus; sed sæpè affectibus plus obtemperant quàm veritati, non tam hujus quam honorum, quam opum avidiores. A discipulo veritas exigit judicium liberum, citius quàm assensum. Quod si vero in quibusdam anticiparit assensus, judicii maturi examen; nō pro judicato sed saltem pro audito est habendum, id quod se scire arbitratur peregrinæ opinionis confessor aut professor. Ideò ego à nullo lectorum Scriptorum meorum exigo assensum quam quisque judicio maturo, syncero, serio, ab omni peregrinæ opinionis nubecula libero, examinaverit rationes, quibus nititur animus meus; Quæ secus mihi obvenient lectorum censuræ, eas non metuo; sine contumelia aliorum, aliter quàm ego de morborum seminariis sentientium & docentium, scrupulos illos, qui animum meum occultarum qualitatum & peregrinarum opinionum jugi pertæsum, torserunt hucusque torquent sine dubio & aliorum, pro viribus meis expolire saltem studeo, & meo exemplo ad idem agendum invitare & irritare: quo Medicina, Ars Divina, Sancta, & Nobilissima, à prophanatione vindicari, suoque pristino nitori restitui possit, ex manibus circumforaneorum, barbitonsorum, aliarumque vilium personarum abusu liberata. Non satis, imo

ne

he verum quidem est, dicere, intemperiem solam, sive alicujus, qualitatis elementalis dictæ excessum, morborum vel passionum dolorificarum esse seminarium; aliud enim est doloris caussa, aliud seminarium insensibile. Nam multa nobis actu inhærent, pro tempore tamen innoxia, sed ocyus vel serius noxia futura; uti sunt febrium, epilepsiarum, aliorumque chronicorum morborum seminaria. Intemperies aliqua vel excessus caloris, frigoris, humiditatis siccitatis, dolorem in sensu excitans, morbus quidem est, non autem morbi principium; Quod vero in composito sit ens id cui proprie nomen principii morbifici competit, etiam absente omni doloris sensu: Id nobis Medicis serio indagandum esset, & demonstrandum discipulis; non authoritate scholasticâ sed rationibus firmis & irrefutabilibus; etiamsi nihil adeo certi sit quod non impugnare ausit superbia, livor & invidia. Temerarii sunt Empyrici qui non aliis nituntur in arte & methodo medendi fundamentis vel rationibus, quam scholasticis regulis, vel experimentis vulgaribus. Ratione & Prudentiâ probantur Medici, non ut vulgo fit multitudine receptarum, vel medicamentorum præparatione. Non omnes pisces hamo capiuntur; nec illi qui hamo eâdem escâ; experimentorum quoque singularium nulla est in opere medendi certitudo, vel fallax eventus: Nam singuli homines ab invicem dissentiunt uti opinibus, ita & virtutibus materialibus. Plurimi sunt morbi, iique gravissimi & periculosissimi, in quibus nulla humorum, nulla qualitatum adest sensibilis pugna, vel nulla alicujus sensibilis intemperiei indicia. Aliqui ægrorum nullos sentiunt dolores, sed in ipso morbi vigore fortiores sunt quàm extra, attamen de vita periclitantur. Multi repente vel subitò exanimantur, ita ut vita, morbus & mors in eis uno momento terminantur. Aliqui non nisi brevem vertiginem præsentiunt citius quàm moriantur, sine omnis caloris, frigoris & doloris sensu. Ejusmodi naturæ sunt

morbi

morbi illi quos Medicorum dogmaticorum Principes Galenus & Hippocrates, Totius Substantiæ morbos nominant; & à quibus nec actiones lædi docent, nec membra pati; atque ideò eos non à primis quatuor, sed ab occultis & innominatis qualitatibus oriri sentiunt. Illas autem occultas qualitates appellant morbosas excretiones, & Entia Divina, nominibus valde obscuris & ambiguis, quorum ne ipsi quidem docuerunt definitionem, nec explicarunt virtutes; sed res per se obscuras, obscurioribus involverunt tegumentis. Nam si datur in composito quinta quædam essentia, vel occulta qualitas, intemperiei materia & forma, diversa à substantiali forma compositi quæ est, secundum communem opinionem, calor quidam cœlestis ab elementali calore diversus, vel humidum primogeneum, & vitale principium, cujusque individui temperamenti ipsissimus author! tum illa essentia inter primas recenseri nequit, sed aliud quoddam demonstrari debebit morborum principium quàm intemperies. Qualitates enim elementales compositionem cujusque generati Entis ingredientes, semel à forma substantiali invicem reconciliatæ, & ad vitales functiones individui obeundas idoneæ redditæ, à se ipsis divelli nequeunt, multò minus ab eo quod eas reconciliavit; nisi hoc à se ipso interdum diffideat. Qui id principium, occultam qualitatem appellarunt, satius fuisset, ut ignorantiam suam confessi fuissent, quàm ficto nomine animos lectorum suspensos tenere cogitassent. In obstructionem simplicem id malum ut in causam succedentium dolorum, detorqueri nequit. Nam in multis morbis nulla adest constipatio vel obstructio, sed omnia emunctoria intrinseca & extrinseca patula; vel si interdum aliqua adest? ea sæpius in comitem morbi, non autem in causam est recensenda; Igitur necesse est ut de alio aliquo principio investigando solliciti simus, cui non saltem intemperiei, sed cujusque dolorificæ passionis origo in veritate imputari possit;

poſſit; ſive ſexta quædam Eſſentia diſcreta à primis quatuor, ſic excellens virtutes Animæ miſti, ſicuti hæ excelluerunt vel excellunt tempore valetudinis bonæ, virtutes primarum qualitatum, ita ut nulla earum alteram excellere poſſit in miſtione, ſed omnes temperiem ſervare, animâ præſente. Agnoverunt quidem & Gentiles Philoſophi tale quoque principium morbificum, nempe Spirituale & inſenſibile in nobis, idque appellarunt alii divinum, alii dæmoniacum, alii auſtrale, alii imaginationis. Sed quia id illi aliter quàm ſolis nominibus definire vel neſciverunt, vel nos non docuerunt; Ideò nos Chriſtiani Philoſophi, Phyſici & Medici nequaquam pati debemus, ut Antiquorum ignorantia vel invidia obex ſit noſtræ induſtriæ, & numellamentis. Excutiamus igitur audacter omne jugum peregrinarum opinionum exuamus cum juventute juvenilem crudelitatem, virilemque induamus animum cum virilitate, ut non ſaltem vocemur ſed & ſimus revera Doctores, in exemplum ſubſequuturæ ætati; Nec mediâ hic tantum, erit nobis eundum viâ, nec pendendum ſolum à littera, aut ſubſiſtendum in ſcholaſticorum Medicorum quamvis antiquiſſimorum authoritate. Sed ad exactam & exquiſitam entis illius nobis adhuc ignoti, ſed valde periculoſi & inimici cognitionem enitendum; Præſertim nobis Medicis, quorum ars & opera utilis eſſe debeat vel poſſit ægris, conſilium & auxilium contra hoſtes valde occultos, valde violentos, valde corporis hujus ſtructuræ pernitioſos petentibus; quales ſunt inferi; qui non animo parcunt nec corpori; vel nos citius moleſtare, tentare, affligere non ceſſant, quàm id quod in nobis carnis & ſanguinis nomen habet, totum deprædati fuerint, vel inter nos & Deum, inter commercium cœli & terræ, æternum fecerint divertium vel conſtituerint hiatum. Nam ſicuti ignis non ceſſat agere in rem ſibi ſubordinatam, donec eam in ignem, ſal donec in ſalem, terra donec in terram converterit omnia; ita nec

b Spiri-

Spirius tenebrarum, virtutes terrestres, vel dæmonia desinunt à nobis, donec obtenebrarint in nobis omne id quod aliquam notam lucis habet. Dæmonia morbifica, Potestates Satanæ in Scriptura nominata, Majores sunt nostri, qui fuerunt in mundo hoc antequam exstitissemus nos; sunt Inferi illi de quibus docet scriptura, quod ad serviendum nobis sit destinata à Creatore, non autem ad imperandum, multò minus ad dominandum super nos. Ideò Lex Vitæ Protoplastis à Creatore data, sonuit de Dominio eorum super terram; dehortabaturque eos ab omni Inferorum familiaritate, maxime autem ab obsequio eorum, nisi illis subjici vellent, penes quos non nisi mortificandi robur fuit, conatus & concupiscentia. Eadem quoque in eodem sensu inculcat nobis hodie Dominus, minaturque mala, nisi ejus obsequi velimus monitis, sive affectaverimus quod nobis apparet amicum, cum tamen sit maximè fugiendum. Ideò Scriptura sacra non ob alias conditiones vel externa officia, dignitates, honores, sed ob solam carnalia affectandi aut declinandi promptitudinem, nos dividit in Spirituales vel Divinæ Naturæ consortes; Et Animales; sive filios tenebrarum, unius cum Satana principe mundi hujus criminis reos, & condemnationis participes. De horum mutua affinitate & inimicitia, amore & odio, gloria & infamia tractant vel tractare debent Theologi. Nos autem Medici nostris ratiocinationibus investigamus & inventas debellamus Inferorum virtutes; dæmonia ligantes, vel ex contubernio humano propulsantes, vel eorum insidias fugientes & fugere docentes. A Spiritibus excelsis & cœlestibus, non opus est ut metuamus, horum enim affinitatem affectare, & officium, & debitum, & beatitudo est nostra: Sed hanc ne sperare quidam ab hinc possumus, multo minus vel hic vel illic consequi, nisi dæmoniorum aliquandiu simus vel fiamus antagonistæ; sine inferis hic agere omninò nequimus, sed quamdiu corpus hoc animale circumferimus,

rimus, tamdiu cum ipsis habitamus, imò illorum præceptis paremus, etiam ignari eorum quæ facimus, & eorum qui dominantur vel imperant nobis, vel dolo vel vi; eorum violentiam citius effugere nequientes quàm corpus hoc animale, peccati & mortis dictum, exuerimus. Nomen Naturæ, vel voluptatum, concupiscentiarum, cognitionum, virtutum seminalium hujus nostræ carnalitatis, apud nos odiosum non est; nec nos periclitari videmur, dum paremus legibus naturalibus; Sed aliter nos contra naturales impetus affectos esse docet & jubet Spiritus antiquorum Prophetarum Doctor, & Inferorum hostis, victor, judex; Si enim naturalia amare perrexerimus ad finem usque, sicuti amavimus ab ipso vitæ hujus nostræ præsentis exordio, tum eandem conditionem nobis minatur ab hinc & in æternum qualis est naturæ & naturalium futura in Abysso. Alio nomine nobis recommendarunt naturam & naturalia, Gentiles Philosophi præceptores juventutis nostræ, & pædagogi carnales, quàm Prophetæ, vel quàm ille qui nos ad affinitatem suam affectandam invitat Spiritus, nobis ob naturales virtutes infensus; Nihil enim est quod inter Deum & nos hiatum cõstituat irreconciliabilis inimicitiæ, quàm naturalium legum obsequia; Nos enim constituit Deus in Imperatores & Dominos Naturæ; nos verò invertimus vel pervertimus ordinem Divinum, serviendo illis quorũ Domini esse deberemus; vel rebellando Creatori nostro, cui soli & semper servire obligati sumus. Nos homines inter duo Numina constituti sumus, nos ad obsequia sollicitantia; cui nam potius servire amemus; Nullum est tertium quod sit adiaphoron, prædictis duobus nec amicum omnino, nec inimicum. Nisi sciamus, possimus vel velimus imperare & dominari affectibus carnis hujus nostræ præsentis, quæ uti terra, ita & terrestris est conditionis; nec est possibile ut mundi hujus & Angelorum judices esse, aut nos aliquando futuros, sperare possimus. Nam qui nescit imperare

uni, impossibile est ut possit dominari millenario: Uti in opere Philosophiæ sacræ, & Mysterio Septenarii id manifestis argumentis demonstrabimus. Essentiam itaque eam terrestrem, omnia in nobis & extra nos terrificantem, nos homines à Deo divellentem, sive animalizantem; Animalia mineralizantem; Mineralia meteorizantem, atque omnes lucis species obumbrantem & obtenebrantem, indefesso motu ex tenebris in lucem & ex luce in tenebras peregrinantem, corpus hoc nostrum vivificantem & mortificantem, nutrientem & destruentem, hic apello Salem, nomine omnibus familiarissimo, & illis cognito, quibus Naturæ vel nomen vel definitio, incognita est; Sal omnium saporum, odorum, colorum, ponderum, calorum, frigorum, humiditatum, siccitatum, motuum, quietum, signaturarumque sensibilium specie, numero, gradibus dissidentium basis est & centrum; à Sale incipiunt, & in Salem desinunt omnia, quæcunque aliquomodo faciem sensibilem mutant; per Salium varias metamorphoses peregrinantur omnia terrestria semina; omnes terrestres affectus, ratiocinationes, sensationes, concupiscentias, artes, virtutes, voluptates, vitas, valetudines, morbos, dolores, mortes, generationes, corruptiones, augmenta, decrementa moderatur sal materialiter: Metalla, mineralia, meteora, astra, maria fontes, animalia, vegetabilia, nullâ exceptâ Mundi hujus corporeitate quocunque modo mobili, nihil aliud sunt quam variæ salis officinæ; quam diversâ ejus comœdicorum & tragicorum actuum Theatra. Qui Philosophorum mysteria Salis novit, novit omnia quæ noverat Salomon; Ille cognoscet quomodo Mundus hic factus sit, quomodo antiquetur, renovetur, conservetur, propagetur & mutetur indesinenter. Ille cognoscit quomodo dissideat aurum à nitro; fulmen à gelu; Sapientia ab astutia; Veritas à fuco; Vita animalis à spirituali; Cœlum à terra. Spiritus à sensibilitate; sive ut inquit Sapiens, omnia & occulta & manifesta.

nifesta novit. Nam Spiritus Sapientiæ Sal est, ignis est penetrans omnia; uti in Mysterio Sabbatismi vel Septenarii nostri lectoribus judicio proprio uti & niti potentibus ad oculum hæc depingemus.

Vobis autem Nobiles, Clarissimi, & Amplissimi Domini Tractatum hunc meum Medicum & Philosophicum de Sale submisse offerendum judicavi, quia decimus est Scriptorum meorum commorationis meæ in Republica hac tempore publicatorum; Primum, nempe Anatomiam vitalem Microcosmi Ingenii mei maturescentis fructum Amplitudinibus vestris dedicavi, inter Arma meditatum. Decimus itaque vobis quoque debetur, nam & Primitiæ & Decimæ Diis sunt consecrandæ, secundum tenorem legis antiquissimæ. Primitias non sprevistis, sed ex manibus peregrini gratiose excepistis; Eandem gratiam ab A. Vestris spero jam Civis vester per annos viginti sex; Non tamen de me adeò sum sollicitus quâm de liberis meis, quos post me orphanos relinquam mundo huic valedicturus, & ex hoc meo inquilinatu migraturus; Scio enim quod illi qui in me fuerunt crudeliores, quàm id ego meruerim, vel Christiana permittat Religio, eos me absente hinc, non mitiores futuros contra liberos meos, nisi Deus eorum nisus compresserit intus, extrà vero Vestræ Amplitudinis coercuerit terror. Sub Clypeo Divinæ Providentiæ, & Amplitudinis vestræ Umbra,

 adver-


adversum invidiam & calumniam vixi tutus hucusque, nam præter rinctum & latratum earum nihil sensi ab eis periculi; Deo itaque & vobis recommendo reliquias vitæ meæ, liberosque meos postquam eis valedixero. Valete & vivete felices Domini M. & A. Deus opt. max. consilia vestra dirigat ad Salutem & Pacem Reipublicæ, ut RP. vestra, sicuti longo tempore fuit Christi Ecclesiæ hospitium, Doctissimorumque Virorum seminarium, sub eo titulo floreat & fructificet ad finem usque temporum, Bremæ. Dabam 12. Maji Anno 1662.

N. A. M.
Vestræ

Cliens

JOHANNES SOPHRONIUS KOZAK,
Med. D. Author.

AD



AD
CHRISTIANUM LECTOREM
PRÆFATIO.

DE Sale, ejusque variis in Corpore humano resolutionibus, me in hoc opusculo Philosophaturum promisi, Christiane Lector. Non de Sale autem vulgari; & ejus artificiosa præparatione; nec de Sale tantum minerali, vel ad certa alicujus Speciei aut Individui seminalem legem restricto. Sed de Sale terrestris quidem conditionis, sed per Species animales omnes, & radicis humanæ individua disperso, quod in singulis non sensus saltem, sed & membra corporis moderatur, sapores, odores, colores, pondera, calores, frigora, nobis vel amica vel inimica, alternatim in nobis excitat, vel patitur; atque sic omnium mutationum & author est & basis. Et quamvis valde arduum, grave, imò impossibile & viribus ingenioli mei majus sit, illi promisso, ex requisito rei satisfacere; ideò & reprehensionem eruditorum, meque Ingenii abundantiâ excellentium, reverear; & momorum, obtrectatorumq; calumnia me in ipso limine terreant, & quasi retrospicere cogant; attamen jam teneor promissi; serò enim, ut est in proverbio, Galeatum pœnitet duelli; ideò nec mihi jam retro pedem referre licet; sed in publicum prodire necesse est; atque si non eo quo vellem vel animo, vel progressu, attamen quo potero, ferenda erit sors utraque, quæ me in theatrum publicum Lectorum censura progressum exceperit, sive illa fuerit

amica vel inimica; saltem sit proficua illis, qui mea syncero sint excepturi animo. De Sale hic philosophaturus, vitæ, morborum mortisque authores præmittere debuissem prolixius aliquod proœmium; quid Vita sit & Mors, quid morbi, voluptates, remedia, demonstraturus; vel quomodo ab invicē differant, aut unde & vitales & morbificæ virtutes in nos deriventur; multaque alia, ad commodiorem & clariorem salinarum virtutum earumque mutationum anatomen facientia; Sed adeò prolixe nō expandam flamen meum; ne & mihi ipsi, & lectoribus tædiosus fiam prolixitate. Revertar sine dubio in publicum, si non sponte, vel ab amicis provocatus; attamen obtrectatorum stimulis protractus; atque tunc quæcunque in præsenti scripto desiderantur, recompensabo; utrisque, & amicorum videlicet petitis, & mœrorum ægritudini, pro posse meo satisfacturus. Duo sunt Numina mundum hunc sensibilem gubernantia, & propagantia; Utrumque Spiritus; Sed alter Vivificans tantum, alter Mortificans, alter & Dominus & Iudex, Cœli & Terræ; alter non nisi terrestris Lucifer; Servilis omnino conditionis, affectans tamen & arrogans sibi absolutum Dominium; non saltem in ea quæ ex tenebricoso ejus sinu processerunt vel procedunt; sed & super Spiritus humanos, origine cœlestes; Per hunc quidem Spiritum, qui communiter Natura dicitur, Summus ille & solus omnium & sensibilium & insensibilium Creator, judexque Deus, manifestavit & manifestat immensos thesauros Sapientiæ, Politiæ, & Iustitiæ suæ, mundi hujus incolis, & eorum sensui, & rationi; ut sint inexcusabiles in judicio, in quo de rebus & occultis & manifestis judicaturus est Dominus. Spiritus hujus mundi Lucifer, omnesque ordines Spirituum terrestrium, pleni sunt invidiâ, irâ, superbiâ, potentiâ, fraudibus, dolis, mendaciis, & sceleribus; nobisq; omnibus & singulis ubique & semper insidiantur, ut nos in suam pertrahant vel dolo vel vi, vel amore vel metu sententiam; aut ipsis semel subjectos, captivos in æternum custodiant; sed tamen nec sunt reverendi nobis, nec metuendi; quamvis nos vel suaviter decipiant,

cipiant,

cipant, vel hostiliter infestent. Nobis Creator & Iudex Universi tradidit & Dominium & Imperium super Terram, super Naturam, super Principem mundi hujus Satanam; Non alicui mundano Spiritui vel Magistratui super nos. Salutares fuerunt ortus mundi hujus, nullum exstitit pharmacum exitiale nobis, neque inferorum regnum fuit super terram à Principio. Sap. 1. Nobis dictum est, Dominamini; Gen. 1. Nobis præsertim Christianis, & Deo per Christum reconciliatis, dictum est, vos estis Sal terræ & Lux mundi; vobis data est potestas calcandi serpentes & scorpiones, & dominandi supra omnem vim Inimici, nihilque vos lædet. Matth. 5. 13. Luc. 10. 19. 20. Per nomen meum dæmonia ejicietis, linguis loquemini novis, serpentes tolletis, & si quid lethale biberitis, nequaquam nocebit vobis; ægrotis manus imponetis & bene habebunt. Marc. 16. 17. 18. Si saltem credideritis, vel fidem habueritis quantulum est granum synapis, nihil impossibile vobis erit. Matth. 17. Igne baptizabimini, & saliemini; & tamen non lædemini; sed in ipsis ignibus glorificabitis Iehovam, Esa. 24. 15. & 33. 14. 21. 22. 24. Matth. 3. 11. Marc. 9. 49. Quamvis autem excandescentia plenus sit Spiritus mundi hujus, Apoc. 12. 9. & 13. 2. Et nos ex nobis ipsis destituti viribus, nos ei opponere; Promisit tamen Dominus quod ille ipse sit author futurus inimicitiæ inter nos & illum, Gen. 3. 15. & quod nostro subjici debeat dominio princeps mundi hujus, cum integro suo sodalitio. Rom. 16. 20. 1. Cor. 6. 2. 3. Hebr. 2. 5. 6. 7. 11. Minores quidem ipso sumus, & valde periclitamur, cum ipso in uno domicilio commorantes; sed Deificamur, & terrificam naturam vel legem mortificamus, nos opponentes carnalibus desideriis; hæc enim sunt unius sententiæ cum Satana; & qui his se opponit, non his proprie, sed ipsi peccati legislatori bellum indicit Diabolo. Eph. 6. 11. 12. 2. Pet. 1. 4. Non itaque homines sumus, multò minus Christiani, amici vel filii Dei; nisi hostiliter adversum mundi artes, virtutes, & concupiscentias egerimus; sed hominum larva mortua; vel umbra evanescentes, & mancipia Diaboli; nec vita nostra præsens vita est, sed mors; Nec mors cor-

poris hujus finis malorum, uti credimus; nisi temporalium, sed exordium æternorum. Idem est character unitatis quoad externam figuram, in hoc ordine 1.2.3.4.5.6.7.8.9. ac in hoc; 9.8.7.6.5.4.3.2.1. attamen differt majestas prioris à posteriori. Nam in priori ordine major est unitas & singulis & omnibus aliis; sed in posteriori minima, sive nullitati proxima. Ita quoque se habet conditio status nostri liberi & servilis, tàm in hoc quàm in futuro sæculo; Nam à Spiritibus terrestribus & nobis inferioribus animalizamur, terrificamur & naturalizamur; inter nos & Deum aliquo intercedente hiatu; sed rebellantes hujus mundi legibus & virtutibus; Spiritualizamur, Cælificamur & Deificamur de die in diem magis. Hanc excellentiam superioritatis, & efficaciam ordinis tanquam per umbram agnoverunt Gentiles Philosophi, juventutis nostræ præceptores, & in naturalibus scenis; dum nos entia mundana ab invicem per discrimina activitatum & passionum, formarum & materiarum discernere docuerunt. Non enim sola sensibilia sic dissident sed & insensibilia; & elementa & elementata; principia & principiata; effectus, causa denique ipsa. Sunt Spiritus mundani alii Principes, alii Serviles; alii activi, alii passivi; alii formales, alii materiales; alii divisores, alii divisibiles; sicuti sensibilia sic discrepant. Attamen omnes inferi vel terrestres; cœlestibus & Divinis comparati, ita viles sunt in scena futuri seculi, uti viles sunt umbra nobis in hac. Summa libertas & majestas horum vilior est extremâ servitute illorum. Lux mundi hujus mutabilis ad lucem æternam collata, tenebricosa est caligo; uti alibi demonstrabimus de prærogativa mundi futuri & hujus, atque privilegiis cœlicolarum Philosophaturi. Hic saltem loquemur de Sale; de violento quidem & valde activo principio, attamen valde fragili, mutabili & periculoso vinculo vel nexu; quo mediante huic mundo ejusque legibus, mundusque vice versâ nobis adhæret. Sal quidem quoad nomen, vitale est principium & perpetuitatis custos; Sed non omne Sal mundi hujus est Natura naturalizans omnia quæ in ejus sunt

commu-

communione; vel naturalizare aut terrificare proclive omnia quæ contingit. Sal, est lux mundi hujus, illuminans & condiens omnia ex tenebris in lucem peregrinantia; sed suis virtutibus, suæ naturæ concupiscentiis & artibus congruis. Sal autem cœleste, & spirituale, cælificat & ex corruptibilibus incorruptibilia efficit omnia quæ ex eo procedunt. Sine sale nec hic vivimus, nec vivemus ab hinc; Nemo est qui vel unico momento sale carere possit; attamen paucissimi sunt nostrum quibus salis leges, & conditiones, virtutes & privilegia, cognita sint. Salis nomen & cælestibus & terrestribus, & æternis & corruptibilibus essentiis commune est; Et spiritus est & caro, & brutum & lapis, & homo & ignis. Sal arcet putrefactionem & corruptionem; attamen sine sale nulla est putrefactio vel corruptio, ideo Sal clavis & putrefactionis & generationis dicitur. Ignis ignificat, Sal salsificat omnia; Sale ignietur, & igne salietur, terra & cælum; Sal æternæ beatitudinis, & miseriæ fons est, scaturigoque perennis. Sal igni, ignis sali est parallelus; quod heri fuit sal saporis suavitate gustui abblandiens; hodie est, vel cras fiet, ignis depascens ossa & carnes, & sensus virtutibus spolians. Sal nisi esset, nec morbi essent; nam morbi, dolores, cruciatus, plagæ, tristitia, ex salino surgunt centro; ex eodem quoque principio procedunt voluptates. Matrices Elementorum, salis sunt penuaria; omnia autem elementata, metalla, mineralia, meteora, astra, chasmata; arbores, herbæ, gramina, eorumque folia, fructus, flores, radices, semina, cortices, involucra; Animalia denique, volucres, pisces, pecudes, bestiæ, quadrupeda, reptilia, conchilia, eorumque pinnæ, squammæ, pennæ, rostra, dentes, ungues, pili, cornua, ungulæ, vellera, setæ, aculei; nil sunt nisi salia alibi saporibus & coloribus, alibi consistentiis, ponderibus, virtutibus, & virtutum gradibus dissentientia. Ne existima Christiane Lector, quod saltem id sal sit, quod sal in communi dicitur; Sed & carnes & ossa, & cartilagines & humores, & omnia corporis animalis membra, eorumque contenta, sales sunt; & in salem convertentur, sicuti uxor Lothi in salem

 conver-

conversa est; si non æquè manifestè & subitò, uti hæc; attamen justis locis & temporibus, æquè certò; Ex terra enim sumus; terra fuimus antequam fuissemus, & in terram revertemur postquam desierimus esse quod sumus. Esurimus & sitimus; sed nec nos id agimus, verùm Sal, idque terrestre, nos terrificans; & animalizans ea quæ terra nobis suppeditat, sitis & famis remedia. Quoniamque autem cum terra communicamus, nec sitire nec esurire cessabimus; nisi à terra communione divulsi; sed si & tunc sitiverimus vel esuriverimus, sal talia in nobis excitãs desideria erit ignis inextinguibilis ab hinc; terra enim mater ejus & patria, nihil amplius ei suppeditare poterit, quia abolebitur, vel in abyssum profundissimaru m tenebrarũ sepelietur, ita ut nunquam reperiri possit amplius. Nõ subito caro & sanguis fimus de terra; Ita nec subitò terra fit, vel in terram transmutatur caro & sanguis noster; sed successivis temporibus, & per gradus nos ad se trahit sal; nã per vices & intervalla, jam interiora nostra jam exteriora, à sale terrestri salsificantur, & terrificantur; & nostra contenta primùm, deinde & membra depascuntur, donec reducti fuerimus ad locos ortus nostri carnalis; & ab hinc non carnis mensuris amplius, sed spiritualibus mensurabilem victuri vitam. Quid aliud sunt humores nutritivi, ex quibus corpus hoc formari assentiris; vel excrementitii, membra depascentes; quàm salinæ virtutes & corpora, jam nos exhilarantia jam turbantia suis variis motibus, tincturis & signaturis; Alid quidem specie ingrediuntur in nos quàm ex nobis egrediuntur; & quamvis sæpe mutent formam externam, nunquam tamen internam naturam; Sed sicuti spiritus animalis in nobis animalizavit terram; ita terra terrificat in nobis omnia, quæ aliquandiu animalem habebant rationem. Imo & spiritibus nostris, quorũ ortus cælestis est, infesta existit; nisi nos eminentiori virtute scilicet cælesti & divinâ contra salem terræ terrificantem armati, exanimalizati & exnaturalizati simus, vel fieri cupiamus & studeamus, atque hujus subsidio virtutes salis infernalis excellamus sive infatuemus, & no-

bis

bis innoxias reddamus. Vescimur nos quidem animalium carnibus, & leguminibus; Bibimus Vinum, Cerevisiam, milleque alia potuum genera, quibus nutrimur, sicuti Animalia herbis & gramine; Sed quæ excernimus, mineralem & terrestrem redolent naturam; non amplius suavia, pulcra, formosa, sicuti ingressa fuerunt. Quid sunt morbi, qui variis modis in nobis saeviunt, & non saltem spirituum animalium rempublicam turbant, sed & mentibus nostris, imaginibus horrendis, monstrosis, tristibus molesti existunt, nosque & ad animalia & ad humana officia exequenda, ineptos reddunt? Corporeitates revera sunt terrestres, talibus aquè, nempe terrificantibus prædita spiritibus; quamvis externa eorum signatura varient, & alia sint ponderosa, fluxiles, vel immobiles; alia pondere omni destituta, vel calida saltem & frigida, calefacientes & frigefacientes; alia omninò quoad sensus mensuram, tenebricosa, attamen ideis millefariis, imaginationi onerosa, quamvis sint innoxia. Quamvis ab initio ingressus sui in nos, tales non fuissent, vel non esse dissimulassent; donec videlicet spiritibus nostris servilia præstabant officia, carnem lascivis voluptatibus titillabant, atque sic nostræ communionis cum hoc visibili mundo fuissent copula, & media. Vocamus nos quidem virtutes spirituum salinorum nobis & amicas & inimicas; qualitates Elementales; activas vel passivas; primas, secundas, tertias, manifestas vel occultas, venenatas & malignas, aut astrales influentias; sic à nostris Doctoribus edocti; Sed revera sunt spirituales essentiæ, quæ nos suis virtutibus variè exercent, jam titillant & exhilarant; jam urunt, pungunt, elevant, deprimunt; Sunt Spiritus inferiores nobis, quibus nos praeesse, imperare & dominari debemus, ex requisito ordinis nostri per decretum Divinæ Sapientiæ fundati. Sunt Spiritus morbifici, in superioribus ordinibus contra ordinationem Divinam debachantes; sed in suis boni, & superioribus serviles, utiles & necessarii. Sunt Angeli Satanæ, qui nostris sensibus primùm omnis generis voluptatibus abblandiuntur, & nobis semper & ubique per fraudes insidiantur, per vim nos oppete-

re nondum occasionem, potentiam aut licentiam nacti. Morbos, quia mortis sunt prodromi, metuimus: Sed quare non voluptates morborum seminaria; & carnales concupiscentias? Sed appetitu vel cibi, vel potus, vel veneris, vel alterius alicujus carnalis stimuli destituti, dolemus, & dolere non cessamus citius quam illa ad nos reversa fuerint? Atque sic nullum ens mundi hujus est nobis vel esse potest magis aut aequè infestum, ac nosmet ipsissimus, in obsequia carnalium legum procliviores quàm Divinarum: Quasi esurire & sitire nō sint plagæ sed gaudia; & servire peccato, voluptati, morti; beatius, quàm justitiæ, sanctitati, & spiritui vivificanti. Amamus mundum hunc quousque ille nobis dictat factu possibilia; sive nobis cibos & potus, vestes & voluptatum seminaria suppeditat, sine defectu; sed ubi nos premit fames vel sitis, æstus vel frigus, egestas, pudor, metus, dolor intus vel extra; tunc mundum aversamur, fastidimus, & omninò execramur; utinam citius id egissemus, nunquam nos facti pænituisset. Ne itaque obstupesce Christiane Lector, ubi me audiveris appellare dæmonia, quæ tu, imo & ego ipse, in scholis juventutis, didicimus nominare Naturam; Ne fastidias ideò scriptum hoc, quod ego apellem spiritus; quæ tu vocas qualitates vel accidentia: quod ego cum Scriptura sacra obsessos à dæmoniis nominem; quos tu simpliciter ægros vocas, epilepticos, paraliticos, vel febricitantes; nam ego Medicinam, cujus rudimenta tantum hausi in scholis humanis, vel litterales saltem regulas, & medendi methodum valde confusam, dubiam, & fallacem; ex gentilizare, ab ethnicorum tricis, probabilitatibus, authoritatibus, fallaciis, auguriis, superstitionibus mundare, atque Christianis dogmatibus conformem reddere studeo; ægris ipsis, nobisque Medicis & utiliorem & beatiorem futuram. Absit tamen ut ego reprehendere vel despicere suadeam Scholasticam docendi & discendi methodum; A vilibus incipiat oportet, qui perfectiora affectat; sed praxis aliam poscit & ætatem & mentem quàm Theoria; Alius est doctor Theoriæ, alius Praxeos; Alius est modus per quem simus Medici tantum; alius per

quem

quem & Christiani & Medici & Philosophi simul vel unâ operâ. Si sedulæ lectionis & meditationis beneficio doctrinarũ Galenicarum, Aristotelicarũ, vel humanarum qualiumcunq;, fieri possumus doctoribus nostris pares, vel ad minimũ eorum imitatores. Quid vetat quod ex lectione scriptorum Propheticorũ, Apostolicorum, Evangelisticorum, atq; sic Christi ipsius; non possimus evadere illis similes, vel similiter affecti, & patrare quæ ipsos patrasse legimus; præsertim cum Christus ipse talia sponderit omnibus quicunque in eum credituri essent. imo & illorum majora: uti in exordio hujus Epistolæ recensuimus, Ioh 14.12. Aut Christum falsitatis & imposturæ accusabimus secùs sentientes vel ejus promissa negligentes Si verò Christus solus nobis sufficit ad omnigenam sapientiam, & nobis conferre potest plura vel excellentiora dona, quam Ethnicorũ vel hominum etiam Sapientissimorum ullus; & nos docere non saltem quomodo nos ægri convalescere; vel ægros nostros & à dæmoniis obsessos, à spiritibus ægris liberare, leprosos, epilepticos, febricitantes, hydropicos; paraliticos, claudos, cæcos, mutos sanare; sed & mortuos resuscitare, & mortificantes Spiritus mortificare; atque sic in æternum vivere sciamus & possimus, sine dolo, fraude, metu, superstitione? Ad quid alii doctores? ad quid expensæ; temporum jactura, lectionis humanarum doctrinarum molestiæ; Legamus igitur eâ intentione, eâ attentione, eâdem diligentiâ Christi, ejusque Apostolorum & discipulorum dogmata; quâ legimus unquam Aristotelica, Galenica, Paracelsica; & nisi nobis evenerit quod promittit Christus, vel Divina Sapientia, suis procis & discipulis; vel qualia evenerunt nobis humana affectantibus; Mentiar ego; Ne nos pudeat Christi & Dei fieri discipulos, & creaturam cognoscere posse, discere à Creatore; quamvis jam Doctores & Rabbini simus in scholis humanis effecti: sicuti nos non pudet à Papa, à Luthero, à Calvino mutuare titulos, in materiis Relligionis & fidei mysteria concernentibus. An non vile interdum dæmonium scandalizat Doctores nostros; & vel tussicula, vel febricula, irritos facit conatus eorum; nec clysteres, quamvis

vis frequentes; nec purgationes quamvis validissimas; nec phlebotomias, vel scarificationes; nec ustulationes vel sectiones quamvis cruentas; nec fotus, unctiones, emplastra, diuretica, diaphoretica; nec domestica nec exotica, nec gemmas, nec aurum, nec panacaeas, nec specifica, magisteria, arcana, essentias quintas, imo ne lapidem quidem ipsum Philosophorum dictum, aliter agnoscit quam Elephas muscam. Sed Christum ejusque Spiritus virtutem, venerantur & legionaria daemonia; metuuntque vel parent ocyus hujus verbis, quàm myriadibus medicamentorum communium. Ne puta autem impossibile esse in schola Christi evadere Botanicum, vel Medicum, vel Chyrurgum, vel Chymistam, vel Pharmacopaeum; Sed illic solos fieri Prophetas, Sacerdotes, Theologos; Nam si piscatores, publicani, aliique homines illiterati, & idiotae rudes in scholam Christi ingressi non solum facundi sermone, sed & potentes virtute egressi fuerunt unquam! Certe nec talia beneficia negabit aut invidebit Dominus nobis, humanâ sapientiâ tinctis; nisi nos pudeat dediscere errores, & discere veritatē, Divinā sed nō humanā sapientiā. Inter dona spiritualia recensentur non saltem Prophetia & Apostolatus; sed & dona sanationum; Non itaque sacrilegus est vel temerarius ille vel Philosophus vel Medicus; nec ruit in messem alienam, qui à Christo perfici vult, eam quam in humanis scholis à gentilibus hausit sapientiam; si à tali crimine, vel criminis suspicione, absolvit scriptura & piscatores & publicanos, imò & milites; quare non Philosophos & Medicos? Quandocunque natura per naturam, homo per hominem, sapor per saporem, vel calor per frigus, vel frigus per calorem, agit aut patitur; simile in simile agit vel à simili patitur; vel dubio, vel contrario eventu; Sed quando homo per Spiritum Dei exanimalizatus, exnaturalizatus, & sic pristino ordini, Divinae sapientiae ordinationi congruo, restituitur tunc talis in daemones, in spiritus mundi hujus, in virtutes morbificas, non agit ut in res sibi similes; sed se multis gradibus inferiores; imperat & dominatur ex authoritate, secundùm eminentiam majestatis suae,

non

non per dolum, aut per meritum, aut pretio aut aliis humanis juribus acquisitam; sed ex gratia summi Dei in eum collatam. Quandocunque Satanas per Satanam ejicitur; si ejicitur; simulat saltem uterque se agere, quod neuter agit.; & ille imperium & hic obsequium; & ille se agere, & hic se pati; uti Christus Dominus replicavit Iudæis eum criminantibus, quod ille per Principē dæmoniorum dæmonia ejiceret. Sunt quidem dæmonia in scenis eorū tenebricosis pulcris ordinibus sibi invicem subordinata, sicuti omnia sensibilia ita discrepare videmus. Sed nullus eorum ordo nostro est parallelus; multominus aliquis nobis sublimior; si quid in nos possunt? tentare saltem possunt per blanditias, vel fallere per fraudes; nihil autem per vim; nisi in captivos, vel per fraudem eorum aut spontaneam hominum obedientiam, eis subjugatos. Mille sunt sapores; sed una lingua sufficit discernendis omnibus, libera ab omnibus; sed ab uno vincta, inepta fit ad discernendum heterogeneos; sic oculi captivi, occæcantur omninò; vel videntes per eos, fallunt, ut putent se videre quæ tamen non vident; aut alia & plura, quàm ea sunt quæ intuentur. Tam noxia tam perniciosæ nobis sunt animales & mundanæ astutiæ, concupiscentiæ & virtutes, ut nos in reprobos tantum trahant, vel in nobis fingant sensus & imaginationes; Si igitur per ignorantiam ipsorum evasimus servi; illæ autem nostri, per fallaciam voluptatum illecebras, magistratus; atque sic principiis obstare neglexímus; mutemus mentem; donec id agere loci & tempora, virtutes & subsidia super sunt; donec spes, donec patientia, donec fides, donec preces vota & suspiria, nobis aliquam promittunt libertatem; pugnemus; & per vim extorqueamus nobis per dolum ereptá: quid si succumbamus à mundo victi; non tamen servi, non amici, sed hostes, & adversum mundum mundiq; principem rebelles transferemur in conspectum judicis æterni vocati, à mundo divulsi. Si saltem pugnaverimus syncere & audacter, non fraudulenter vel timidè, Victores tamen coronabimur à Principe & authore militiæ nostræ. Docet nos quidem humana quoque sapientia studere

dere

dere munditiei, sanitati, temperantiæ; & simulat se nobis ad rem eam facientia affatim suppeditare media & remedia; Sed cæcum ducem sequimur, dolosum, fallacem, mendacem, superbum, animalem imò diabolicum, invidum & rixosum doctorem, illi tantum obtemperantes, inconsulto Cœlesti Numine. Nam non nisi circa sensibilia versatur & ipsa, & nos illis adhærere docet; de occultis vel insensibilibus nec Ecclesia judicat, nec schola; Nec Theologi, nec Medici. Sed dæmonia, spiritus morbifici, morborum seminaria remota sunt à sensibus profundius sepulta quam ut naturali ductu, vel humana sapientia viribus inde erui possint; nec longè absunt à nobis silentia, vel in suis centris tenebricosis quiescentia aliquandiu innoxia; nec recedunt à nobis nos per intervalla relinquentia; nec extrinsecus in nos derivantur, vel nobis ab Elementis aut astris per tacitos influxus infunduntur, nos per intervalla affligentia; sed una nobiscum commorantur, & sanguis est eorum nostrumque commune domicilium. Si igitur artem illam vel scientiam nobis utilem & necessariam esse arbitramur, quæ nos docet sensibilibus dæmoniorum impetibus resistere, eorum violentias mitigare, atque ita vel nos ipsos curare vel alios; Certe præstantior erit ars & scientia illa, cujus instinctu nos quiescentia in tenebris, ligare; vel ex luce ad tenebras perpetuas relegare eaque enervare & mortificare possumus dæmonia; idque sine molestia, periculis, metu, impensis, cum tamen humanæ artes multas secum trahant molestias; & dæmonia ligant, si ligant, ad tempus; non autem in perpetuum, sive ad diem & ipsorum captivitati, & nostra libertati æterna destinatum. Si abstinentia multos curat morbos, secundum sententiam Hippocratis; Certe jejunium orationi annexum, secundum mentem Christi, multo erit efficacius. Si superstitio multos abolet morbos; si verba sancta etiam prolata ex ore prophano; si sudaria, si reliquiæ sanctorum, virtutem aliquam habent arcendi aut abigendi dæmonia, uti credunt & docent aliqui; Tanto major erit virtus & authoritas Spiritus Divini in nobis præsentia; Nam propter quod quid tale

est,

est, illud magis tale est; Si herbæ quid possunt, vel remedia, ex penu mundi hujus petita; tantò utilior erit & potentior in nobis Spiritus ille qui dixit ad herbas crescite & multiplicamini; Si evacuatio humorum inutilium, superfluorum, malignorum, venenatorum est utilis & necessaria ægris; tanto utilior erit voluptatum fuga, & omnis superfluitatis aversatio. Innoxia erit bilis, & æruginosa & vitellina, & quævis alia; si nos iram, invidiam, luxuriam, venerem frænare didicerimus; Insipida erit pituita, si nos gulam & ebrietatem vitaverimus. Innoxius erit humor melancholicus, nisi nos honores, opes, & amores mundi hujus amaverimus. Nec quantitate, nec qualitate peccabit sanguis; si nos in nulla re excessum, vel abusum commiserimus. Non nos discruciabunt nocturnæ vigiliæ, vel somnum à nobis arcebunt, si de die sedulò laboraverimus, & non nisi defatigata labore membra in lectum deposuerimus. Et Natura, & consuetudo, quam nos alteram dicimus Naturam, parebunt nobis, si nos paruerimus Deo; vel ad minimum parere studuerimus. Quod si vero per ignorantiam, vel alio aliquomodo, sed inviti peccaverimus, atque dæmoniis super nos dominari licentiam concesserimus; nos autem facti pœnituerit etiam post factum, seria tamen pœnitentia sera non erit nec inutilis; sed ille qui castigat nos ob delicta; & reconciliabitur nobis, & docebit nos media vel remedia, eorumque applicationis modum, ad abolendum vibices & vulnera castigationis inservientia; vel mittet Ieremiam ut curet ulcera; vel Angelum ut abigat asmodæum, è thalamo, & cæcitatem ex oculis nostris pellat. Audisti solvere nodosam quod nesciat Medicina Podagram; Sed quæ? Non omnis, sed ea quæ in humanis docetur & discitur scholis: Paraliticum, claudum ab utero matris redemerunt vel liberarunt à dæmonio piscatores, qui tamen Epilepticum, vel Lunaticum curare non potuerunt? Quare? Propter incredulitatem; sed Cujus? & eorum propriam & ægri, inquit Scriptura; Ecce quam turpis defectus est fidei in ægro; quantò turpior in Medico; nam & hunc sanare, & illum convalescere impedit, alterutri ad-

 hærens.

hærens. Si autem vera sunt quæ promittit nobis de fide, & fidei virtute, Salvator noster; Quod nempe omnipotentes efficiat ex impotentibus; liberos ex servis; Amicos & affines Deo, ex hostibus; Imò immortales ex mortalibus: Quare igitur nos vel nescimus curare ægros nostros, vel imperare dæmoniis; vel quare cæca, surda, clauda, muta, negant nobis obedientiam, dum tamen olim & legionaria fugiebant Christi conspectum, & apostolorum, aliorumque sanctorum tactum. Igitur aut fidei & Christi nomen fictum est; Aut fides nostra per quam mundo nos, aut mundus nobis est formidabilis, nulla est; vel nomen sine re; Galenus præceptor noster, non credidit Moysi qui tamen pauca mysteria fuit locutus, pleraque saltem legalia & historica: Certe multò minus crediturus fuisset Christo, vel Paulo, vel Iohanni, qui docuerunt nos & docent ipsissima tantum mysteria, humano spiritu impervestigabilia; Quare igitur nos Christiani non dubitamus credere Galeno, & ejus farina hominibus, qui nos persuasoriis humanæ Sapientiæ verbis dementant; & non potius Christo ejusque Apostolis nos Deo reconciliare studentibus. Nos nec à Deo doceri cupimus; nec à Deo doctos audire, aut ipsis credere, vel eorum operâ uti. Probate me dixit Dominus ad Iudæos, si non aperuere cataractas cœli, & nõ protulero vobis benedictionẽ, si vos mea jussa exequuti fueritis, vel exequi studueritis. Nostrum autem nemo est qui probaverit Dominũ hucusq;, vel probare eum, fiduciam in eum solum collocando, in animum induxerit suum; Ideo percussa sunt anathemate omnia nostra; Cõtempti & abjecti sumus nos Medici coram universo populo. Nec saltem dæmonia aspernantur nos; sed & sordida anus, tonsores, balneatores, circumforanei, seplasiarii, dentifragi, hortulani, carnifices; nobilissimam sanctissimam, non nisi à Regibus, à Prophetis, à sacerdotibus, à principibus olim excultam artem prophanant impio ausu, vel turpis lucri amore; nempe Medicinam; nec tamen est aliquis qui ideò doleat; aut qui sciat vel scire velit, unde illa in nos procedant mala, opprobria & contumeliæ? Imò nemo est qui credat, quod nobis hæc eveniant

à De-

à Domino; ideò solùm quod ipsum deseruerimus, & elegerimus obedire potius sensui quàm fidei; Baal quam Deo, Carni quam Spiritui; Mendacio quam Veritati; Aristoteli & Galeno, quàm Christo & Evangelio. Nihil proficimus hodie adversum morbos, nostris panaceis; nihil adversum dæmonia precibus, exorcismis, vel jejuniis; Nam nos nolunt nosse Spiritus improbi, ita ut subjicerentur nobis; à peste, à venenis, à serpentibus æque periclitamur & metuimus nobis nos medici, ac rudis plebs; Character Divinus Creaturis terrestribus & dæmoniis formidabilis, quo signantur Medici à Domino legitimati, obfuscatus est, imò expunctus ex frontibus nostris. Phantasmata ex auri honorumque amore, & ex præconceptis opinionibus hominum gentilismo infectorum in nobis nata, distrahunt, dissipant & dispergunt mentem nostram, ita ut semper dubitet, semper metuat, & omni Animali imaginatione fiat inferior: Nullum enim est animal quod dubitet de eo de quo nos dubitamus; imò adeò miseri sumus, ut sitientes bibere metuamus inconsulto medico; Ille vero nesciat quid respondere debeat ad interrogata, nisi & ipse consulat alios sibi similes, scilicet, non ex propria sed aliorum ratione dependentes; Quasi homo Christianus aliter non posset fieri sapiens, nisi ex littera; nec aliquid habere proprii, nisi vel furto, vel dolo, vel commodato acceptum ab alio. Mechanicæ sic docentur & discuntur artes; Mentales autem ex spiritibus nobis instillantur, à Ratione dictantur, à fide excipiuntur, & suâ stant authoritate, non sensuum sed conscientiæ testimonio certioratæ. Praxis longius continuata, mundo tradit Experientiam; Sed Sapientia superne in mentes hominum prolabens, praxeos parens est: Quam ex legibus scholasticis secundùm methodum consuetam sequimur, ad multos syrtes nos allidere facit, ita ut plurium ægrorum incommodo sapere discamus; unde natum proverbium, Novum medicum novo egere cœmiterio; Probrosum quidem Medicis, sed communiter verum; præsertim de illis, qui ex scholis egressi Theoricis, illotis quasi manibus praxin exercent; Sed quid consilii in tam male ordinatis rebus?

 Rever-

Reverti ad Dominum quidem esset consultissimum; nam ille restitueret Medicinam antiquo & honori & nitori; Laboraret nobiscum, nec aliquando nos relinqueret solos; plusque prodessent agris verba nostra, & nocerent morbis; quam jam optima quaque Laudana, Panacea & Magisteria. Sed perdidimus viam, Ethnicorum Philosophiâ inebriati; Prudentiâ mundi hujus dementati; Avaritiæ, superbiæque præstigiis obfascinati; Nemo est qui reducat; errãtes & si dux adsit; nemo est qui eum sequi aut velit, aut possit, aut audeat errantium. Vivere ad exempla, & latissimam calcare viam, vel multitudinem sequi; tutior videtur medendi methodus; quamvis sit omnium malorum, omnium errorum, omnium fallaciarum, ipsissima radix, & seminarium. Quamdiu juvenes sumus judicio vel immaturo, vel hebeti; si tunc aliorum rationes sequamur, propria destituti; excusat defectus nobis innatus, errores ex peregrinis opinionibus in nos derivatos; sed si proprio ingenio & judicio utimur vel nitimur, in aliorum reprehensione, & censura; quare nobis idem non sufficit ad medicamentorum inventionem, ad causarum morbificarum anatomen, atque sic ad praxin quotidianam; ita ut non necesse habeamus recurrere ad mutos præceptores, ad litteram, ad occultas qualitates, ad fabulas potius & figmenta antiquorum; quàm ad historias, vel fide dignas doctrinas. Non adsum quidem ut antiquorum errores recenseam vel accusem; Respondebunt illi pro se; Respondebimus & nos pro nobis ad judicium citati; Attamen odi servile Ingenium, quamvis necesse sit experiri citius amaritudinem servitutis, quàm libertatis gaudere possimus dulcedine; talem viam ad Sapientiam exigente rerum omnium confusione. Nec mihi quæro discipulos per ea quæ in hoc opusculo publicæ censuræ exposui; sed socios tantum aliquos in affectanda Philosophandi libertate, & medendi prudentiâ; Medicamentorum augere numerum; Vanus labor est, mera animi & corporis defatigatio; Experimentis saltem aliorum, honorem & opes comparare; communis quidem est consuetudo; sed Medico rationali, pio

Chri-

Christiano indigna; attamen qui metuunt miseriam, egestatem, invidiam, contumeliam; aliter hæc evitare nequeunt, nisi se accommodaverint ad mulierculaꝛum fatuarum ingenia; ad favorem populi; ad satianda pharmacopolarum desideria; Qui vero sapientiam quærunt, eam minimè acquirent, si eos terreant invidia, minæ, odia, obtrectationes, calumniæ, ærumnæ, uxorum vel liberorum lacrymæ; lectione librorum; Anatomiâ membrorum; sedulâ herbarum, mineralium, metallorum, saporum, odorum, colorum probâ; Alchimisticis cantelis, laboribus; imò omnis generis exercitiis ad medicam facultatem facientibus à juventute occupari, non saltem conducit ad evitandos juventutis furores, & redimendum tempus ab exitiali otio; sed & ad adsuefaciendū sensus externis exercitiis, atque levanda senectutis onera; si saltem caveamus à turpitudine servitutis, & persuasione peregrinæ opinionis. Si saltem doctrinæ priores maneant irritamenta ad ulteriora studia & non remora vel impedimenta. Medicus donec vivit semper discit, vel ut discat oportet suo officio satisfacturus; Quo plura legerit, plura legendi vel meditandi eum occupat desiderium. Nam perlectis quos unquam nancisci potest authoribus; inchoavit vix sapientiæ scrutinium; Et quod si mille possit curare morbos, & pellere dæmonia etiam legionaria ex aliorum corporibus; tamen quousque ipse non assequatur immortalitatem, nondum gustavit de ligno vitæ; Sed ecce quantus in mundo hoc librorum numerus, quanta characterum discrepantia, quanta lectorum & interpretum varietas: Quanta ingeniorum inæqualitas? Quis enarrare possit omnes species vegetabilium, arborum, fruticum, herbarum, graminum; Et tamen singula aliquid peculiare habent in sapore, odore, colore; in fructus, in foliorum, radicis, florum signaturis & characteribus: Sola sambucus, frutex notissimus, imò vilissimus sponte proveniens, in locis incultis & desertis, plures habet virtutes quàm ut stylo catholico omnes depingi & exprimi possint. Qualiscunque medicamenta promittit nobis solertia chymicorum, vel parare potest aut

scit,

stit, non nisi magno labore, expensis, animiq; & corporis molestiis, ex Minera Antimonii; talia omnia, & plura, suppeditat nobis solus ille frutex, sine nobis, sine sumptu, sine labore, sine errore, & periculo: Quod si veró solius hujus & unius fruticis anatomia, tam prolixis commentariis sufficientem exhibet materiam; certe alia arbores & sambuco nobiliores, si non in omnibus aquè, tamen in aliquibus, vulgaribus ingeniis erunt impervestigabiles; non quod omnino investigari nequeant; sed quod pauci sint adeo facundi ingenio, adeóque alacris animi, ut occulta & secretiora indagare possint, vel velint vel ausint. Imo aliqui nostrorum præceptorũ adeò sunt obstinato & sordido animo, ut quicquid ignorant, id ignorari oportere, & sciri non posse, si non impio, attamen insolenti & temerario pronuncient ausu: Sed tales non saltem inter mortuos, sed inter mortificantes sunt recensendi, hîc; magnisque mortuis accumulandi abhinc. Meliora sunt nobis Christianis speranda in temporibus novissimo diei proximis, quam fuerunt præterita; quia Sapientia Divina promittit meliora nobis, quamvis mundo minetur pejora: uti in Philosophia sacra irrefutabilibus argumentis & testimoniis demonstrabimus; Cujus contenta, quæcunque in hoc opusculo desiderabis, Christiane Lector, si non pro velle tuo, tamen pro meo posse, omnia exhibebunt. Tu his ingenioli mei fructibus, vel floribus potius fructuum prodromis, utere, quousque plura & præstantiora meis, tuisque votis largitus fuerit supernè Dominus: hæc pauca satisfacient bonis; Nasuti autem & dentati Zoili mordeant hæc tantisper, quousque novum provocarint Pugilem, vale. Dabam Bremæ. 12. Maji, Anno 1662.

TRACTA-

TRACTATUS
DE SALE,
Ejusque in Humano corpore Resolutionibus Variis, Salutaribus & Morbosis.

CAPUT I.

In quo Generalia quædam monentur Medico in Praxi scitu necessaria.

SECTIO I.



Mnibus temporibus fuerunt multi Celeberrimi, Sagacissimi, & Prudentissimi Philosophi, Physici, & Medici, mysteriorum Naturæ, sive sub Sole fientium mutationum, causarum occultiorum serii indagatores: Horum aliqui, unum tantum; alii, duo; alii, tria; alii iterum plura agnoverunt & docuerunt, pro basi signaturarum sensibilium, speciebus, numero, gradibus discrepantium, principia; De suisque Principiis singuli variè sunt commentati; quilibet pro diversitate acuminis, vel abundantiæ sensus & Spiritus sui. Multa inquam, scripta antiquorum exstant de Prima mundi hujus materia, & eam informante Universali Forma, Anima, vel Spiritu mundi; Ita ut si quis hodie eorũ scriptis aliquid superaddere vellet, id tutovix posset, nisi dicturus quæ ab eis dicta fuerũt antea. Attamen à nobis Christianis nequaquam pro Diis reputandi sunt, etiam sapien-

pientissimi illorum; Homines enim fuerunt illi suis temporibus, sicuti nos nostris: Iisdemque casibus obnoxii intùs & extrà, quibus nos sumus. Quamvis autem negari non possit, eos vel Deum, vel Dæmonia pro Doctoribus & Symmistis habuisse, ab eorumque altero, multa arcana, & citra hunc discendi modum, impervestigabilia, sive id factum sit per manifestam dictaturam, vel occultum influxum, aut tacitam inspirationem, didicisse; Singulari denique prudentia, labore & industriâ, admiranda & stupenda, è tenebrarũ abyssô, aut Cœli altitudine eruisse, vel in lucem produxisse, aliosque docuisse, vel patrasse; Nequaquam tamen credendum est, eos omnes humanas mensûras prorsus superasse, ita ut nullum tenebrarum locum insalutatum reliquissent; Satis enim scienda semper plura sunt; Nec aliquando fuit, aut futura est, tanta fæcunditas vel facundia ingeniorum humanorum, aut felicitas Vitæ hujus nostræ præsentis commorationis, ut nullus alicubi superstes sit locus Ignorantiæ. Vanitas enim occupavit omnia; Et sapientissimi vanissimas meditationes sanctissimis molimiribus permistas habuere. Quod si vero ne sanctissimi quidem à vanitate in sensu activo aut passivo liberi fuere; nec ille se ex tricis tenebrarum explicare potest, qui ad instar antiquorum, neglectis gentilium opinionibus & doctrinis, vel catholicis erroribus, in profunditatem mysteriorum non reformidat facere impetum, & duce & comite mundano destitutus, solo amore Veritatis & Sapientiæ ei per profunditates Abyssi iter commonstrante, antiquam Veritatem inde eruturus. Tum certè majoris vanitatis obnoxii erunt cæci cæcorum discipuli; qui catinos lambunt non pultem, & in littera hærent spiritu destituti; sive qui non amore Sapientiæ sed Auri; Non veritatis, sed honorum & docent & discunt non nisi scita aliorum. Nec aliquid volunt, sciunt, aut possunt quàm repetere quæ audiverunt narrasse alios, vel recitare scita aliorum. Nõ digni sunt certe tales titulis Sapientum, quamvis sint Eloquentissimi. Nam omne id quod habent,

vel

vel sibi habere videntur, litteræ debent; ex aliorum scriptis sua deprædati, alienis pennis vestitæ Corniculæ, turpitudinis nuditatis suæ pœnas luituri in die judicii. Non mirum itaque est quod tanta sit hodie, ubique locorum, sapientum penuria, impostorum ubertas, ignorantium multitudo, sanctorum paucitas, adulatorum frequentia, tamque exigua & vilis Veritatis authoritas; Quoniam paleis saltem pascuntur & pasci amant & Doctores ipsi, & doctorum discipuli. Paucissimi amant sequi Spiritum in profunditates ejus communibus mensuris majores; Plurimi torpere malunt sub umbra litterarum desides, aliorumque segetes maturas consumere, quàm molestiis & periculis scrutinii defatigari. Novatoribus, vel inventa inventis accumulantibus, succensset hodiernum seculum, pecuniæ avidum, veritati inimicum, luxuriâ sordidum, brutalium legum mancipium, spiritualium influxuum vacuum. Non citius certe profligabitur pestis illa ex scholis Christianorum, quàm mundi cessaverit in Animis Doctorum amor; quàm Sapientia divitiis prælata fuerit, quàm Intellectus sensui præripuerit palmam: quàm Vastatrix illa Abominatio de loco suo deturbata fuerit. Ego Amice Lector non vanæ ambitionis stimulo, sed syncero ipsissimæ Veritatis desiderio, manifestis erroribus Physicorum valedicturus, laudabileque exemplum sedulitatis antiquorum imitaturus, hic de Sale Philosophari proposui, de Sale inquam, & de ejus variis, non quidem extra nos, sed in nobis, ad instar externarum tamen, fientibus indesinenter mutationibus tàm salutaribus quàm morbosis. Nihil detraham antiquitati, nisi addidero; Nihil persuadebo authoritate litteræ peregrini textus, quod fundamentalibus rationis fulcris destitutum esse deprehendero. Intentio bona mihi tutissimus portus erit inter syrtes navigaturo: Si crimen est quod in mente gero, careat successibus opto; Si autem Veritas & Virtus; adspiret partui Æterni Cœlestisque Numinis Sapientia; mihique quotidie largiatur vires novas, si non ad mensuram voti mei, volunta-

luntatis tamen suæ; ut Invidiæ obstetricanti partui meo, imperterritus & terga & vultus obvertam.

SECTIO II.

NOn de omnibus Principiis rerum Naturalium in nobis vel eorum Virtutibus, hic loqui institui, ad placitum alicujus authoris, sed de uno saltem, ex quo tanquam ex glomo, filum trahunt omnium actionum & passionum in nobis varietates, voluptates & dolores, vitæ mortesque cum suis discrepantiis. De Sale videlicet; De Ente quidem quoad Nomen nulli mortalium incognito, sed Virtutis profundissimæ, humani ingenii viribus impervestigabili. Nec aliter sum hic de Sale vel Igne Centrali loquuturus, quàm Medicum & Philosophum Christianum loqui decet, ex officii & tituli requisito; Nec etiam ad regulam vel placitum vulgi, quod sensuum mancipium est & litteræ; Sed ad exemplum antiquorum libere de re quavis Philosophantium; Qui viderunt, & videre docuerunt multa, etiam citius quàm facta fuerint visibilia; In eum finem saltem, ut per meas ratiocinationes illis succurram, qui hucusque errarunt judicio, vel à sensibus propriis, vel aliorum persuasionibus decepti, effectusque pro causis, fructus pro seminibus; Locos affectos pro matricibus morbosorum affectuum habuêre: Quum in rei veritate nō sensibilia, sed insensibilia; Non membra sed Spiritus membris insiti, pro causis morbosis vel dolorificis, reputandi fuissent: Vel sal id primordiale, radicale, mundi totius, corporeitatisque omnis semen & pater: suâ virtute spirituali, vel vapore, humore, halitu, sapore, calore, frigore, aliisque mille in centro ejus tenebricoso latentibus tincturis, omnia afficiens, penetrans, urgens, movens vivificans, & mortificans, legibus de Cœlo in justa locorum, temporum, numerorum, graduum, ponderum, custodia instructum. Non plebs sola est quæ fallitur & errat in suis de causis rerum abditis

ditis ratiocinationibus, sed & magni sæpe viri, alii quidem per incuriam, alii vero per industriam. Tales errores judiciorum, qui nempe per incuriam fiunt, hoc in opusculo demonstrare, atque ita quomodo declinari possent, docere institui; eos saltem, qui Medicorum titulos ambiunt, aut gerunt. Industrios dolos, ne ipsa sapientia tollere poterit, donec illa potentia quam tenebræ in his temporibus habent, illis relicta fuerit: quæ proh dolor, nullo molimine animi humani est superabilis, nisi Divina sapientia nobiscum suas copias conjunxerit. Hæc enim sola immaculata Dea est, quæ nobis revelat modum, largiturque media, ad declinandum tenebrarum offendicula, monstrantia iter. Hæc est Doctor exquisitissimus, revelans occulta, prædicens futura, lucens in tenebris, & manifestans menti res quarum sensus capaces non sunt; eà saltem intentione ut sapere discamus, & ne tanquam pecudes obruamur à malis nos circumjacentibus, imò intus totos obsidentibus: sed ut ea præveniendo evitare, vel præsentium violentiam mitigare, vel inevitabilium necessitatem patienter ferre sciamus, non ignari, omnia à fatis regi & gubernari in ortu & occasu suo, tam quæ in nobis vel à nobis, tam quæ extra nos in & ab aliis sunt vel fiunt. Pauci admodum sunt inter modernos moderni seculi incolas, imò fuerunt ubique omnibus temporibus, qui divinam affectent sapientiam, quælibet enim ætas de suo tempore conquesta est; nec nos itaque terrebit vel Sapientum paucitas, vel fatuorum multitudo; Arrideat paucis malo, labor hic noster, sed bonis; quàm ut laudetur à fatuis pluribus; quamvis priùs non sine periculo fiat, posterius autem majori cum laude & lucro fieri possit.

SECTIO III.

MAgnus est Mundus hic; Magna latitudo Expansi; Ingens aeris profunditas, Ventorum, fulgurum, tonitruum violen-

tia; Immenſa nubium, aquarum, montium moles; Piſcium, aliorumque Animalium multitudo, fertilitas & varietas; Vultuum, cogitationum, deſideriorum humanorum diſcrepantia; Sed illis omnibus major eſt Sal, ſive molem quantitatis, ponderis vel virtutis ejus conſideres; Sine Sale enim nihil eſt in mundo hoc præſenti; nihil in futuro futuri; Nihil mutabilis, nihil æterni; Sale condiuntur & condita ſunt omnia, & hujus & futuri ſeculi Entia. Nec aſtrorum ſplendor, nec terræ opacitas, nec Ignis æſtus, nec Aquæ frigus, nec Aeris pondus, nec Metallorum ſoliditas, nec Mineralium fragilitas, nec fontium ſcaturigines, nec montium & collium gibbi; nec convallium planities; Nec Vegetabilium ſapores, odores, colores, nec carnes, nec oſſa animalium; nec ſenſus, nec humanæ cogitationes, earumque in acie vel ſtupiditate varietates, ſine Sale ſunt id quod ſunt. Omnes vitæ & mortis, Æternitatis & mutabilitatis, ſanitatis & morborum, lucis & tenebrarum theſauri, locorum, temporum, magnitudinum, multitudinum, ſympathiarum & antipathiarum diſcrepantiæ, in uno Salis latent Myſterio. Nullus eſt ſupernè aut infernè; intus in nobis, vel extrà nos; in ſeminum centris, vel fructuum ſuperficiebus, motus & quies, quam Sal non inchoet, comitetur, continuet, interturbet aut terminet. Tria ab antiquis Philoſophis numerantur rerum ſenſibilium Principia, ipſorum quoque Elementorum, quorum nomina inter rerum principia à quibusdam recenſentur, Sal nempe, Sulphur & Mercurius; Sed Sal omnium baſis eſt, nihil enim eſt ſine Sale quod eſt. Sal ſolvit, Sal ligat, Sal attollit, Sal deprimit, coarctat, dilatat, vivificat & mortificat omnia. Igitur ne ſpera in hoc opuſculo tibi demonſtratas iri omnes ſalinarum divitiarum copias, nullum enim tempus aut locus capit eas; Saltem aliquarum hic fiet mentio, earum videlicet quæ in corpore hoc, quod nos alteram eſſentiæ noſtræ partem nominamus, ſed erroneo judicio, (involucrum enim eſt ſaltem corruptibile, interioris & nunquam interituri hominis;

vide.

vide Philosophiæ nostræ sacræ Tom.1. lib.1. Meditationem 12.) pro diversitate sexuum, ætatum, & personarum, variantium, quotidie fiunt. Reperient quidem in hoc scripto nostro quæ stridebunt multa, non saltem Medici, Physici & Philosophi, Scholastici, sed & Grammatici; sed quid si strideamus in auribus eorum, id tanti non curamus quàm si strideremus in judicio Cœli; stridebunt sine dubio plurimi ab hinc, qui hic non saltem sirenum suavitatem exæquabant, sed & excellebant. Quod si vero candidi censores scriptum hoc nostrum attentè legerint, & bene intellexerint, nec modus Creationis mundi processus, cujus historiam descripsit Moyses, cognitionem jactavit Salomon, in Tabula Smaragdina adumbravit Trismegistus, eos latebit. Nulla enim est hodie vel lex, vel causa, vel instrumẽtum, vel processus generationis aut corruptionis alicujus Entitatis sensibilis, inter lucem & tenebras peregrinantis, in nobis vel extrà nos, quàm illa ipsa quæ jam exstitit à Principio vel ortu Temporum & Locorum. Magna quidem mistio vel confusio seminum radices turbavit, à primæ generationis lege diversa; Cujus vitio vel maleficio, multiplicantur & species rerum & individua in sensibilitate, ad placitum concupiscentiarum vanissimæ lasciviæ animi humani. Nihil tamen novi sub sole est, vel unquam fuit, vel futurum est, quod nõ fuisset sub tenebris occultatum à Principio. Confunduntur jam species plurimæ, citra & contra ordinationem primam Creatoris; nec alicubi tamen alibi pernitiosior fit confusio seminum mundi hujus, quàm in nobis ipsis; atque ex nobis in alias quoque creaturas derivatur; In nobis lascivia parit iram, odium, dolorem, motum, tristitiam, morbos, errores, ignorantias, opiniones, atque extrinseca secum sursum deorsumque trahit, tam per vim & violentiam quàm per dolum & fraudem.

SECTIO IV.

EX Terra fabricatum fuit Corpus hominis primordiale, non tamen ex Terra ea vel tali quæ vel qualis fuit à principio, inani nempe informi & tenebricosa omnino; sed ex infinitis formalitatibus vitalibus per verbum & benedictionem Creatoris, impregnata; Nec fuit concupiscentia aliqua, vel cognitio aut Virtus ex numero formarum naturalium, vel animalium, aut Spirituum mundi hujus, Corporis hujus architectus; Sicuti aliorum Entium ante nos creatorum, vel ex matricibus Elementorum exclusorum; sed Spiritus ipse Creator, non Domini, sed re ipsa Dominus. Ex terra formavit Deus hominem ad imaginem sui, non per imperium, uti res alias; Nemini enim voluit imperare vel potuit Creator qui similitudinem ejus effingeret, nisi sibi ipsi, nemini enim cognita fuit mens Domini, nec ignotescere debuit inter Creaturas omnes quàm soli homini. Spiritus Lucifer, Anima mundi hujus, Princeps tenebrarum, & Deus seculi hujus Eph. 2. nec Minister fuit, nec instrumentum humanæ fabricæ; sed materialiter se habuit in hoc actu; nulla carnalis concupiscentia, Spiritualis astutia, vel Animalis Lex, aut terrestris formalitas concurrit formaliter vel activè ad structuram humanę corporeitatis; Nec unquam aliter quàm materialiter, quàm passivè, quàm serviliter concurrere debuit ad hominis generationem aliqua terrestris formalitas; si homo custodivisset legem ei à Domino geniture ejus traditam. De hac autem materia placeat tibi, amice Lector, introspicere Phil. sacræ Tom. 1. lib. 1. Illic enim elucidantur hæc omnia latius. Ex terrestri itaque massa, vel Natura Animali, artificio tamen Divino, non autem alicujus spiritus mundani elaborata, ortum suum habuit primus parens; Terra quidem nutrix fuit Divinæ sobolis, & domicilium Spiritus origine cœlestis. Nihil habuit Natura quod ut debitum ab homine efflagitare potuisset, vel per famem, vel per sitim, aut alicujus alterius concupiscentiæ

ſcentiæ violentiam. A ſolo Deo dependebat Adam inter omnes mundanas Creaturas, nullus fuit Imperator, nullus Exactor, inter Spiritus mundanos, homini moleſtus, nec aliquando fuiſſet futurus, niſi Animalem aſtutiam, terreſtremque formalitatem admiſiſſet poſt homo in ſocietatem excellentiæ ſuæ, atque ita in Dominum geniture, conſtituiſſet; nam cujus quis voluntatem exequitur, illius ſervus fit. Lex itaque Animalis ſive carnalis concupiſcentia, violenter ſuis imperans & dominans mancipiis, ſuper hominem quoque imperandi & dominandi acquiſivit licentiam, & jus; Non Deo volente vel jubente; Sed homine ordinationi Divini obſequium denegante. Non amplius jam homo ſolus generat hominem, vel Natura non amplius paſſivè, ſed & activè ad hominis concurrit generationem, imò prævalet homini in eo actu; eſt que lex & Imperator, Dominus & Dux & corporis, & vitæ, vitamque humanam concomitantium affectuum. Imperium jam habent, inquam, animalia deſideria in hominem, & fœminæ in mares; vel ſi non habent affectant tamen ut habere poſſint, vel per vim vel per dolum, niſi eis obviam eatur remediis à Deo illi petulantiæ mitigandæ aut abrogandæ deſtinatis. Obverſabantur quidem à Principio, ſicuti & hodie, in homine Ideæ rerum omnium ſenſibilium, concupiſcentiarum, cognitionum, virtutum, formarum; ſed ſicuti Imagines mortuæ & ſerviles, nec perſvadentes nec trahentes animum hominis ad obſequium, ſed erigentes ad Dominum; non potuiſſet enim homo cognoviſſe omnia & nominibus ab invicem diſtinxiſſe, niſi omnium ideas implantatas habuiſſet. Non erant ante Adamum, vel cum eo facti aliqui alii qui cum eo in Imperiali dignitate, aut volendi libertate communicaſſent, multò minus qui eum excelluiſſent; De hominibus loquor vel creaturis ſenſibilibus, non verò de Angelis; Nulloſque agnoſco Præ Adamitas, quos in hac ætate finxerunt falſi ſacri textus Interpretes. Unum quidem ſolum creavit Adamum Divina Sapien-

tia: Quoniam autem aliæ Creaturæ socium habebant vitæ quæque suæ; Ideò nec solum vivere Adamum voluit, sed ei in futuræ multiplicationis commodum, stupendo quoque artificio socium creavit, hominem quidem ex homine, sed fœminam ex Viro; Una caro in duas divisa est personas sub diverso sexu unum idemque volentes: Sed illi tandem ambo, tertii mancipia evaserunt, nempe Animalis; inter Animalia quoad astutiam, maximi; Ab eo tempore sal humanæ radicis infatuatum est; Vitam vivit, sed mortis; vitâ vita orbum. Omnibus jam Animalibus inferior, miserior, & pejor est; Hoc solo illis major, quod nempe ex pluribus Idæis unam eligere possit, cui obsequi velit, pluribus eum ad obsequium invitantibus, irritantibus vel cogentibus: Animalia autem omnia illâ libertate electionis destituta sunt, uni alicui affectui tantum mancipata. Inter animales autem affectus magna quoque est discrepantia, tum in modis tum in gradibus eorum vehementiæ; ideò animalia alia aliis sunt ferociora, & mitiora, stupidiora & acriora. Homo solus inter animales Creaturas, & plura concupiscere, & inter plura quæ ei magis placent eligere liberum habet. Et quamvis animales concupiscentiæ in nobis super nos affectent dominium æternum, quod ab initio in parentibus nostris acquisiverunt, attamen super neminem acquirunt nisi per spontaneum cujusque assensum, sive is fiat à nobis per ignorantiam, vel judicii errorem. Homo quidem omnis induit naturam brutalem cum hoc corpore, nec ab ea iterum ex integro tutus evadere potest, quàm hoc corpore per mortem destructo; Attamen illius naturæ postulatis reluctando, natura illa Animalis in homine sensim subigitur, & enervatur, donec omninò succumbat, homine pristino ordini restituto. Carnis autem, vel nullum ex Animalibus, affectus ipsi innatos permutare, atque aliquando ab illis liberari potest: Sed & post mortẽ manet quod hic fuit. Confunduntur quidem sæpè semina duarum specierum ad generationem alicujus indi-

individui, quod in catalogo creaturarum Domini non fuit consignatum; uti generatio Muli succedit. Sed illa contra ordinem fiens mistio; non est à Deo legitimata unio, sed dissolubilis & maledicta confusio; Sine sale cœlesti, & vapore Divini æstus, homo certè nihil aliud est quàm terra & terrenus; Caro & carnalis, expositus omnibus periculis omnium salinarum terrestriū mutationum semper & ubique, sicuti omnia quæ ex terra facta sunt in diebus septimanæ primæ ad imperium. Quis erat ille qui contraxit aquas in siccitatem, & ab humiditate separavit? Nemo nisi Sal; Penes enim hunc solum, est omnis unitiva virtus & vis: Quis aquis pondere omni carentibus pondus appendit, ex insensibilique & informi abysso, tot myriades sensibilium formarum produxit, easque quotidie nutrit & multiplicat? Sal certe; nam id omnium generationum in aquis, aere, terra fientium, basis est & centrum. Quis incrustavit verticem mundi hujus tam solidis & splendidis corporeitatibus, qualia sunt corpora Astrorum? Sal certe; nam Ignis est, consolidatque & compingit omnia; Quid est aer absque visibili Luce? Est terra informis; tenebricosum chaos; Spirituum naturalium, sive Principum mundi hujus domicilium; qui authores sunt quidem vitæ hujus, sed nihilo, imò minus nihilo reputati in foro Cœli. Tom. 2. Lib. 6. Medit. 24.

SECTIO V.

INfinitæ sunt legiones Spiritualium Incolarum tenebricosæ Abyssi, & imperiorum Aeris; de quibus philosophari tantò difficilius est quàm de rebus sensibilibus, quantò Abyssus Locos; Æternitas Tempora; Lux tenebras; Spiritualesque Essentiæ formas mutabiles excellunt. Ita in mundo hoc sensibili quoque multifariæ, imò innumeræ sunt salium discrepantiæ, pro diversitate locorum, temporum, specierum, individuorum, imperscru-

tabili mistione, concursu, sublimatione, præcipitatione, coagulatione, dissolutione, ascensu, descensu, effluxu, reflexu, diffluxu, confluxu; superficiali vel centrali quiete vel motu se jam revelantes jam occultantes; A tenebris ad lucem, vel è luce ad tenebras peregrinantes; jam activæ, jam passivæ; jam materiales, jam formales; jam causales jam effectuales; Jam semina, jam fructus; jam Spiritus jam Corpora; Jam vitæ jam mortis authores. Non est inter mortales aliquis tam felicis ingenii, qui vel metiri, vel enarrari possit omnes omnium in mundo hoc fientium salinarum mutationum vel formas, vel modos, vel gradus; Corpora metallica, mineralia, meteorica, elementalia, homogenea omninò sunt extrinsecus, atque ideò apparent sensui esse mortua, & vitæ expertia; Solusque homo inter omnes sensibilium species, vivacissimus esse censetur, ob maximam heterogeneitatem corporeitatis suæ, & libertatem motus voluntarii. Verùm, rem serius indaganti innotescet, corpora metallica, & omnia alia eis similia, non saltem viva esse, sed quoad varietatẽ virtutum materialium, saporum, odorum colorum, motuũ, caliditatum frigiditatum, homine ipso vivaciora. Nam quamvis sine sensuali cognitione, vel arbitrario motu operentur, quæ operantur, necessitate quadã coacta, tamen virtutes in illis coporeitatibus hærentes sunt humanis etiã violentissimis violentiores. Vita enim venenata, deleteria, mortifera, & maximè comunicabilis corporibus inhæret homogeneis, ex aliis ocyus, ex aliis tardius in lucem prorumpens; Nam quicquid habent corpora vegetabilia, animalia, vel homo ipse saporum, odorũ, colorum, ponderũ id totum ab infra sive ex scenis hauriũt homogeneis prædictarũ corporeitatum, varie distractũ, fractum, temperatum, à spiritibus seminalibus cujusq; speciei. Sicuti Zyphra 9; omnibus aliis præposita, ditior est quoad multitudinem unitatum sub ea latentium; Unitas autem omnibus postposita singulis quoque minor est, materialiter; Sic homo quoque se habet, collatus cum

Crea-

Creaturis inferioribus; hæ enim omnes & singulæ majores homine sunt; nam homo infernè nutritur, non autem inferiora ex homine. An non unicum granum Antimonii, integrâ mole corporis humani fortius & ditius existit. Talis conditio & inferiorum Creaturarum, & Hominis fuit statim à creationis exordio; Ex pulvere enim terræ, vel abjectissima ejus corporeitatis portione, formatum fuit Corpus hominis; Et quotidie tali modo sustentatur; uti suo loco demonstrabimus; Attamen ob majestatem Spiritus homini a Deo largiti, pulverium & animale corpus incolentis, excelluit homo omnes majores suos, sive creaturas ante ipsum ex tenebris abyssi vel elementorum exclusas: Sicque præsidebat, præsidere debebat & poterat, universæ multitudini Virtutum, cognitionum, concupiscentiarum mundi hujus, omnibus astutiis, principatibus, imperiis & dominiis seculi præsentis, sicuti unitas prævalet omni Zyphræ, ei præpositæ, quamvis quoad materialem conditionem omnibus minor sit. Non enim homo à mundi virtutum vel dominiorum legibus, sed integer mundus cum omnibus legibus suis ab humano dependebat imperio & dominio, quousque homo ab obsequio legis Divinæ. Sed eminentia hominis, ejusque super omnes creaturas Mundi hujus excellentia, immutata valde est, brevissimo temporis spatio, dum nempe homo spretâ Divinæ comminationis, lege, jus suum sponte alteri, servili nempe creaturæ, serpenti videlicet bestiæ astutissimæ cessisset; Ab eo tempore non saltem leges animales, concupiscentiæ carnales vel leges peccati dictæ, super hominem in homine dominantur, dominio admodum violento, sed & sapores, & odores, & colores vegetabilium, mineralium & metallorum; sed & pondera, frigiditates, æstus, humiditates, siccitates meteoricæ & elementales, omniumque sensibilium entium, & formales & materiales rationes, homine majores existunt. Nihilque est adeò vile in mundo hoc, à quo non oporteat metuere omni momento omnis homo. Nam

ficuti omnes Zyphræ in hoc ordine 9 8 7 6 5 4 3 2 1. unitate, quia eft ultima, majores funt: Ita quoque omnes creaturæ fenfibiles & infenfibiles mundi hujus fuper hominem vel poffident vel affectant imperium & dominium; Poffidebuntque femel acquifitum per omnia fecula; nifi ille ipforum dominii vel fui obfequii pertæfus, ipfis pro virili rebellaverit, atque fic gradatim ascendendo priftinæ libertati reftitutus, in ordinem filiorum Dei reductus fuerit: atque tunc præpofterus hujus noftræ præfentis conditionis ordo immutabitur; nofque dominabimur ab hinc illis dominiis quæ fupernos hic dominabantur; uti fchema hoc docet. 1 2 3 4 5 6 7 8 9. Sed arduum valdè eft & durum hoftiliter agere adverfus dominia mundi hujus, non ita adverfum ea quæ extra nos, fed quæ in nobis fuper nos fuam exercent tyrannidem; Pauciffimi funt qui fuis rebellent concupifcentiis, plurimi eis obfequi amant, & nifi poffint dolent. Nullus autem noftrum eft qui fpontaneo nifu & viribus propriis, fine concurfu virtutis altioris, vel cœleftis, aliquid proficere poffit contra violentiam peregrini dominii. Nam vinculum fœderis inter hominem & dominia mundi hujus, five carnales concupifcentias, ftabiliti, fortius eft quàm ut humanâ arte rumpi, imò aftutius, quàm ut noftra fapientiâ innoxium reddi poffit.

SECTIO VI.

Dies nocti, noxque diei cedit & fuccedit per interftitia mane & vefperæ; Continuaque & indefeffa eft Creaturarum mundi hujus omnium inter terminos lucis & tenebrarum peregrinatio; Sicuti verò in quiete centrali & fuperficiali, ita & in motu, five in effluxu & refluxu, confluxu diffluxuque fuo, variant feminales rationes fuas formas, individua, fignaturas, gradus & nomina. Quæ autem & qualia extra nos quæ fiunt, illa & talia fiunt intus quoque in nobis. Nam omnium viciffitudinum,

rum, extra nos vel in nobis fientium eadem est causa, lex, forma, modus, mensura, principium & finis semper & ubique. Extrà nos manifestius succedunt omnia; Quæ verò intus in nobis fiunt, nempe in intestinis, spiritibus, venis, arteriis, nervis, sanguine, ossibus, ossiumque medullis, ea minus sunt manifesta, quàm externa, antequam fiant facta. Omnium tamen & salutarium & noxiarum mutationum tum in nobis tum extrà nos, Sal est principium, dux, comes, & finis; A sale exordiuntur, & in sale terminantur motus, generationes, corruptiones, accrescentiæ & decrescentiæ omnes. Quæ extrà nos fiunt, sensibili arte vel modo, ea ex nostro videntur oriri, stare, moveri, quiescere, ascendere vel descendere arbitrio; Irrigare terram sicciorem, vel exsiccare humidiorem, refrigerare æstuantia, vel frigida calfacere, per applicationem activorum passivis, à nostro pendet arbitrio. Sed imperare igni, mari, vento, bestiis, fami, siti, aliisque carnalibus concupiscentiis, in nos per intervalla irruentibus, ab eorumque impetu vel violentia nos immunes custodire; non est nostri arbitrii vel potestatis; Spiritus enim præfatorum virtutum authores & leges, majores nobis sunt, nobis obedire nescii, citius quàm restituti fuerimus pristino ordini à quo descivimus per præstitam obedientiam spiritui bestiali, qui in censura spirituum inter minimos & infimos recensetur. Et quamvis nos videamur nobis aliquid interdum proficere contra violentiam Spirituum exoticorum, nos per intervalla interturbantium; Subita tamen vel animi perculsio, vel membri sideratio in nobis sine nobis fiens, irritam facit omnem sapientiam & artem nostram. Ascendunt Salia ex penetralibus terræ ad sublimem & immensæ latitudinis mundi hujus concavitatem, ilicque pristinis signaturis orbæ, sive sine sapore, sine odore, colore, sine calore & frigore, sine pondere & omni sensibilitate, sub primordiali tenebricosæ vacuitatis statu, circulantur aliquandiu, luminis astralis sub ea specie vel specula vel diverticula; ut autem

autem ascenderent à loco quietis suæ, à supernè descendentibus irritata fuêre. Tantum enim ab altera sui parte lucratur formalitas lucis sensibilis & Terra & Aqua, quantum ejus ab altera amittit; Nec datur aliquando vacuum, nec aliquis defectus fuit, est, aut erit in motibus scenarum entium terrestrium. Exundantia unius, defectum recompensat alterius; Pauperiore Aquâ, fertilior est terra: Et quamvis judicia sensuum non possint penetrare ad profunditatem abyssi, ita ut possint metiri thesauros ejus absconditos; Omnia tamen ubique sic sunt concatenata & coagmentata invicem, ut ultima primis, & prima ultimis, superiora inferioribus, inferiora superioribus, sensibilia insensibilibus, hæcque reciprocè illis, indesinenter cohæreant; Nunquam enim Cœlum Terrâ, nunquam Terra Cœlo carere poterit, donec generationes omnes cessaverint.

SECTIO VII.

Corpus humanum ex terra quidem procedit, uti primò processit, vitali quidem Spiritu imprægnatâ, sed ad materialia officia saltem Spiritus humani destinato, ab ordinatore omnium Deo. Animale enim fuit corpus id cui Dominus inflavit spiritum originis cœlestis, attamen non ad animalia sed humana officia destinatum à Deo; Deus erat ejus Plastes primus; Spiritusque hominis, origine cœlestis & Divinæ naturæ consors, Spiritus terrestris, jam proh dolor, nostri Imperatoris, Imperator & Dominus. Omnes enim Spiritus mundani, terrestres, carnales, animales, naturales; cum omnibus eorum legibus, virtutibus, concupiscentiis, cognitionibus, affectibus nominatis & innominatis, ad Spiritum humanum collati, servilem habebant in principio, & semper habere debebant, conditionem. Nihil poterant in, contra, vel supra nos, nisi nobis assentientibus: Humano Spiritui reluctanti, nullus Spiritus tenebrarum, quamvis fortissi-

fortissimus, prævalere, nullus per vim aut dolum ei aliquid obtrudere potuit; Hanc rem antiqui Poetæ, & acutè perviderunt, & eleganter ingenioso commento depinxerunt; Tradunt enim in scriptis suis, Prometheum, in homine fingendo è singulis Animantibus aliquam particulam in eum contulisse. Ideò affici à Spiritibus naturalibus homo potuit, tentari quoq; vel invitari ad hoc vel illud agendum vel negligendũ quod naturæ Animali congruũ esset; Sed nõ cogi, non trahi, vel urgeri per vim; qualiter jam nobis & nolentibus sæpè fit, imò plurimùm. Spiritus Creatoris, homini implantatus, lex fuit viva in homine, hominemque discrevit ab animali natura, non qualiter unum animal ab altero differt; Sed hiatu multo ampliori; qualis nempè est inter Dominos & Mancipia, Vitam & Mortem, Lucem & Tenebras. Quamdiu custodivit homo quod habuit; Tamdiu immunis fuit ab omni dominio, vel coactivo imperio naturalium legum. Astutia Serpentis, vel Spiritus serpens, Spiritus fuit animalis vel mundi hujus, sive lex viva, uni speciei certæ animalitatis præscribens & præfigurans intus omnium extra agendorum formam & modum; Satis quidem excelsus in suo ordine, eminebat enim super omnia Animalia sui ordinis astutià; attamen Homine ejusque Spiritu multis gradibus inferior. Bonus quoque fuit Serpens in suo ordine naturali consideratus, sicuti Ovis & Columba; Nam lex astutiæ animalis, non fuit lex peccati in Serpente; Ideò non peccavit Serpens astutià, rem suam acute & astute tractans præ cœteris animantibus & bestiis agri. Sed homo malus factus est per obedientiam præstitam legi animali, & legi Divinæ negatam; Lexque bona in legem peccati transivit, ob ordinis confusionem, Homo enim nulli affectui animali, quà animali, obedire debuit, sed omnibus imperare; Quia autem homo gnarus voluntatis Divinæ, sive sponte, transgressus est vetitum Creatoris, jam ab eo tempore non nisi nomine & extrinsecà specie solùm homo est; Intus autem quantus quantus est integer ani-

malis est. Sicuti in hoc ordine, 1234. Unitas quidem unitas est, sed dispar unitati ordinis hujus 4321. Non potest jam non sitire, irasci, fallere, mentiri, superbire, odisse, vel sibi temperare à naturalibus, vel carnalibus concupiscentiis; Sed æquè ac bruta extra ipsum omnia, intrinseco quodam & cœco impetu, externarum actionum præmonstrante modum, trahitur, cogitur violenter ad hæc aut illa agenda aut fugienda, etiamsi reluctetur. Homo quidem manet, sub utraque conditione, quoad extrinsecam formam & nomen idem qui fuit; Sed non liber uti fuit; Ex Domino enim creaturarum servus omnium, & infimorum inter infimos, factus est. Non nudus amplius nascitur qualis fuit, sed ita obrutus, intricatus, obvelatus, & vinctus concupiscentiis carnalibus eorumque amore, ut vix vi se impedire aut abstrahere patiatur ab eorum obsequio. Amat jam eos, quos odisse maximum ei lucrum esset, ac prædones libertatis & beatitudinis ejus, authoresque omnium malorum, curarum, molestiarum, morborum, plagarumque temporalium & æternarum. Nihil infert, quod quibusdam absurdum videatur, homini plures quàm unum Spiritum appropriare velle. Nam omnes Spiritus hujus mundi, astrales, elementales, meteorici, metallici, minerales, vegetabiles, animales, sunt incolæ corporis hujus animalis; Sed Spiritui nostro, sive nobis, ministrare destinati; quod & quidem aliquandiu faciunt vel dissimulant; attamen interea temporis nostrâ libertate nobis abutentibus, ipsorumque operâ, nobis insidiantur, atque nos astutiâ suâ fallunt, decipiunt, sibi subjugant, & nostra beatitudine spoliant. Nam sicuti primùm evaserunt parentum nostrorum victores, ita & nobis evadunt superiores, nosque sibi subjuges custodiunt, nisi nos cautius cum eis agere discamus, e Verbo Dei edocti. Atque in consideratione talis nostræ conditionis, vita nostra præsens lucta est perpetua, sed valde periculosa. Nam nisi contra mundanas concupiscentias pugnare voluerimus, id à nobis exigente Deo,

foede-

fœdereque eo quod cum Deo pepigimus singuli sub nomine proprio; Tum, & mancipia manemus legum bestialium, & hostes Dei vel Filii iræ. Quod si verò non satis syncere & constanter pugnaverimus, adversus Deum, nosque hostiliter agentes leges; Tum actum est de nobis; Nunquam enim Deo reconciliari poterimus ab hisce temporibus; nullus enim impunis manebit in novissimo judicio, qui media & remedia nostræ liberationis acquirendæ, abigendæque servitutis, hic oblata, aspernatus fuerit; carnem & temporanea Spiritui & Æternis præferentes.

SECTIO VIII.

OMnes itaque affectus in Humano corpore, animales, vel naturales dicti; quocunque tempore, in quacunque ætate, aut sexu, aut persona conspicui; Fructus sunt spirituum vel seminum salinorum terrestrium, in membris Corporis hujus, & per ea nobiscum vel cum spiritu nostro, sub specie tenebricosa, sensibus impervia, vaporosa, ætherea, aut humida, se dilatantium vel contrahentium; aut sub alterutra & sicca quiescentium. Talium fructuum sensibilium, vel eorum insensibilium causarum varietatem, nemo ex integro enumerare potest; Nisi qui omnium specierum, & singulorum earum individuorum quæ sub sole sunt, formas & nomina recensere sciverit. Nihil enim est extra, quod in homine non reperiatur: Nec aliquid habet homo genuini, quod vel à suprà, vel ab infra non acceperit; vel ad tempus saltem, vel in perpetuum possidendum: sive id diutius in homine latitet, sive ocyus reveletur, in interiori ejus vel exteriori corporeitatis anatomia. Singuli homines peculiare quid habent in vultu, in membris, in gestibus, in votis, quo ab invicem omnes discrepant, & quo unus ab altero Vir à Viro, fœmina à fœmina discernitur. Sed illa diversitas externarum signaturarum quantacunque est, ab occultis fluit principiis; Nihil-

quæ aliud est sensui repræsentata, quàm temporanea & aliquandiu saltem durabilis sensibilis imago, rei insensibilis, vel entium æternorum in caduco individuo latentium. Nunquam enim nudi in scenam mundi hujus progrediuntur Spiritus, è scenis suis tenebricosis ascendentes, sed peregrinis corporeitatibus vestiti, nostris se manifestant sensibus; & tamen eandem habent formam in tenebris, quam in luce, nisi quod hæc sit mutabilis, illa non; De hac materia videatur latius Philosophiæ sacræ Tom. 1. Lib. 2. Medit. 42. Quæ extra nos in scenis mundi sensibilibus sensibiliter moventur vel quiescunt; eorum omnium est una & eadem ratio. Nam omnes corporeæ signaturæ, ordinariò in locis superioribus vel inferioribus, heri, hodie, vel cras emergentes, vel occidentes, sunt vestigia saltem peregrinantium inter lucem & tenebras Spirituum; quorum tamen genuina patria, abyssus est, innumerabilis est varietas, & ineffabilis multitudo rerum sensibilium tàm specifica quàm numerica; Sed æque magna in sola specie humana, quæ est in diversis omnium entium speciebus. Plura reperiuntur individua in familiis animalibus, vegetabilibusque uni similia; Sed inter multa millia hominum, rarò reperitur aliquis alteri per omnia similis, ita ut ab altero discerni non possit vel in voce, vel in vultu, vel in gestu. Causa autem tantæ humanarum personarum diversitatis, ipsa lex est necessitatis humanæ speciei soli præ cœteris Creaturis omnibus implantata; ac vestigium multiplicis Sapientiæ Divinæ. Facto enim homine, quievit Creator ab ulteriori creationis actu; & post fictam fœminam cessavit omnis quoad species rerum multiplicatio; Nihil enim perfectioris, generosioris, formosioris produci potuit ex tenebris, homine, qui imago fuit Creatoris; nisi Creator sibi æqualem constituisset alium. Ideò in homine omnes motus generativi assequuntur finem suum, & ab homine retrogradu repetunt diversoria primævæ quietis suæ. Et sicuti lineæ à centro ad circumferentiam ascendentes in hac termi-

natæ, numerari possunt; sed non illæ quarum extremitas à puncto centrali excipitur. Idem quoque fit in homine; nam hic quasi circumferentia est centrorum omnium seminalium virtutum inferiorum. Quæ infernè ascendunt, in loco quietis suæ sunt maximè homogenea; sed in homine concurrentia, heterogenea sunt omnia. Quæ autem in homine retrogredi incipiunt, eorum heterogeneitas sensim obscuratur, atque individua homine inferiora, sensim & gradatim in heterogeneitate deficiunt, in homogeneitate autem proficiunt. Minerales autem & metallicæ corporeitates maximè sunt homogeneæ, solidæ, ponderosæ, multiplicabiles, spirituum congregatorum vincula, difficile dissolubilia; vel puncta centralia & tenebricosa sphærarum mundi hujus sensibilis. Et sicuti homo ab una extremitate omnis multiplicationis fores claudit quoad heterogeneitatem; Ita metalla, inter hæc autem Aurum, ab altera parte omnium corporeitatum homogeneitatem terminant. Nihil auro solidius generari potest inter homogenea; Nec homine quoad heterogeneitatem voluntatum concupiscentiarum, cognitionum, virtutum, aliquod individuum ditius. In corporeitatibus terrestribus, mineralibus, metallicis, & meteoricis, spiritus maxime uniti sunt, ideò vehementissimi & fortissimi. Primas tenent metalla; His vicina sunt mineralia; Meteora nascuntur ex corporibus quidem mineralibus in vapores resolutis, sed mitescere incipit sub eorum forma, mineralium violentia, & ad nutriendum semina vegetabilia accommodari. Nam metalla & mineralia, corpora habent valde solida, sed maximè sui communicabilia, ita ut granum prædictarum corporeitatum sufficiat quoad materialium virtutum abundantiam, nutriendis etiam aliquot centenis vegetabilium seminibus, sive formalitatibus; Quæ respectu animalium iterum materialiter se habent; sicuti animales cum humano collati Spiritu; Metallica autem semina in propriis corporeitatibus & sphæris, formalia obeunt officia; sed alibi

non nisi materialiter se habent; Corpusque humanum exterius, Spiritu ab eo per mortem sublato, redit unde venit, vel fit quod fuit, nempe Terra. Quod dum in nostro Corpore fieri incipit nobis adhuc in eo commorantibus, tum molestias sentiunt Spiritus nostri, hujus corporis membris tanquam instrumentis sensibilibus insensibilium suarum virtutum, cognitionum, & concupiscentiarum utentes. Ex pulvere terræ, sive ex minutissimis minutissimarum terrestrium corporeitatum particulis, omni ponderositate destitutis, nutrimur nos. Sed granum unum mineralis corporeitatis ditius est, quoad virtutes suas materiales, quàm integra corporis hujus moles id ferre possit. Spiritus ponderosi vel metallici movent omnia quæcunque sub luna moventur; Et tamen ipsi libere, vel arbitrario motu moveri non possunt, sed motum animalis, maximè vero humanæ libidinis, sequuntur; ita ut ab homine & bona & mala in omnes familias sublunares deriventur; uti suo loco dicemus. Magnanimi sunt leones; truces ursi; voraces lupi; invidi canes; astuti serpentes; vulpes dolosæ; simplicis columbæ; atque sic singulæ species animalium peculiaris affectus, vel legis spiritus hujus mundi sunt mancipia, nec aliquod animal diversum quid à lege radicis suæ, multò minus ei aliquid contrarii agere vel ex se concupiscere potest. Canis non nisi canem; Vulpes vulpem, equus equum appetit, imitatur, generat. Legi autem radicali, in variis speciebus variante, obsecundantia animalia, valde bona sunt omnia. Sed à bonitate sua naturali degenerant sæpe plurima individua multarum specierum; non quidem vitio suo, sed lascivientis humanæ concupiscentiæ stimulo coacta aut tracta. Non sic volentibus, vel lasciviam illam approbantibus fatis; sed ad eam saltem aliquandiu conniventibus. Cognoscit homo unus plura, quam animalia plurima; ideo quæ ignorant nec concupiscere possunt bruta. Ignorat canis affectus equinos, suillos, ovinos; Ideò nec imitari quærit. Sed homo afficitur non à concupiscentiis

unius

unius animalis speciei, sed plurium, non aliquis saltem, sed omnis, unus quidem altero à pluribus. Ideo sunt homines qui concupiscunt admodum ardua periculosa, scelerata, quorum animi domari non possunt nisi verberibus, vinculis, aut fame aut nece; Alii animos quidem molliores habent; attamen brutales, cœlestium doctrinarum incapaces; quamvis in naturalibus sint dociles. Non potuisset homo, vel nec adhuc posset aliquis, lædi ab aqua, ab igne, à fame, siti, sapore, odore, pondere aut alia aliqua virtute materiali mundi hujus, quamvis violentiori, nisi suâ petulante libidine, & spontaneo nisu, licentiam dedisset, vel daret inferioribus legibus super se liberè & imperandi & dominandi. Dominus enim & Creator eum constituit Imperatorem & Dominum omnium affectuum animalium naturaliumque virtutum. Primi Parentis peccatum nos quidem depressit ad infimas usque creaturarum classes; Non nobis autem esset adeo exitiale, uti fit, quotidianâ nostrâ nequitiâ: Si nos nempe non amaremus profundiùs labi, quàm nos nostri parentes reliquerunt, sive si nos studeremus servare legem Altissimi, quam ille despexit. Nam qui custodit eam, ille potest imperare affectibus, qui super inobedientes dominantur. Verùm quia nos non solum pari libidine, ut illi, ruimus in vetita, sed & multò vehementiori; Ideò non saltem paribus, quibus ipsi, sed & pejoribus indies obnoxii simus molestiis, periculis & pœnis. Frustra itaque molimur abigere à nobis curas, metum, animi anxietatem, per media & remedia, per quæ, vel quibus, suæ necessitati mederi consueverunt parentes nostri. Immorigeræ enim magis nobis sunt hodie virtutes inferiorum, quàm olim fuerunt antecessoribus nostris; imò ingravescit adversum nos earum violentia, ob crescentes in nobis concupiscentias. Nec cessabit à nobis infestandis aer, aqua, sol, æstus, frigus quousque nos non cessaverimus ruere in obsequia in nobis super nos imperantium & dominantium bestialium concupiscentiarum, vel illorum dominium evaserimus.

SECTIO

SECTIO IX.

SAl in ſuo centrali ſed phyſico puncto conſideratus, Spiritus eſt, ſive ſubſtantia nullâ menſurâ ſenſibili, quâ ſenſibilia menſurantur, menſurabilis. Eſt ignis, ſine flammæ veſtigio, vivificans & mortificans, nutriens & conſumens, omnia. Spiritus eſt quidem, ſed Domini non Dominus, nobis in ſervitium à Creatore deſtinatus; ſed à nobis in Imperatorem & Dominatorem evectus. Eſt forma lucis mutabilis, ſive lucifer, ſed tenebrarum princeps; Eſt Spiritus, ſed non ſine Corpore; Corpus eſt, ſed Spirituale; Aqua eſt in aquis; ſine aquea humiditate; Et terra in terra, ſine terreſtri ponderoſitate; Jam magnus, jam parvus, ſemper tamen idem. Eſt generationum & corruptionum omnium origo & comes, claviſque & director omnis digeſtionis & putrefactionis. Sal condit, digerit, maturat, diſſipat, coagulat, ſublimat, repercutit, unit, dividit, ex tenebris in lucem ducit, ex luceque ad tenebras reducit omnia, omnis motus ipſe quoque comes; Cum quieſcentibus quieſcit; mobilibus, movetur; activis, agit; patientibus, compatitur; in luce lucis, in tenebris tenebrarum & nomen & formam habet. Fatorum eſt miniſter fideliſſimus; & concordiæ & diſcordiæ ſeminator unicus. Excitat Venerem, & faſtidium ejus parit; fertiles & ſteriles facit conjuges; Matricem fœminæ, vaſaque ſeminalia ſexus utriuſque, aperit & claudit; Fœtum format & deſtruit; cuſtodit & expellit formatum: Poſt enixum partum, ſitim in genitrice excitat, ingruentis generationis lactis prodromum; alvum & ſolvit & conſtipat. In fœtu nato, ſanguinem juſtâ lege moderatur; indefeſsâ digeſtione graviores ejus fæces vel Spiritus quieſcentes, aut quieti tantum deſtinatos poſt abſoluta eorum officia, ad extremitates manuum & pedum ablegat; leviores ſed inutiles, & mox noxios futuros niſi maturè ejecti fuerint, per in-

terna

terna emunctoria, ad communem excrementorum alveum protrudit; Magis ad somnum inclinans quàm ad vigilias, quousque vaporibus, quibus sanguis, venæ, arteriæ & nervi premebantur à partu, Cerebrum nervosque liberet, imaginibusque extrinsecarum rerum recipiendis capax efficiat: Interea dentium quoque ponit rudimenta, non sine sanguinis fortiori digestione, quam sæpe periculosi affectus convulsionum Epilepticarum authores comitantur. Hinc surgunt rugitus intestinorum, tormina ventris, aliæque molestiæ, ab humoribus videlicet vel vaporibus salsis, amaris, austeris, acidis, ex venis & arteriis ad intestina labentibus, vel verticem Capitis replentibus; qui postea scabie varia vel ulceribus egressum moliuntur. Hæc omnia, hic nominata & innominata sic generantur ex sanguine, sicuti ex musto amurca; vel cremor & serum ex lacte. Et quousque, vel Spiritus seminalis individui se onere quo ab egressu in mundum hunc premebatur, non liberaverit virtute suâ; vel fæces eum gravantes ex Anatomia membrorum & vasorum ejus expulsæ non fuerint, vel sponte moveri non cessaverint; non cessat dolere, vel extraordinariâ siti patienti molestus esse, vel vigiliis. Singulis autem septenariis sive horarum, sive dierum, sive mensium, sive annorum, molitur aliqua nova sal in homine, sive ad vitam & voluptatem, vel ad mortem & dolores subjecti sui facientia; Multi patiuntur varia commoda & incommoda à Sale, intus in ipsis latente, ignari, unde illa vel bona vel mala in eos deriventur; Extra quærunt, quod in ipsis hæret; Et aliunde implorant auxilia, cum nemo alius eos juvare possit, nisi ipsi se juvare vel sciant vel velint. Ex vario salinorum principiorum motu, Anni Climacterici suas trahunt origines; de quibus post dicemus.

SECTIO X.

SPecies Salium in scenis elementalibus sunt innumeræ, multò majori varitate in singulis quoque omnium specierū individuis variantes. In humano autem corpore omnium & singulorū impressiones, iterum in unum concurrunt acervum, sed ineffabili mistione. Ideò inter homines innumerabilis est imaginationum, appetituumque varietas, ad varietatem usque ciborum potionumque, & eorum præparandi vel condiendi diversitatem concernens. Ex quo quid enim constat, eodem quoque ut nutriatur oportet; quousque videlicet inter ea aliqualis intercedit communio. Intrinsecum enim extrinseci index est, Lex & Dux. Pro diversitate itaque personarum humanæ speciei utriusque sexus, ejusque mensuræ individuæ & singularis constitutionis, quam scholæ complexionem vocant, variæ quoque Salium in humano corpore deprehenduntur mixturæ. Ex inferiorum specierum radicibus in id derivatæ, sed aliquandiu sub tenebris in loco commorationis suæ quiescentes, justis autem temporibus à fatis definitis, pristinam in nobis recuperantes formam, & seminalis radicis primæ sensim signaturas suscipientes. Hinc varii in nobis procedunt humores. Sudor & Urina, sales sunt excrementitii ex una radice inferiori prognati, ideò facilè ex una forma in aliam mobiles; nam sicuti sudor in Urinam, ita & Urina in sudorem sæpè commutatur. Ita & alia in corpore contenta, sanguis, pituita, bilis, serum vel ichor, synovia, pinguedo, ossium medulla, membranæ, venæ, arteriæ, nervi, musculi, tendines, cartilagines, ossa, hepar, renes, pulmones, cor, lingua, oculi, ungues, crines dissident inter se; non saltem externâ conformatione, sed & internis signaturis salinis, gustui ipsi manifestis; Et tamen in unius individui œconomiam, corporis structuram, & animalis vitam conspirant omnia. Oculus tamen unius hominis differt ab oculo alterius, imò quandoque unus ab alte-

altero in eodem ſubjecto, non numero ſolùm ſed & conformatione, & diſivæ facultatis diſſimilitudine. Hæc autem diverſitas membrorum in uno eodemque ſubjecto, vel unius nominis in diverſis, à ſolius ſalis materiali varietate dependet, quæ tamen reſpectu ſalis ipſius formalis eſt. In ſpermatis corpuſculo homogeneo, incipit primùm homo à ſe ipſo diſſentire; nam per id ponitur fundamentum peculiare novi individui, ab eo à quo procedit differentis, non numero ſolùm, ſed & aliis ſeminalibus diſcrepantiis quarum externæ ſignaturæ indices ſunt; Spiritus ſeminalis in ſpermate occultus; humanus quidem eſt, nam ex humanorum ſpirituum procedit Oeconomia; Attamen multos ſibi adhærentes habet animales, & quos ſecum in matricem non infert, ex ſanguine tamen materno ſibi allicit, in vitæ futuræ ſocios, à quibus ad animalium legum obſequia ducitur aut trahitur; primùm quidem ignarus eorum violentiæ, poſt autem etiam illis ſe opponens. Spiritus hominis ſeminalis, ab ipſo generationis corporeitatis hujus exordio, & toto ejus vitæ tempore, fatorum ſervus eſt, nihil enim habet amplius libertatis priſtinæ, à Dei Spiritus conſortio divulſus. Ideò cum ſpermate viri in matricem fœminæ receptus, quæ fata volunt molitur, non autem quæ radici ſeminali primævæ hominis eſſent conſentanea: Quamvis ſæpè, vel plurimùm, maternarum imaginationum impreſſiones admittat, quæ tamen æquè ſunt animales ac maſculinæ, quamvis à maſculinis quandoque ſpecialiter differentes; Multum mali conferunt interdum matres fœtui, ſuâ imaginatione, ſemine fabricâ corporis occupato, affectibus internis imperare, multò minus dominari adſuetæ. Ex malis parentibus etiam interdum boni, ſicuti ex bonis mali procreantur liberi; quoad bonitatem ſcilicet moralem, quæ mere eſt fatalis, omni deſtituta promiſſione. Mater autem multum & prodeſſe & obeſſe poteſt fœtui, ſeminis virtutem malam pejerando, vel bonam meliorando, ſecundum quod imaginatio ejus cum ſpi-

ritu seminali conspiraverit, vel ab eo dissentiverit. Quorum enim unum prævaluerit in generationis actu, illius tincturæ comitantur fœtum per vitam integram; Si parens autem uterque degener, nullus quoque alius ex illis præstolandus fœtus.

SECTIO XI.

SAl leviter coagulatus, leviter quoque ab Aere vel Aqua, à levi humiditate vel Frigore immutatur. Ideò fœtus ex utero matris primùm egressus, externi quoque aeris molestiam, ultra alia incommoda cum è matrice egredientem concomitantia, suo gemitu & clamore attestatur, festinatque redire ad contactum formæ ei in utero consuetæ, nempe caloris; Et quia umbilicus negat ei amplius officium suum, externis ligamentis constipatus, ideò ore inquirit familiare sibi alimentum. Ideò contactu solo mammarum se paulatim recolligit, novoque aeri & pabulo sensim adsuescere discit. Hoc tamen est valde mirabile in infante recens nato; quomodo nempe cacare possit, cum tamen nullum cibum ore degustârit; Vel unde illa fæx alvi in intestinis colligatur, quoniam ex stomacho nulla eò derivari possint! Sed hinc, omnibus etiam aliis rationibus absentibus, probari, imò quasi ad oculum demonstrari potest, Venarum mesaraicarum in corpore officium; quod nempe non deferendo chylo in hepar, sed excernendis fæcibus ex Venis totius corporis per hepar dispersis, vel in hepate quasi concentratis, destinatæ sint: uti suo loco clarius demonstrabimus. Quod si verò Infanti à primordio nativitatis, loco materni lactis peregrinum offeratur; id quidem ille sine delectu omni attrahit, attamen ab eo aliquandiu non nihil turbatur; Peregrini enim lactis, peregrina sunt quoque principia intrinseca, quamvis sapor, color, calor sane idem: quantoque magis habitus lactantis fœtum fœminæ internus, ab habitu matris discrepaverit, in tantum

tum

tum quoque immutatur natura vel constitutio Infantis recens nati, sensimque à Parentum seminali impressione degenerans, lactantis naturæ constitutionem induit; Et quamvis in signaturis membrorum externorum patrisset aut matrisset; Interna tamen ejus molimina ad naturam nutricis de die in diem magis declinant; vel sic miscentur omnes invicem, ut fœtus nutricem filiali amore prosequatur, à matre animo abalienatus. Et quamvis nutrices sæpè ipsâ matre sint validiores, quoad complexionem earum corporeitatis: Novitas tamen pabuli fœtui peregrini, si non æque periculosam semper & diuturnam; attamen molestam ei primùm causatur intrinsecùs in sanguinis digestione mutationem, donec principia sanguinis fœtus cum principiis nutricis omninò convenerint. Sed periculum id molestiæ in Infante, semper declinari nequit, nisi infans in majus præcipitari malum debeat. Quo magis autem diffidet lac materialibus signaturis à constitutione fœtus, tantò vehementiores & periculosiores exoriuntur motus in œconomia Spirituum ejus. Spiritus enim sunt qui primùm afficiuntur à con- vel à dissentaneis, & ab his derivantur quoque varii in anatomia venarum motus, principiorum sanguineorum. Hinc à dissentaneis principiis surgunt tormina in venis & intestinis; rugitus intestinorum, distensiones venarum, jactationes membrorum, singultus, vomitus, Epilepticæ convulsiones, cruentæ alvi dejectiones; aliique plures morbosi affectus, ex peregrino lacte peregrino sale, vel salinis tincturis, constitutionem infantis adhuc teneram, & à levissimis quibusque causis mobilem, perturbantes. Quandoque & maternum lac, ob ingentem sanguinis perturbationem quæ in ipso partus actu in eo oboritur, fœtui est noxium; ita ut conducat infanti per aliquot dies id negare, quousque sanguis in matre quietior evaserit, vel per ejectionem excrementorum ejus, vel eorum ad inferiora prolapsum & præcipitationem: Ideò prudentiores fœminæ in talibus casibus, infantem vel calidæ ce-

revisiæ vel vini modico saccaro conditi haustu per dies aliquot alunt, nec citius ad sugendas mammas admovent quàm melius se habere senserint; aliæ autem statim à partu fœtum lactant, ut ejus suctu à molestiis intrinsecis liberari possint ocyus, atque sic & se ipsas & infantes in magna vel periculosa mala detorquent. Infans quamvis mutus sit, tamen suo gemitu & vigiliis, peregrinarum tincturarum earumque valde acrium, in lacte degustato præsentium, attestatur indicia; Sæpe & ipsarum papillarum tumores rubri & duri idem demonstrant. Quia autem Salinæ sunt tincturæ à quibus & infans patitur & mater; ideò ille valde sitibundus est, & sæpius lactari postulat; Quod si autem ei sitienti lac negatum fuerit, vel alius aliquis humor ad sitim restinguendam idoneus; (id autem fit sæpè, ob incommoditatem lactantium;) ideò à lacrymis non cessat, quousque sitim sedaverit. Exhibito autem ei vel lacte, vel potu alio ad societatem; tum frequentiori vel vomitu, vel alvi dejectione, aut Urinæ copiosiori fluxu suis se molestiis exonerat, & quietior de die in diem fit; Nisi nova ex sanguine novorum dolorum erumpant seminalia; quæ tamen, per vehicula à natura desiderata, ex corpore evehuntur, cum magno fœtus commodo, & futuræ valetudinis certitudine; Quod si verò infanti negata fuerint necessaria, tum ille vel diu valetudinarius erit, vel citò morietur.

SECTIO XII.

Hujusmodi affectus incipiunt, recrudescunt, & terminantur in Infantibus circa septimum quodque vel horarium, vel diurnum, vel menstruum, vel Annale intervallum; Ita ut octavo quoque prædictorum temporum termino, cesset quæ præcessit sanguinis ebullitio, novaque succedat, extraordinariarum in Infante virtutum, vel in sanguine ejus fœcum, ferax: Quod idem & in adultioribus ad oculum quasi contingere observari potest.

Sed

Sed de talibus fatalibus periodis ebullitionum ſanguinearum, alibi latius progrediemur. Circa prædictos terminos non ſaltem in corporeis ſignaturis, ſed & in animo infantis quotidie novæ ſuboriuntur varietates, cognitionum, & deſideriorum augmenta, greſſionis & ſermocinationis profectus; bonæ valetudinis futuræ & indolis indicia. Quouſque pedibus ſuis inniti nequit infans, eòuſque & lingua in officiis ſermocinationis deficit: ſanguinis autem optimè in Infante defæcati, loquela & greſſio, ſigna ſunt indubitata. Nunquam autem ſaltum facit Natura, ab uno extremo ad alterum, ſed in uno deficiens in altero proficit; Nec citius omnino abſoluta eſt prima ſanguinis defæcatio, quàm infans perfectè pedibus inniti poſſit, dentesque omnibus numeris abſoluti fuerint: Quæ tamen omnia greſſionem ſequuntur aut comitantur, raro præcedunt. Quod ſi autem contingat aliquando quod loquela præcurrerit greſſionem; id periculo non caret ſuo; nam in proximo eſt nova aliqua in ſanguine ſubſecutura mutatio, patienti valde moleſta; Sæpè etiam fit quod externâ educatione Natura ſatis vegeta peſſundetur, & infantes à parentibus curioſis admodum; in periculoſos & deſperatos præcipitentur affectus, aliud quid intendentibus: Qui enim parentes ad ingenium ſuum flectere volunt ætatem teneram, & quaſi cogere invitam, illi valde ſunt noxii & pernitioſi liberis ſuis. Ideò hoc ſciendum eſt, quod non melius habeant, nec tutius vivant Infantes, quàm affectibus ſuis relicti in merè naturalibus. Delirant ſæpe parentes non tam ſuo quam Medicorum aliorumque amicorum vitio, ab illis ſic agere perſuaſi; Infantis membra vel arctius conſtringentes; vel quid pro quo, cibum pro potu, utrumque alium quàm natura poſcit, ſubminiſtrantes; Natura non vult cogi ab arte, ſed ad fines ſuos ſe duci patitur, non per ea quæ ars ei conducere judicat; ſed per ea, quæ ipſa exacuatis intrinſecis deſideriis ſibi à patiente vel ei adſtantibus ſubminiſtrari poſtulat. Et quamvis plurimi, periculo-

ſiſſimi-

sissimique morbi, vel affectus, ex profundissimis sæpè fluant silentiis, & causis sensuum judicio imperveſtigabilibus, atque ob eam causam inevitabiles sint, nobis à sensuum judicio non nisi dependentibus; Tamen & fatorum leges necessitativæ, sæpius à nobis in melius vel pejus transmutantur, nostrà naturalibus affectibus negatà, vel ab arte coactà obedientià. Nam si facta extrinseca conspiraverint cum internis desideriis; Tum fatorum fines non fallunt: Sin minus! Tum natura aberrat in scopo suo, quoad signaturas materiales. Ex hoc principio fiunt morbi continui ex intermittentibus, & diuturni; qui non nisi intervallares fuissent, & brevius duraturi; nisi Natura à suo cursu, nostrà imaginatione vel contrario nisu deturbata fuisset. Non minus enim naturale est homini esurire & sitire, quàm cacare & mingere. Ideò sicut urina & stercus, ultrà tempus debitum in nobis retenta, innoxia non sunt: ita cibo vel potu destituta Natura, alterutrum efflagitans; remoratur opus & finem suum; ita quoque si alius ei porrigatur, vel desiderato contrarius. In naturalibus desideriis homo & mere est animalis, & ut sit necesse est; Animalis autem natura non paret legibus peregrinis, sed cujusque speciei suis propriis est alligata; vel si parere cogitur ad tempus; nunquam tamen absque periculo subsecuturi mali. Objice cani, equo, aut bovi ægro pabulum aut potum etiam suavissimum; neutrum citius gustabit quàm quem ei gustare suaserit appetitus ejus intrinsecus; nullo habito delectu temporis; Nam jejunè bibunt omnia, quæ sitiunt prius; Et edunt quæ esuriunt; nec bibent vel edent nisi ab intrinseco coacta principio. Nos autem homines rationales nominamur, sed animalibus rudiores sumus; nostro ipsorum malo.

SECTIO

SECTIO XIII.

Adultiores quidem, vel qui externis objectis, longiùs vel brevius delectari, iisque variare, prolibitu assuefacti sunt; facilè quoque errare possunt, in famis, sitis, aliarumque naturalium concupiscentiarum satiatione, ejusque excessu vel defectu, usu vel abusu; ciborum & potuum mensura vel delectu: Sed infans tener adhuc nequaquam: Hic enim non externis objectis, sed internis solum movetur affectibus. Leges autem vel deæ intrinsecæ, modum, formam, numerum, actionum extrinsecarum præfigurantes, vel efflagitantes ab animali; non sunt noxiæ vel vitæ vel valetudini corporis sui; Aliàs non possent dici seminales; sed peregrinæ, ut extrinsecæ persuasiones tales sunt; quæ contra expressum desiderium cujusque individui pugnant, externis objectis vel persuasionibus, non autem necessitati parentes: Homo autem ideò dicitur rationalis, præ cæteris animalibus. quod solus inter omnia naturalibus affectibus imperare vel sciat vel possit, vel debeat; nempe illis, quæ contra ordinationem divinæ legis pugnant, non autem contra omnes indifferenter, vel contra eos qui sine periculo vel vitæ vel morbi declinari nequeunt. Omnis verò homo, à primis exordiis humanitatis suæ, animalis planè est, & talis per vitam integram mansurus; nisi externis Divinæ Sapientiæ documentis eruditus, licitos affectus ab illicitis discernere, necessarios à voluptuariis, atque sic se ipsum à natura bestiali dignoscere, sciverit. Nullæ sunt autem leges Divinæ, quæ doceant nos in necessariis & mere naturalibus reniti; Sed illis solum quæ tales nobis esse videntur cum revera non sint, sed tantum arbitrariæ, & superfluæ. Quod si verò infans naturalibus affectibus relictus fuerit, à parentibus neglectus regularum Divinarum ignaris, tum ille ideò non pejus habet, quod naturæ ductum sequatur; sed multò vegetior est quam qui leges artis arctius custodit; id mille doceat exempla eorum hominum qui

nullam sapientiam humanam in suis quotidianis, sed solius naturæ seminalis ductum sequuntur; Legantur Historiæ, & reperies homines barbaros, Indos nempe, & cultu omni humanæ industriæ destitutos & vivaciores & vegetiores Europæis; Animalia quoque sylvestria à consuetudine humana remotiora in omnibus vitæ valetudinisque carnalis dotibus, & homines excellunt, & pecudes hominibus familiares, quæ videlicet operâ humanâ egent ad satiandos suos quotidianos affectus. Senes enim sibi similes per omnia pariunt catulos, non internis tantum affectibus, sed & externis sensibus pares. Animalia autem domestica, sive pecudes, canes, oves, boves, sues, equi, feles, gallinæ, aliæque pecudum species in suis individuis valde variant, ita ut quodlibet individuum in novam quasi speciem, à parente suo diversam, degeneraſſe videatur, & quoad intrinseca molimina, & externas signaturas. Ita ut varietas individuorum speciei cujusque animalis domestici, multiplicitatem humanorum vultuum in dissimilitudine exæquare certum sit; Atque sicuti una ita & altera varietas non nisi ab uno principio, vanissimæ nempe humanæ imaginationis lascivia, trahat originem. Somni autem & vigiliarum, quamvis & hi affectus ex necessitate naturali in hominem deriventur, præsertim in infantibus, alia est ratio; nam non conducit homini semper indulgere somno dum dormiturit; Nam peccavit sæpe prius in naturam, vigilando, eam ab eo somnum exigente; ideò immaturâ vel nimiâ somnolentiâ luit peccatum prius; Animalia omnia ideo saltem vivunt ut humanæ succurrant vel serviant necessitati, scilicet carnibus suis, vel pilis, & vellere, vel adipe, excrementis, excrescentiis; aliisque mille modis; ideoque saginantur ut mactentur; Homo autem aliis est per vitam suam destinatus officiis, ad gloriam videlicet Creatoris sui; hæc autem non somno pressus, sed vigil & sedulus exequi debet; nec plus indulgere naturæ animali, quàm necessitas sola exigit; Attamen & hic variant leges Creatoris, nam Hyeme longior, in Æstate parcior.

cior.

cior ei conceditur somnus; ideo ipsius hybernæ quieti providet necessaria, Director omnium DEUS, æstivorum videlicet fructuum ubertate, & messe eorum larga.

SECTIO XIV.

Mutationes & formarum, & nominum salinorum principiorum multiplices; sive illæ in nobis fiant, sive extrà nos in aliis subjectis; vel fati, vel externarum causarum violentiâ irritentur; sive ad dolorem, sive ad voluptatem vergant; sibi ubique sunt similes; suisq; extrinsecis vel intrinsecis idæis vel signaturis & imaginibus suæ radicis primævæ docent ordinem vel scenam; Nam quæ ad vitam hanc faciunt, omnia in nos ab inferioribus speciebus transplantantur, ordine pulcro, & nostrâ ratione pervestigabili; si ea saltem nos ritè uti sciverimus. Quæ vero ad futuram vitam conducunt, sive cœlestem gloriosam; illa desuper nobis communicantur, modis & mediis omnes mensuras naturales transcendentibus. In corporibus homogeneis quiescentes mundi hujus virtutes, omnes apparent esse homogeneæ, quamvis abyssum complectantur in homogeneitate suæ immensæ multitudinis. In corporibus heterogeneis heterogenea apparent, quæ tamen extra ea in homogeneis latuerunt corporeitatibus homogenea. In centrali suo puncto quiescens Sal, valde exile est & parvum quoad mathematicam extensionem; sive non nisi ponderosum, aliis signaturis omninò carens, In superficie autem latissimam occupat vel replet sphæram, sed sine pondere, plurium sub ea forma signaturarum capax, nempe calorum, colorum, frigiditatum, odorum, lucis & tenebrarum; & tamen idem & unum est ubique sal, sive sub pondere quiescens, sive sine pondere varias suscipiens formas, antequam sub leges ponderum iterum redigatur. Nam ex metallica ponderositate in meteoricam, mineralem, vegetabilem & animalem ascen-

dendo, multiplicat quidem se ipsum, non in pondere, sed ponderum diversitate ubique, donec longiori circulatione primævum reassumpserit pondus. Jam ex metallis & mineralibus fiunt meteora, vegetabilia, animalia, eorumque carnes, sanguis, ossa, excrementa, humores, urinæ, sudores, biles, cornua, ungulæ; Jam ex his iterum gramina, cœnum, terra, mineralia, metalla. Sicuti extra nos, ita quoque in nobis ascendit & descendit, se explicat & contrahit sal, jam animalem, jam vegetabilem, jam mineralem induens vel exuens corporeitatem; jam ponderosus, jam sine pondere in nobis se exercens. In extremitatibus pedum quiescens sal, est ponderosum tantum, & nobis sub ea forma valde utile, nam multum conducit nobis ad motus agilitatem; Relinquens autem suæ ponderositatis & quietis formam; integram sanguinis anatomiam permeat, per omnia & singula membra dispersus; (quod quomodo, & quando fiat, alibi docebimus) variè nos afficit, prout in signaturis suis centralibus vel animali, vel vegetabili, vel minerali, vel meteoricæ, vel metallicæ scenæ appropinquaverit magis. Non nunquam enim solos sensus & sensoria afficit; absque mentis perturbatione; Interdum hanc solam turbat absque omni sensu doloris, vel sensoriorum damno: Quibusdam jucundum & utile, sub hac forma; aliis triste, horrendum & noxium; Nam sal animale animales; vegetabile vegetabiles; meteoricum, meteoricas; minerale, minerales; metallicum, metallicas in nobis excitat signaturas, vel signaturarum imagines; sive dormientibus sive vigilantibus. Ex sale animali variæ surgunt sagacitates, futurorum præsensiones, iræ, odia, amores, inventiones rerum novarum, insomnia, aliique mentales impetus, tam ordinarij quàm extraordinarii; in homine enim solo omnes omnium specierum leges, & virtutes hospitantur, sed sub profundis quolibet recessibus, ita ut in uno hæ, in altero aliæ in lucem erumpant. A vegetabilibus salibus magis afficiuntur sensoria

quàm

quàm sensus; vel sensus quàm mentes; vel membra superiora, quàm inferiora; A mineralibus autem magis inferiora quam superiora, ossa quàm carnes; si autem in superioribus quoque se manifestaverint mineralium virtutes, tum eorum signaturæ & violentiâ & duratione, excellunt vegetabiles; Nam sicuti meteora ab inferioribus hauriunt violentiam signaturarum suarum, calorum, frigorum; motuum; ita quoque omnia vehementiora in homine, non aliunde quàm inde, suas nanciscuntur virtutes, vel virtutum discrepantias. Hinc odontalgiæ, cephalalgiæ, epilepsiæ, apoplexiæ cum suis speciebus derivantur. Hinc phlictenes, lentigines, phlegmones, erysipelata, cardialgiæ, colici dolores, dysenteriæ, calculi, contracturæ, hæmorrhoidum passiones, gonagræ, chyragræ, podagræ, ischiadici surgunt, cum suis speciebus affectus vel dolores; Qui vegetabilibus cedunt medicamentis; inde quoque trahunt originem; sed mineralibus mineralia & metallica opponantur necesse est. Unus idemque numero sal, ex scena inferiori in superiores delatus multifarios causatur dolores, pro diversitate membrorum diversos; Suisque variis formis in superficie variantibus, illudit cogitationes hominum à sensu dependentium Protheus; ita ut sibi ab ipso vix cavere possint prudentissimi: Discrepant quidem variis & contrariis nominibus salini fructus in humano corpore, ab iis qui in aere vel majori mundo fiunt, ita ut alium patrem mentiuntur in nobis quàm mundo majori; Et tamen idem est Sal quod in nobis est, & extrà nos in aliis speciebus; quod extra nos aerem turbat, & in nobis spiritus, humoresque. Externorum est cum internis arctissima affinitas, & ab uno eodemque principio fluens horum & illorum Sym- & Antipathia. In nobis omnia mitiora sunt, extra nos vehementiora vel graviora; In nobis plura quoad nomina & numerum virtutum; Extra nos quoad gradus signaturarum materialium vel sensibilium. In nobis minimæ imò insensibiles particulæ, omniqueæ

corporeitate destitutæ formæ terrestres; extra nos magnæ moles earum.

SECTIO XV.

IGitur quæ vel quales mutationes & formæ nascuntur vel fiunt extra nos, in scenis elementalibus, mineralibus, metallicis, vegetabilibus & animalibus, alicujus salinæ radicis vel virtutis; Illæ ipsæ vel tales, eodem modo & methodo, formâ & fine fiunt quoque in nobis; Microcosmus enim est corpus cujusque nostrum; nihilque eorum deest nobis quæ extra nos in majori reperiuntur mundo; hoc saltem discrimine, quod aliquæ non nisi sub tenebris in nobis occultentur, aliquæ non nisi idealiter aut imaginotenus nobis repræsententur; paucissima ea sunt quæ nobiscum unita sunt fœdere illegali, & quæ nos nostra esse pronuntiamus, cum tamen revera non sint, sed peregrina, ac ea quæ in aliis videmus & pro nostris non agnoscimus. Quandoque autem in nostrum aliquo exotica salia sic fructificant, uti extra nos in locis à nobis valde dissitis, cum ingenti admiratione & stupore animi nostri, aliorumque nobis vicinorum. Mirum enim & stupendum videtur, si in aliquo nostrum nasci videamus aurum, vel argentum, vel ferrum, vel cuprum, vel stannum, vel plumbum, vel lignum. Et tamen aliquando factum loquuntur historiæ. Ita & humores æquè aeres & corrosivos in nobis reperiri ac extra nos, ægrorum attestantur querelæ, & ulcera omnis generis maligna phagædonicæ, carbunculi, bubones, cancri, fistulæ, sphaceli, gangrænæ, &c. Lapides verò in nobis nasci quotidiana docet experientia. Fœminas prægnantes, loco humani fœtus, molas, imo interdum metallicam massam aut mineralem enixas, aliaque generis monstrosa, quamvis raræ, veræ tamen narrunt historiæ. Puellas non nuptas, sed solius menstrui obstructione laborantes, per os clavos

ferreos,

ferreos, acicula, cultros, aliaque ferramenta, ut & pilos & lanas, cum magno quidem conatu, sed sine salutis & vitæ dispendio, ejecisse, plurimi fide digni testantur Practici. Tonitru autem aliquando in nobis auditum, vel fulgur visum, vel pluvias, vel grandinem, vel iridem, vel nivem, vel glaciem in nobis generatam, ad instar externorum; nulla occurrunt exempla. Quod autem in nobis æquè ac extra nos, violentæ exoriantur exhalationes minerales, concussionum & convulsionum mortiferarum authores; nemo ipsi id persuadere patietur, nisi ille qui eorum violentiâ exanimatur; Et proinde quid & quantum fuerit id in eo quod eum necavit, morte repentina eloqui impeditur. Leones, ursos, canes, vulpes, lupos, aves, pisces, vel aliquod aliud simile animal ex homine natum nunquam auditum; Non quidem ob defectum formalitatis talium creaturarum in nobis, revera enim in nobis omnes totius mundi spiritualitates adsunt, sed ut dixi, idealiter saltem, vel materialiter; rarò & in paucissimis individuis faciunt quod sciunt rerum inferiorum in nobis imaginativè existentiū seminalia. Vermes verò, variæ formæ, longitudinis & magnitudinis in nobis ex nobis nasci, nemo negare potest. Sed affectus animales, omnis generis animalium specierum, in nobis quotidie omnibus & singulis vivere, nempe concupiscentias, imaginationes, virtutes, si non alius quis, lex tamen Divina attestatur, nos ab eorum obsequio dehortans, & ad humaniter vivendum largis promissionibus invitans. Unde quæso tam variæ vociferationes & gesticulationes, in ægris illis quos à dæmonio obsessos nominamus, oriuntur, nisi à spiritibus illis, quorum voces & gestus per ægros exprimuntur; Si dæmonia surda & cœca sunt, quæ tales efficiunt obsessos; Certe & sunt animalia, quæ in hominibus ea quæ in bestiis patrant; sed de his suo loco. Quod autem vetat in humano corpore reperiri animales Spiritus; cum una & eadem terrestris abyssus sit parens & bestiarum & corporeitatis nostræ; Quid vetabit dæmonem operari, unde exulat Deus.

SE-

SECTIO XVI.

NOn omnes itaque mutationes vel generationes in nobis fientes, ex externarum rerum in nobis tamen hærentium seminariis; omnibus, imò nec illis in quibus fiunt, per causas suas manifestæ sunt; Quidam nostrum omnes ignorant, quamvis varias quotidie perpetiantur. Quidem paucas tantùm agnoscunt; Quædam earum etiam non nisi intellectui se insinuant; quædam sensui; quædam solis patientibus; quædam & adstantibus. Medicum autem nullæ omninò latere debent, nec eæ quæ in profundissimis recessibus fiunt; Sed ille omnes scrutari & cognoscere tenetur etiàm citius quàm fiant; quo omnia rationabiliter agere possit, nulla vel opinativè, vel dubitativè, vel ad placitum aliorum, aut Vulgi applausum: Uti agunt Empyrici, audacter potius & temerariò, quàm prudenter sua tractantes: Spirituales signaturæ idearum, vel imaginum in nobis obversantium, ob summam subtilitatem & velocitatem, omnium sensuum censuras effugiunt: Sed corporeæ, corpora sensibiliter afficiunt; soli sensui adversæ vel infestæ, aut sensoriis noxiæ. Non autem omnia quæ spiritus terrent & affligunt, sensus quoque afficiunt, vel sensoria destruunt; Quædam præstant utrumque, quædam alterum saltem. Sensibilium signaturarum inæquales sunt gradus, & multifariæ species, sic & materiæ vel receptacula; alia aliis magis divisibilia; talis est & internarum ratio, tàm earum quæ mentem, quàm quæ sensus afficiunt. Quædam uti subitò invadunt, ita subitò relinquunt sua subjecta: quædam sensim & augentur & minuuntur; quædam evanescunt & dissipantur omninò, ita ut nihil eorum remaneat; quædam exhalant quidem sed aliquam notam sui post se relinquunt. Somnia sunt quædam rerum tantum imagines, non res, quædam & res & imagines: Ita & phantasiæ delirorum, epilepticorum, & eorum qui obsessi dicuntur; ideò præsagiunt quandoque vel prænunti-

nuntiant futura, tales ægri; quia rerum futurarum in se habent imagines, easque adeò fortes, ut & linguam & membra patientis moveant, ad similitudinem formæ internæ. Sæpe ex cibis in nos derivantur rerum absentium imagines; interdum occasione hujus vel cibi vel potus excitantur saltem quæ in nobis latuerunt, aut latuissent, nisi à certis causis irritatæ fuissent, vel in lucē tractæ. Ebrii à spiritibus vini in furorem cientur, non tamen omnes; nec ii qui furiunt omnes æqualiter furiunt. Sed ægri, vel deliri, furoris sui augmenta & fomenta in sanguine habent; Quos si acuerit ebrietas, non tamen tollit ipsa cessans; Nonnunquam evacuatâ sanguinis portione majori vel minori, dissipantur imagines vel mentem vel sensum perturbantes; sæpe phlebotomiâ, etiam sæpius repetitâ, nihil remittunt. Nam si quis effuderit ex vase aliquo aquæ salitæ ingentem quantitatem, minima tamen illius portio salis erit; Ita si per phlebotomiam infecti à sale sanguinis evacuatum fuerit valde multum, sive ad animi usque defectionem; minimum tamen in ea quantitate fuit sanguinis inficientis. Granum unum croci tingit libram integram aquæ; Ita in sanguine hærent seminaria quædam, quorum portio minima sæpe integram massam ejus inquinat; imò inquinare posset & majorem quàm est præsens, ob divitias tincturarum suarum. Nam sicuti extrà nos, ita & in nobis, reperiuntur corporeitates quoad pondus, vel quantitatem valde exiguæ, attamen valdè divisibiles vel sui communicativæ; aliæ in uno grano plus, & variarum tincturarum possidentes, quàm aliæ in drachma integra, vel unica corporeitatis suæ; nam aliæ denarii, aliæ centenarii, aliæ milleuarii adæquant, in sua unitate, latitudinem. Talia sunt omnia ea quæ vulgus venena, vel venenata nominat. Miratur hæc vulgus, & cum vulgo multi celebriores viri, proprietatum salini principii ignari. Sed nota sunt Spagyris, omnibusque illis qui quotidie in scrutinio rerum naturalium laborant. Qui autem non nisi sensuales vel litterati

sunt Physici & Medici, sive qui non nisi sensibilia tractant secundùm litteram, & ocularem demonstrationem; Illi non quidem semper in manifestis vulneribus, sed plerumque in examine occultiorum morborum errant; Non causam pro causa; affectum pro afficiente; subjectumque pro causa substituunt, cum magno veritatis dispendio, & patientum incommodo. Prolixum nimis esset omnes errores, fallacias, ineptias, dolos artificum recensere, & causas singulorum affectuum veras, assignare velle; Passim hæc hic omnia deprehendentur à sedulis lectoribus. Amicus Lector, suas plenitudines nostro defectui, suoque, nostras experientias reconciliabit, atque sic in prudentem Medicum evadet, & aliis evadendi commodam objiciet occasionem.

SECTIO XVII.

Dividuntur morbi, vel affectus morbosi in scholis Medicorum, in endemios & epidemios: Endemii dicuntur morbi illi qui non per universum grassantur orbem; sed alicujus saltem Regionis incolis sunt peculiares; Atque tales morbi proveniunt ex mineralibus principiis, & in homines transplantantur cum cibis & potu, sive à natura producto, sive ab arte facto: Alpium incolæ strumosi sunt; Bohemi tartareis morbis præ cæteris nationibus vexantur magis. Podagrâ nempe & Calculo: Sed & Endemii valde variant, pro varietate locorum etiam vicinorum: Exemplum allegabo saltem unum, attamen Bohemis plerisque notissimum; Cives Litomericenses non nisi Podagrâ & Calculo laborant; Sed Melnicenses non nisi Phthisi & tussi, cum ingenti manuum tremore, quamvis non nisi tribus miliaribus ab invicem dissideant; Raro quis inter Melnicenses Podagrâ vel Calculo; ita inter Litomericenses Phthisi laborat; Manus quidem tremulæ utrinque reperiuntur, sed Melnicii vehemen-

mentius; Quod ad solum attinet, utrumque est petrosum, vini, omnisque generis fructuum ferax; Litomericii tamen non nisi album, Melnicii rubellum bibitur; ac albo hîc generosius; illic autem rubro. Sic quælibet tellus peculiare quid habet; Et quamvis omnis proferat fructus unius nominis; Vel aves pisces, feras & pecudes alat; attamen tincturis materialibus inter se dissentiunt omnia, quæ in diversis proveniunt locis. Aurum auro; argentum argento, ferrum ferro, stannum stanno, unum est præstantius altero: sic se habent sapores, odores, colores vegetabilium; ita quoque variant & sapores carnium Animalium; Hic bovina præstantior est, illic ovilla; hic gallinæ, illic anseres & majores & nobiliores proveniunt. Et sic, per consequens, & incolæ ab incolis ingenio, viribus, docilitate, humanitate, valetudine, longævitate, aliisque dotibus naturalibus discrepant: Hæc autem varietas non fluit à soli tantum diversitate, fertilitate, sterilitate, macie vel pinguedine, aut situ; sed ab ipsis spiritibus seminalibus; Si enim ob solius terræ diversitatem discreparent ex terra provenientia; tum vegetabilia ex uno loco transplantata in alium, diffiderent saporibus vel aliis signaturis, ita & bos Danicus alibi altus, pro diversitate pabuli, mutaret saporem carnis; sed id non fit; nam ex diversis Regionibus in pascuum idem congregati boves, diversas tamen habebunt carnes, alius alio sapidiores; Bovini tamen saporis, & ab ovinis valde differentes; Et sicuti carnes ita & pinguedines eorum discrepant vel ad tactum ipsum, nam aliæ aliis & pinguiores sunt, & duriores & sapidiores; ita ut hæc huic, illa alteri usui ad humanas artes accommodentur. Quod si vero à solo pabulo derivaretur saporum differentia, tum caro bovina ab ovina nullo modo discreparet, uno eodemque gramine vescentium. Ita si mille homines iisdem vescerentur quotidie cibis, & eodem uterentur potus genere; nequaquam tamen sic reconciliari possent animis, ut idem vellent omnes quod unus; sed quæ fuit ante inter virtutes, cognitio-

gnitiones, & concupiscentias eorum dissimilitudo, continuaret & post. Sal enim seminale se non patitur transplantari, ita ut fiat quod non fuit; sed quamvis admittat mistiones aliquas peregrinorum seminum, ei aliquomodo affinium, ita ut vel nomen vel formam externam sæpè mutet, quoad judicium sensuum; nunquam tamen à suæ naturæ lege secedit; Sed mineralem conditionem retinet in corpore vegetabili & animali, sicuti animalem in minerali & vegetabili à sensuali saltem cognitione abstractam. Hæc latius demonstrabimus in Philosophiæ sacræ opere, de natura seminali: cujusque speciei acturi. Nulla Regio sublunaris ita aliquid proprii habet, ut nullum ejus simile reperiatur in altera: Nisi quòd in una pluribus idem sit commune; In altera autem non nisi paucis idem familiare: Unum non nisi uni interdum utile, in hoc climate: sed in alio, idem pluribus vel omnibus necessarium. Ad humanum ingenium se accommodant omnia, quæ ubique terrarum proveniunt. Humanus itaque animus omnia inferiora trahit in sui obsequium, ita ut eum sequantur quoquo vergit, vel in bonum vel in malum. Ex peculiari cujusque Regionis incolarum vivendi consuetudine, ciborumque condiendi apparatu & varietate, de varietate quoque morbosorum affectuum fieri possunt à prudentioribus Physicis judicia. Morbi endemij non aliter discrepant ab epidemicis, quam vinum Hispanicum à Gallico, vel utrumque à Rhenano & Hungarico; vel etiam quod in unius provinciæ diversis vinetis natum, à suo conterraneo; & omnia ab aqua; Nam Vinorum omnium & singulorum magna est discrepantia, in saporibus, odoribus, coloribus; singulorumque iterum variis gradibus. Et quid mirum quod vina tantopere discrepent, nam & uvæ unius ejusdemque vitis differunt ab invicem singulæ, imo & grana uvarum, quamvis ab una vite pendeant omnes, atque ono eodemque succo alantur, soleque & solo foveantur. In rebus extra nos sitis, magna est ubique discrepantia, dissimilitudo & in-

& inæqualitas; Vel major eſt in vultibus, in imaginationibus, deſideriisque humanis; Nullæ enim creaturæ nobis libertate ſunt æquales, multò minus nobis ſuperiores. Omnia ſemina inferiorum creaturarum peculiares ſibi implantatas à Creatore habent leges, aliquid ſic, taliter, hic, toties agendi, cognoſcendi, volendi, fugiendi, declinandi; non aliter, non alibi, non ſæpiùs vel rariùs, non longiùs vel breviùs; Quas leges ſingulæ & ſpecies & Individua ſtudioſiſſimè cuſtodiunt, nullamque habent ab ea deflectendi cognitionem vel concupiſcentiam. Quod ſi autem interdum alicujus ſpeciei individuum aliud quid egerit, à lege ſpeciei ſuæ diverſum; nihil tamen agit contrarii; nec ſi aliquando aliquomodo peccat, ſponte peccat; ſed humanæ concupiſcentiæ laſcivià trahitur & cogitur aberrare à ſcopo ſuo; hominique imputatur erroris illius labes, quamvis & peccans immune à pœna non relinquatur, ſed ejuſdem condemnationis cum homine reum fiat. Quamvis autem homo Imperator & Dux ſit omnium motuum inferiorum qui illegitime fiunt; Fit tamen ſæpe eorum quoque & comes & ſervus; ita ut fallatur exiſtimans ſe ſuam libidinem ſequi, cum tamen ſequatur peregrinæ legis vel imperium vel dominium, intus in eo, non extra eum hærentis: Ita amat, ſitit, eſurit, affectat homo multa extra ſe, non ſuæ ipſius vel genuinæ legi obſequens, ſed vel brutali, vel vegetabili, vel minerali. Amor in amante non eſt ejus actio ſed paſſio; Ideò qui amat alterum, nihil ei communicat de ſuo; ſed reddit amato, ab eo acceptum. Amamus DEUM, ſed à DEO dilecti. Amamus mundum; quia in nobis hærent quæ mundi ſunt, non noſtra; Niſi terreſtria prævalerent nobis, in nobis; tum non amor eſſet vinculum amicitiæ inter nos mutuæ, ſed noſtrum dominium ſubigeret ſibi terram in ſervitutem, ſemper, ubique, & omnem. Voluptas quam in nobis procreat amor terreſtrium; fallacia eſt, à fallaci ſpiritu mundi hujus noſtro inſtillata vel præfigurata ſpiritui; non poſſemus

ustitiam exercere, nullus labor est; Hæc enim omnia ultrò nuant nobis, si illa mortificare studuerimus. Ideò ille spirtuosus est censendus inter nos, qui saltem concupiscenzam, cujus mancipium ab exordio humanitatis fuit, hæc nihil aliud est quàm spiritus Satan, Deo & hominibus infen- se ipso subigere didicerit. Qui autem hanc negligit; ille iæ conversationis occasione, quamvis illa speciem virtutis ulet, de die in diem pejor fit, vel fieri discit, quàm fuisset fu- , si externas informationes neglexisset, vel naturæ propriæ ibus relictus fuisset: Nam humana sapientia non docet vir- ppetere, sed saltem vitia occultare; Est quidem & utilis & ria, nostrum cuique cum hominibus tantum agenti, sed judicio Dei, Angelorum, & Sanctorum, erit fomes æterni

Gentes illæ, quibus nulla Divina lex cognita est, condem- nt nos Christianos in die judicii, qui titulis Divinæ sapientiæ modum superbimus, nihil intus Divini possidentes. Hæ contentæ suo tellure natis, affectibusque innatis, saluber- generant liberos; Parentibus quidem quoad animales piscentias pares, non tamen pejores; sed nos Christiani de s in dies pejorescimus, & ab antiquorum integritate dege- nus, verbis aliud quid dissimulantes. Quod si verò & nomi- e volumus esse homines, vel Christiani, uti ex voto tenemur & fieri: tum certè necessum erit, ut assequuti rationis no- naturitatem, agamus, vel agere studeamus, non quæ vide- el audimus agere plurimos vel omnes, sive non licita sed a, & nostris titulis digna; nam & id nobis agere pro po- s, vix in bonos viros evademus; multò minus, si Divinis inis obedire recusaverimus: Sal enim concupiscentiæ car- ignis est urens & adurens, eosque consumens qui amant ad nam ejus incalescere: Quod verò æstum ejus exstinguere, n nobis innoxium reddere possit; nihil est præter timor & Dei. Omnes creaturæ sublunares brutæ sunt, certis saltem tempo-

temporibus, annis, vel mensibus brutescentes magis. Nos autem homines, bestiis pejores sumus, omni tempore proni ad obsequendum animalibus concupiscentiis. Dominantur quidem nobis in nobis animales vel carnales concupiscentiæ & peccati leges, à principio humanitatis nostræ; nulla enim nobis inest boni cognitio, nullus Dei amor à natura: Sed postquam nobis innotuit voluntas Domini, externæ informationis beneficio; tum rebellare possumus omni carnali desiderio, si saltem mica in nobis hæreret amoris Divini. Sed nos sicuti prius in diebus ignorantiæ nostræ, ita & post, non fenestras solùm aperimus dæmoniis, nobis per voluptates carnalium concupiscentiarum abblandientibus, sed & fores; & nisi acceleraverint nobis occurrere illa; nos ipsis obviam imus: & sollicitantibus à nobis oculos, linguam quoque, aures, manus, integrumque corpus offerimus. Magna quidem est moles seminum morbificorum, quæ nobiscum cum corpore in vitam hanc afferimus; sed nos & numerum eorum & gradus virtutum aggravamus, pejori quàm brutalis est, vivendi ratione, cibi, potus, somni, vigiliarum, veneris, curarum turpi abusu. Non adeò noxiæ sunt nobis virtutes mundi hujus elementales, extra nos sitæ, quam eæ quæ in nobis hærent concupiscentiæ, & nostra ipsis obediendi promptitudo. Nam si integrum diem vorando & potando fatigati, de nocte saltem quiesceremus, uti brutorum mos est; tum natura seminalis corporis hujus, viribus per quietem recollectis, superaret omne onus diurnæ expletionis, & ex œconomia membrorum expelleret; sed nos eam inter diu fatigamus ingurgitatione plus quàm bestiali; nocturno autem tempore quiete debitâ defraudamus; Quid mirum igitur, quod tàm varios morbos perpetiamur, & frequentius doleamus quàm animantia, non nisi legibus naturæ suæ seminali obtemperantia. Quicquid intrat per os; id per monoculum, per urinam, aliaque emunctoria interna & externa, absolutis in corpore officiis debitis, exire festinat nobis innoxium; nisi

talis

jus nisus à nobis suppressus, suspensus, aut omninò im-
is fuerit, voluptuoso molimine. Fæces enim à satiatio-
irituum naturalium in nobis residuæ innoxiæ sunt no-
imùm, vel solo pondere molestæ; Debitò autem lon-
ı nobis in emunctoriis suis retentæ, evadunt aliis quo-
gnatnris sub pondere latentibus contagiosæ. Nam na-
nineralis, quæ in cibulentis potulentisque materiis sub
uris vegetabilibus occultatur aliquandiu, putrefactionis
ione egressum moliri, & suas quoque virtutes in nobis exe-
ergit. Et quamvis interdum, purgantis medicamenti be-
o, à periculo illo liberemur, ita ut ab eis egressis nihil am-
metuamus. Attamen ea quæ adhuc in sanguine hærent,
evacuationem fœcum cibulentarum residua, & per venas
raicas ad intestina ablegari consueta, medicamenti purgan-
m despiciunt; imò sæpe ejus occasione revelationis com-
ioris arripiunt causas: uti suo loco dicemus. Cibi & po-
ateriæ in stomacho contentæ, & nocte & die digeruntur, si-
atrescunt, atque suis Virtutibus orbæ ad intestina pergunt.
a quæ in sanguine hærent principia felicius digeruntur no-
uam inter diu; Virtutes enim spirituum, per quietem ab ex-
s laboribus, intus revocantur & evadunt fortiores unitæ,
n per membra extrinseca dispersæ. Ideò plus emolumen-
itit Natura à legali somno, quàm excellentioribus medica-
tis profecta purgatione; & plures morbos arcet, quàm ars
ana promittere possit. Noctem enim spiritibus dicavit
itor; Diem vero externis laboribus, qui per motum & quie-
; locorum, temporumque intervallis mensuravit omnia,
pondere. Ideò qui hunc ordinem mutant, quamvis inviti
gant, naturæ tamen sunt infensi corporeitatis suæ; impunes
inò non mansuri, pro diversitate prævaricationis suæ; mul-
ninus illi qui leges & locorum & temporum permutant, stu-
, vel datâ operâ, infantiæ & senectutis dies quidem magis in-

 clinant

clinant ad somnum quàm vigilias, ita ut ipsis somnus nunquam sit noxius; attamen nocturnus diurno semper præstantior. In Infantibus de die in diem rarescit; in senibus autem ingravescit; quoniam illi ex quiete ad motum, ex tenebris ad lucem assurgunt; hi autem ad tenebras tardo gressu revertuntur, brevi redituri in locum ex quo prodierunt. Lex necessitatis, excusat etiam peccata contra legem naturæ commissa; attamen neminem peccantium à pœnis omnino immunem reddit; nam singuli in senectute luunt peccata juventutis, etiam ab ipsis per ignorantiam patrata, aut per necessitatem exacta. Periculosa imo noxia est ægris illa Ars quæ naturam fatigat desideriis, plus quàm morbus ipse doloribus, negando ei cibum & potum ab ea per sitim vel famem affectatum, alicujus pejoris mali quam præsens est metu, non ita in veritate subsecuturo, quàm artis persuasoriis verbis comminato: De quo incommodo ægrorum, in sectione de Diæta, prolixius acturi sumus. Suspendere quidem vel differre aliquandiu obsequia naturalibus desideriis, conducit interdum; & id à nobis exigente ipsâ humanæ rationis lege, attamen distinguenda sunt desideria lascivientium spirituum, à desideriis afflictorum à certis materialibus signaturis in œconomia membrorum dominantibus: Nec necessitati, sed luxuriei adversatur, & adversari docet Divina Lex. Ideò aquam igni opposuit; Cibumque fami, potum siti ordinavit Creator. Permutare autem objecta, pro carnibus pomum, pro pomo carnes obtrudere non hoc sed illud esurienti; vel vinum aquæ, aut aquam vino substituere, vinum sitienti; Est non prodesse sed nocere velle naturæ onere pressæ illo, quo per desideratum vel potum vel cibum illa se liberatam iri sperat. Et quamvis appetitus ægrorum videantur quandoque inclinare ad augmenta dolorum; nostrâ id nobis persuadente imaginatione, vel ab arte haustâ, vel nobis innatâ, tutius tamen semper est sequi naturæ ductum stimulantis ægros intus; quàm externa artis præcepta;

aut

xempla sinistriorum eventuum; si quæ fortassis allegari
nt in redemptionem artis ab erroris suspicione. Natura
cujusque individui est optimè conscia defectuum suorum
norum, ad quos resarciendos, externam poscit opem & re-
ia: Ars communis, non nisi circa sensibilia versatur, nec
cit, nec docet penetrare nos ad interna tenebrarum centra;
mina; quæ non liberè moventur, sed fatali quàdam necessi-
rahuntur, ad agendum quæ agunt. Non enim est nostri
rii sitire & esurire. Sed sitientes aut esurientes, bibere &
compellimur; quamvis & id sæpè, imò plerumque aga-
naturâ non efflagitante; imò verò & cibum & potum de-
nte; sed tales temerarios ausus luimus tandem inordina-
l siti vel fame, vel frigore vel calore; nequìentes reperire
ia quibus mitigari possint plagæ illæ; quamvis quærendo
fatigemur; imò omninò exanimemur, antequam invenia-
. Et quamvis sæpe natura à nobis sibi porrigi exigat aliis
ninabilia: ut carnes crudas, vel picem, vel terram; tamen
a quæ appetit, non fastidit ut superflua; nec abominatur ut
ia; sed ut præsenti ejus affectui mitigando necessaria, effla-
; quæ si negaverimus postulanti; infesti erimus ægro, &
ac morbus, imò plus. Nec tamen imprudenter, vel sine
imine mensuræ, sunt omnia exhibenda desideriis; vel æ-
aliqua postulantibus, sitientibus vel esurientibus: sed adhi-
electu quantitatis; ne obruamus ægrum juvare intenden-
Naturæ enim pauca admodum sufficiunt; Sed homini, &
ralibus pauciora; Ideo non negando postulata, sed ea præ-
ter exhibendo, Artis præcepta probantur, profuisse ægris, &
imè nocuisse.

SECTIO XIX.

Quod si igitur aliqui patientes tenellulæ ætatis, vel ejus quæ
adhuc bruta omninò est, & externæ conversationis exem-

 plis

plis vel doctrinis nondum immutata à lege seminis sui, curandi occurrerint; Sedulâ ei opus erit industriâ & curiositate; Si videlicet & conscientiæ suæ prodesse, & ægris non nocere proposuerit; Quod si verò se maluerit accommodare ad captum fatuarum muliercularum; ille aut sibi ipsi, aut ægris iniquus erit; nam impossibile est ut utrisque ex æquo serviat, naturæ recessus profundiores in cura sequuturus. Prius itaque inquiret in ætatem ægri, quàm medicamenta aliqua ei præscripserit, aut exhibuerit; Eamque examinabit per intervalla annalia, si triennis, aut quinquennis fuerit patiens; si autem nondum Annum unum excesserit, tum examinabit menses saltem, hebdomadas & dies, imò si & ad numerationem horarum perrexerit, non peccabit; nec aliquid aget temerarii vel superflui; Nam per cognitionem minutorum, astrologi suas conformant prædictiones; Quidni igitur Medici & idem agerent, in suis prognosticis de morborum successu, ortu & occasu, certiores futuri. Atque tali scrutinio deprehendet an matris, an nutricis, an lactis, an educationis vitio patiens in morbum prolapsus fuerit; An fatorum necessitate. Nam sunt affectus plurimi teneræ ætati valde consueti, quos Medicum negligere præstat potius, quàm movere; & qui citius, minorique molestiâ ægrorum sopiuntur, ab arte neglecti, quàm suscepti. Præsertim illi, qui comitantur Naturam, augmenta infantis vel in numero, ut dentes; vel in quantitate molientem: Quamvis videantur periculosissimi, & medicam manum exigere videantur: Circa quæ tempora Epilepticæ quoque convulsiones, vel pustulæ & omnis generis scabies vel exanthemata se prodere solent. In occulto quidem natura exorditur sua opera omnia; Attamen nō in occulto absolvit, sed per externa & sensibilia indicia occultorum quoq; vel præteritorū exhibet notiones, ad futurorum cognitionem utiles & necessarias. Infans trimestris vel seximestris, minor vel majorennis, mutus quidem est, sive articulatâ voce dolorum internorum quantitatem, vel locos affectos indicare

care

equit; attamen agit utrumque, sed aliis indiciis; Si saltem
ıdiciis agnoscantur ab adstantibus, vel medico; & non pro
ebullitione symptomatum; Nam quies nulla vel somnus
s, isque diurnus non nocturnus, vagitus & lacrymæ conti-
capitis, manuum, pedum jactationes; oculorum, præsertim
ıientis, contorsiones; Urina pauca, vel nulla; Dejectiones
vunt æruginosæ, biliosæ, cruentæ, vel fæculentæ, multaque
Medicum ad cognitionem seminis dolorifici ducunt, & quid
endum vel cavendum sit in præsenti vel futuro docent; Si
n prudentior sit re ipsâ quàm verbis. Et quamvis per multa
bilia indicia perducatur Medicus ad cognitionem & causa-
morbificarum, & locorum affectorum; Nequaquam tamen
is certum judicium de eventu morbi formare potest; abs-
exquisitâ cognitione ætatis Patientis. Multa hærent in san-
e nullis externis indiciis deprehendi possibilia, ante menses
nnos Climactericos; Contingit sæpe quod infantes ad men-
vel annum septimum saluberrimi, in periculosos labantur
ttus subitò quasi; & ex improviso gibbosi fiant, strumosi, clau-
ontracti manibus vel pedibus, Epileptici, & Paralytici: Mira-
hæc vulgus, & cum vulgo sæpe & Medici famosissimi; in nu-
es, vel ancillas, vel alias externas causas derivantes mali origi-
n; quod tamen nulli externæ causæ, sed seminali ipsius pati-
s constitutioni imputandum esset. Multa habeo exempla re-
n sic gestarum; sed ob scripti hujus compendium, alio diffe-
da erunt. Non nunquam incuriâ, imò lasciviâ parentum, pe-
ılosa admodum infertur fœtui labes, in quam infans nun-
am ex intrinseca seminis constitutione prolapsus fuisset; vel
n adeò periculosè, uti fit, externâ eò miseriæ redactus educa-
ne. Nonnunquam Parentes austeritate suâ idem faciunt; sive
ffundant constitutionem infantis, quæ quidem in malum pro-
vis fuit, sed non in tantum in quantum post prolabitur; Atque
peccatur utroque modo, sive excessu indulgentiæ, sive austeri-

 tatis:

tatis: Medium tenuere beati: Hæc & in moralibus ac naturalibus contingunt.

SECTIO XX.

AFfectus similes quoad externas signaturas, in diversis subjectis conspicui, æqualibus utrinque intervallis recurrentes, durantes, cessantes, quiescentes, uni medicamento sæpè, non tamen semper cedunt. Prius si fiat! Tum indè evinci potest subjectis differentes non nisi ex unius speciei radice traxisse originem; nec profundè admodum eorum radices hærere, sed in superficie emunctoriorum saltem; solamque alicujus emunctorii obstructionem aut constipationem symptomaticarum passionum causas existere; vel eam materiam quæ eorum meatus obstruit, aut constipat. Et quamvis exhibito catharctico, aut purgante aliquo medicamento, obstructio solvi, & vasa à stipticitate liberari possint; ea tamen solutio ad ablationem periculi recidivæ non omninò conducit, quamvis malum mitescat, & tolerabilius reddatur, ab infarctu fæcis expurgato emunctorio. Nam symptomata statis temporibus redeunt, sed posteriora primis mitiora, ad totalem materiæ morbosæ consumptionem, vel ejus in quietem reditum. Circa Novi & Plenilunia omnes salini morbi solent gravius affligere ægros quàm diebus intermediis; non ob motum Lunæ varium, vel ejus tacitam in inferiora influentiam; Sed Luna sic crescit & decrescit in Cœli expanso, sicut inferiora contrahuntut vel explicantur. Est itaque Luna index talium mutationum, non vero causa: comes, non dux. Si illa salinorum principiorum motus & quietis, confluxus & diffluxus tempora, omnibus Medicis cognita essent; non ita sibi metuerent à Podagra, Quartana, Epilepsia, aliisque morbis chronicis & valdè contumacibus, ut eos incurabiles pronunciarent; Nam eorum quidam & sponte à Medicis neglecti vel evanescunt, vel adeo firmiter

:cessibus suis constringuntur, ut Patientes nunquam am-
› iis aliquam sentiant molestiam. Et quod si quidam o-
tolli, vel in quietem reduci nequeant, ob centra eorum
profundè admodùm occultata; attamen ars, eorum con-
nis conscia, fructus eorum enervare posset, ne patienti-
ò essent molesti uti sunt, ab ignaris vel imprudentibus tra-
edicis. Verùm ita videtur à fatis ordinatum esse, ut hallu-
o, fallendo, patiendo mala, meliora sperando aut spon-
, vitam hanc transigant mortales; atque sic se mutuis cla-
›nficiant.

CAPUT II.

Salutaribus & Morbosis resultionibus Salini principii in corpore humano.

SECTIO I.

SPerma tam Maris quam Fœminæ, fundamentum est sensibile, sed homogeneum, structuræ corporis hujus animalis maxime heterogenei; Occultatque in se Spiritum salinum, vel Salem carnis inflammativum, in-
·abilium concupiscentiarum feracem; Quæ tamen non
; uno impetu erumpunt in actus suos, sed diversis tempo-
iversæ, individuo illi cujus seminales sunt vel utiles futuræ
les; vel noxiæ & dolorificæ. Personæ duæ ad generatio-
:rtii concurrentes sunt quidem unius speciei individua, vel
radicis ejusdem, externis signaturis discrepantes, & sexus
:ntiam constituentes; sed Spiritus seminales in spermate
ad non ita discrepant; sed utriusque sexus sperma herma-
iticas habet virtutes seminales, ita ut ex fæminino sæpe
li, ita ex masculino fæminæ procreentur; nonnunquam
fæminineis, mox iterum fæmininæ virilibus prævalent in
con-

convalent in congressu generativo; Ideò sæpe Individua etiam, jam omnibus numeris absoluto corpore, fæminini sexus in masculinum abeunt; uti rei illius multi historici exempla narrant. Atque ex hoc casu patet, quod non à spermate unius sexus saltem fiat sexus ei similis propagatio sed ab utroque, vel eo saltem, qui in Venereo nexu socio prævaluerit imaginationis excellentiâ. Semen sexus utriusque est æqui librale, non magis propensum in signaturas hujus quàm illius sexus, quod verò præponderat ad alterius solum, in hoc vel illo fætu; id pondus ei addit imaginatio alterius parentis, à fatis excitata. Est enim congredientium uterq; rarò affectus secundum legem sexus sui, in alterius propensior amorem, atque talis imaginationis impressione infæcundatur semen tempore spermaticæ ebullitionis; Secus enim nullus esset amor, nisi socius thori unus in alterum appetitu mutuo ferretur. Sperma, vel in eo latens Spiritus seminalis, sterilis est in sexu utroque, ante actum mistionis, vel ebullitionis tempus salis spermatici, cujus fermentum est lasciva imaginatio; Ideò nec ex maris semine in mare, nec ex fæminæ in uterum ejus illapso aliquid prodire potest fætui humano simile: Sed per legem Creatoris nexus ille mistionis spermaticæ, sicuti in speciebus omnibus ita & in homine, constitutus est, ut fœminæ virum virque fæminam appetere vel admittere debeat & velit, ad speciei suæ propagationem. Nec tamen sterilis omnino est spiritus in spermate latens; sed in utroque sexu turget tincturis seminalibus vel Animalis, vel vegetabilis vel mineralis familiæ, vel omnium, una tamen reliquis prævalente; Nam quamvis nullæ inde prodire possint signaturæ humanæ speciei, in subjecto generationis suæ hærente; tamen variorum affectuum tum spiritualium, tum sensibilium, in utroque sexu, in cujus corpore meteoricâ resolutione resolvitur, ferax est. In fœminis pluribus crudelior quàm in Viris. Ideò fœminæ cælibes, sed salaces & spermate exundantes, varias ex ejus resolutione patiuntur impressiones, tum in animo tum insensi-

ibus, tum in sanguine & membris corporis, tàm internis externis, easque vel amœnas vel tristes; vel dolorificas, vel doloris expertes: Non nulli à talibus causis in furorem in- Prophetico non dissimilem; Qui furor per intervalla re- t & invadit patientes, interdum vanus & ridiculus; inter- plendidior apparet & futurorum præsagus; interdum pla- inalis, interdum extrinsecus haustis imaginibus permistus; esunt nobis exempla omnium, sed ob compendium scripti mus ea in alium locum. Interdum Phrænetici evadunt rmatis acrimoniam, aliqui; interdum stupenda & loquun- patrant. Hæc enim est Natura salis spermatici, vel titillare r, vel omnino ignem externum æmulari æstus vehemen- impressionum acrimonià vel violentià. In quibus subje- item sal spermaticum stupidius est; Illi pinguescunt, vel inosas, epilepticas aliasque passiones non tam mentales sensuales patiuntur. In aliis iterum Salis spermatici la- gibbos, strumas, hernias, aliasque spongiosas excrescen- riores vel molliores producit; quæ quia non ex sangui- l ex spermate ipsisque insitis spiritibus originem trahunt, rti cedere nolunt. Quod si vero Sperma ante maturita- ebitam, in vasis suis putrescat, vel sal ejus infatuetur, sicuti i vappescit; tum abit in humorem purulentum; ex quo rrheæ, nocturnæ pollutiones, aliiq; affectus turpes & sordidi oque sexu originem trahunt; rarò mobiles, nisi ars naturæ tirando semine subveniat; De horum varietate & gene- nis modo alibi prolixius. Hæc breviter hic saltem monere ut sciant naturalium affectuum ordinariorum & extraor- iorum Indagatores, quâ serie vel quo ordine inferiora in- ascendant, & ex nobis deorsum vadant; Et quàm dives yssus spermaticæ corporeitatis tincturarum materialium, jectis quoque generationis suæ; Sive quod nihil sit aliud a extractum mille seminum, entium extra nos sitorum.

H Præ-

prædicti affectus, & alii plures prædictis periculosiores, in quibusdam subjectis, præsertim fœminini sexus, ab ipso septenario augeri incipiunt, menstruatim vel annuatim ingravescentes, & signaturis variantes, ad plenariam omnium graduum eorum seminalium virtutum revelationem. Quanta sit pernities menstrui retenti; omnibus notum est; sed spermatis æquè, si non interdum alicujus magis, perniciosa. Fœminis, ab utriusque retentione periculum imminet; sed mares à solo spermate inquietantur. Nam & sperma & menstruum venenatos spirant halitus, ultra debitum tempus in suis matricibus retenta. Circa annos autem pubertatis alius fit homo quisque, & bene habens, quàm fuit antea, à se ipso quoad statum prioris conditionis diffidens, non secundùm externas solum signaturas, sed & interna animi molimina. Exordium autem pubertatis videtur mihi incipere, in singulis fermè subjectis, diverso tempore, cum Venereæ voluptatis ubique sensu, quam comitatur de die in diem copiosior spermatis procreatio, & menstrui augmentum. Nam sicut in omnibus naturalibus motibus externa cum internis, vel sensibilia cum insensibilibus conspirant; ita fit & hic. Nam externorum lascivia, sequitur augmentum internarum concupiscentiarum. Ideò remotis extrinsecis Venerearum libidinum irritamentis, & generatio spermaticæ corporeitatis retardatur; illisque auctis acceleratur, & acuitur; atque proinde inde nata vel nasci consueta commoda & incommoda. Quod si verò seminalis alicujus subjecti constitutio, externis prævaluerit remoris, vel irritamentis, & vel masculus vel fœmella, ob acrimoniam vel vehementiam intrinseci salis ita lasciviat, ut nullis ordinariis vel nobis cognitis externis mediis, frænari se patiatur; tum, ad præcavendum plurima mala, inde nasci, vel lasciviam illam comitari consueta, laxius erit regendus patiens, & Juvenis & Puella; Nam si non liceat palàm lascivientibus quod volunt; tum captant cl. m omnis generis occasiones ad indulgendum desideriis

s accommodatas; Et sicuti mas fœmellam quamque, sine
iine ætatis, valetudinis, status, & affinitatis; ita & fœmel-
culum, suis adhibere libidinibus audebit; quod sæpe tra-
titu amborum terminari solet. Quod si autem nec sic
possint desideria carnis; tum fœminæ cum fœmellis, &
cum maribus nefanda patrant; imò nec à bestiarum com-
ne sibi temperant. Igitur si præcavere vult vel parens,
am in ipso est, liberos suos ab extraordinario Venerearum
um æstu; ille mortificet eas in se ipso etiam citius quam
fiat; Et laboribus durioribus assuefaciat ætatem tene-
ommercia puellarum cum pueris, solarum cum solis ne
tat: præsertim si animadverterit alterum eorum in Ve-
esse procliviorem. Puellæ libidinosæ, maturè sunt elo-
viris; nam non sine magno periculo famæ, aut morbi,
libes custodire quis possit: Exempla plurima recitarem,
recentia, nisi compendium scripti hujus dissuaderet. Hic
Medicus loquor, ex causis & principiis naturalibus, de vi-
bis periculis philosophando. Utinam Spirituales Doctri-
aliquid haberent efficaciæ, id certe valde utile esset; Nam
edica hic parum proficit, nisi cum morbo & patiens perire
t. A licitis congressibus, nullum est metuendum pericu-
mæ; sed ab illicitis quàm plurima.

SECTIO II.

On quidem inter cælibes tantum, vel liberos aut à conjugio
solutos, metus vel periculū latet spermaticæ pollutionis, sed
er Conjuges, etiam ante licitum congressum nullo illegiti-
iquinatos, uti dicemus de Asmodæo philosophaturi. Nam
vis Natura omnes species Creaturarum legibus tempo-
citra varietatem concupiscentiarum, divisisset; ita ut non
s eodem tempore æqualiter lasciviant, sed diversis fermè

 singu-

singulæ; quas leges nulla species transgreditur, sed omnes sua tempora inviolatè custodiunt; Solus autem homo, vel humanæ speciei individua, non omnia quidem sed aliquæ, ab illa animalium legum necessitate sunt immunia; Quæ videlicet, sine omni delectu temporis, cæco impetu ruunt in venereos congressus, nulli, nunquam reluctantes venereæ cupidini, sed indesinenter insidiantes occasionibus ad eam satiandam, aut gradus cupiditatum ejus exaltandos commodis; nisi metus publicæ infamiæ eos interdum à facinorosis eorum ausibus absterreret. Ubi autem tuto agi posse vident omnia, tum defatigati venereis exercitiis abstinent à turpitudine, rarò satiati. Viribusque vix recollectis, relabuntur in novum actum, & animi eorum & corporis vires labefactantem. Et quamvis sentiant turpitudinem patrantium quidam, quemlibet actum cum magna virium jactura terminari; tamen vehementiæ æstus eorum Venerei nihil est quod obsistere possit, vel eum mitigare; nullus præsentis doloris sensus, nullus futuri pejoris mali, metus. Contingit sæpe quod novorum maritorum alter, in morbum gravem, periculosum, imo omninò incurabilem incidat, nactus socium thori se lasciviâ superantem & ultra posse ad exercitium veneris irritantem. Ebullitio enim salis seminalis & spermatici non ita subitò deponit omnem æstum suum, sicuti exorditur; Quod si igitur primo æstu vix sopito repetatur actus venereus, tum æstus salis profundius penetrat, scilicet ad carnem & sanguinem. Ebulliens vero seminali æstu sanguis, plus excernit materiæ spermaticæ ad parastatas & penem, quàm lex ejus exigit; atque inde gonorrhæa, cum suis speciebus originem trahit, tabisque & Phthyseos jaciuntur rudimenta. Irritatur quidem sanguis ad motum extraordinarium, & excernendum fæces quoque inconsuetas, omnibus animi affectibus, timore, irâ, tristitiâ, vel hilaritate nimiâ; sed excessu Venerei exercitii maximè, & periculosissimè. Quapropter provectioris ætatis viri, junioribus fœmellis, iisque lascivioribus copulati, eorumque

rumque

ue desideria satiare studentes, cum valetudine & vitæ fiunt igi; qui & salubriores & longæviores mansissent citra occam vel excessum venereæ voluptatis. Nullum matrimoni- licius quàm interpares, & ætate & affectibus; Imparitas, tri eorum semper est noxia. Qui mediocriter saltem sa- , sciunt me vera dicere. Sunt quidam mares, vel videntur se, satis vegeti ad actum illum hodie; sed unum exercitium sivum, eos ita debilitat, ut tandem fiant omninò inhabiles; non omninò, nunquàm tamen sufficientes sunt satiandis et iis sociæ thori. Fæminæ autem senes interdum ipsis puel- næ salaciores, ita ut ipsis etiam à satis fæcundo mare vix ta- satis fiat ad satietatem usque.

SECTIO III.

T autem sciant Naturæ Indagatores, quomodo in exiguo corpusculo spermatico, ingens moles seminum morbifico- latere possit; id breviter demonstrare, operæ pretium futu- judicavi. Sperma tàm fæminæ quàm viri, est compendium e omnium virtutum seminalium, quæ extra hominem in ibus speciebus creaturarum per universum orbem dispersa- continentur. Omnes virtutes metallorum, mineralium, me- orum, vegetabilium; omnium cognitionum & concupiscen- m animalium, humanarum denique imaginationum & si- urarum, implicite continentur in spermatico corpore; Sed ferioribus creaturis nulla humanitatis reperiuntur indicia. la species generare potest hominem, vel aliquid humani ha- extra hominem; sed in humano spermate & corpore com- endiuntur omnia quæ extra hominem sunt; Quam mirabi- item sæpe proveniant in homine, præsertim in sexus fœmi- ndividuis, de illis consulantur & historici & Practici; Nos gemus de materia proposita Philosophari. Sperma huma-

num, corpus est homogeneum, & terrestre, spirituum omnium terrestrium habitaculum, Spiritusque origine Cœlestis communionis capax. Hoc destitutum, non nisi naturalem, carnalem, animalem constituens hominem, ad Divina cognoscendum, judicandum, affectandum, ineptum. Quod autem sperma ex loco generationis ejus propellit, Sal est igneum; Sua acrimonia voluptatem in animo, in sensu titillationem, in membris impetum efficiens. Non aliter differt sperma à subjecto generationis suæ, quàm punctum à sphæra, in scholis mathematicis: Nam est principium numerationis subsequuturæ, aliarum virtutum, scientiarum & concupiscentiarum animalium, quoad gradus, & numerum, non quoad speciem. Infinita sunt quæ in spermate latent, quæ tamen, non simul omnia, sed successivè, alia aliis prius aut posterius in lucem emergunt, usque ad ultimarum revelationem. Corpus autem spermatis sensibile, est corpus materialitatis evanitaræ, vel centrum mathematicum complectens innumera physica. Non sicuti homo numeris omnibus absolutus microcosmus revera est sensibilis in heterogeneitate membrorum; Ita sperma quoque humanum microcosmus est, sed in homogeneitate corporeitatis extrinsecæ. Nam nisi in Corpore spermatico actu inhærerent spiritus humanarum signaturarum authores, non potuissent generari gigantes vel extrinsecus Individua hominibus similia, ex congressu filiorum Dei cum filiabus hominum; uti suo loco dicemus. Cum spermate itaque sensibili communicantur omnia fœtui ea quæ in occulto parentum latuerunt; Ita ut ex generati fœtus signaturis vel moliminibus judicari possit, qualem vitam vixerint parentes in occulto. Mistio spermatum duorum individuorum unius speciei, sexu diversorum, est ad propagationem cujusque speciei necessaria; non ex necessitate spermaticæ legis, nam in eo utriusque sexus occultantur principia, utroque; ut prius diximus; sed Creator hoc modo providere voluit, sicuti aliis animalibus omni-

bus, ita quoque & humanæ societati. Quod vero fœtus gressu vel commistione duorum individuorum non nasca-r maphroditicus, sive utriusque sexus signaturas repræsen-n numero & diversitate membrorum; Id citra fatorum ationem, alterius quoque imputandum est congredienti-naginationi socio prævalenti, in ipso exercitio venereo: autem in spermate latent, ea omnia sunt fatalia, & perma-talia usque ad hominis regenerationem; Nam citra hanc, o sic urgetur ab ipsi innatis principiis uti brutum, ad agen-fugiendum vel affectandum extrinseca; Quæ quidem & in is affectant super hominem imperium & dominium con-re, nisi homo magis ad Divina quam humana propendeat bertate. Sed de his agemus alibi.

SECTIO IV.

licium, quod de fœtu in utero contento fœminâ prægnante quenter ex his vel illis externis indiciis fieri solet, nullis cer-ixum est rationibus; sed meræ sunt conjecturæ, & divina-es hominum temerariorum, alterutri parentum ad placitum, ncri, ratiocinantium. Nam quamvis à prævalente alteru-parentis imaginatione imprægnetur fœtus, vel signaturis sunius insigniatur; tamen ipsa imaginatio eorum non est traria, sed à fatis, ad finem ab eis prædestinatis, directa. Imò ola imaginatione alterutrius parentis prævalente imprime-ur fœtui virtutes sexus ei similis; impossibile tamen est alte-ide concludere, an fœmellam vel puerum sit paritura mater; nignorat vir quid fœmina, ita & fœmina quid vir in animo erit suo, imo de se ipso quisque; nam rarus congressus est tantum libertatis indulgeat congredientibus, ut nempe ipsis e, in & post congressum, omnes intrinsecæ imaginationes tant: Amoris vis valde est acuta, & occæcat mentes utrius-

que

que ſexus in ipſo congreſſus momento acrimoniâ: A poſteriori quidem patet, an mater aut pater valentior fuerit cupiditate venerea, ex ſignaturis nempe ſenſibilibus in fœtu magis ad ſignaturas hujus vel illius individui inclinantibus. Sed aliunde petita judicia fallunt; quamvis fœtu nondum omnibus numeris abſoluto, multâ ei imprimi poſſint extrinſecis occaſionibus matris imaginatione exaltata; nunquam tamen illa adeò turbari poteſt, ut ſeminis inclinationem, in ipſo coitu concupiſcentiâ alterutrius parentis in hunc vel illum ſexum devolutam alterare, & maſculum in fœminam, vel hanc in illum tranſmutare poſſit; Citius utriusque ſexus ſignaturas fœtui imprimet, quàm priores immutabit; Et tamen fata & hic utriusque imaginationi prævalent, ita ut ars, ex ſignis communibus nihil certi prognoſticare poſſit, niſi fatorum conſcia. Sexus enim diſcrepat unus ab altero non ſaltem externis membrorum lineamentis, ſed & internis animi moliminibus, ita ut fœminæ non ſaltem ideo ſint fœminæ, quod à maribus diſcrepant extrinſecus, ſed & utriusque affectus interni faciunt eorum diſcrimen; Nec poteſt per conſuetudinem vel externam educationem maſculus fœmininum, vel fœmina maſculinum acquirere ingenium, niſi ſeminalis ſpiritus in ſpermate hujus vel illus ſexus eo propendeat magis in hoc vel illo ſubjecto. In ſcholis audivimus quidem quod mares dextrum; puellæ ſiniſtrum premant magis prægnantis fœminæ latus; Sed hæc ſicuti alia plura, opinione magis communi, quam verâ & fundamentali ratione ſtant; nemoque in fidem præceptorum in talibus jurare tenetur.

SECTIO V.

SÆpe etiam fit quod ex violentiori impetu ſpirituum ſeminalium quædam in fœminam transferantur, ſicuti ex fœmina in fœtum; Ita quoque in maribus accidit, ſed non adeo fre-

quenter

ienter ut in fœminis. Qui igitur Medicinam prudenter ad-
ſtrare vult ægris, hoc vel illo incommodo, non per propri-
ulpam malè inſtitutæ vitæ, ſed ipſius ſeminis irritamento
tis; Ille prædicta ad unguem examinari debebit; his enim
:ctis aut nihil proficiet, aut magis oberit quàm proderit æ-
Nam ea quæ fatalia in ſemine ſunt, ab inferioribus princi-
argius ei impreſſa, & profundius infixa, tolli omninò ne-
ınt, imò ne mitigari quidem, differri aut abbreviari; niſi no-
potius ægro quàm prodeſſe velimus; Inter alios affectus
:x ſpermatico corpore in fœminas derivantur, ſive ipſorum
rio, ſive maſculino; ſunt Cittoſæ paſſiones; Pica dictæ.
. enim prægnantes ſolum fœminæ, ſed & cælibes, tàm virgi-
ıuàm viduæ illis afficiuntur. Imò nec Mares ab eis omninò,
ımnes & ſinguli, immunes ſunt; Nam & viros ſæpe vide-
inordinatâ fame vel ſiti inſatiabili laborantes, ita ut æque
ninabilia ac fœminæ deglutiant citius quàm eorum interna
ieria mitigari poſſint. Hæc quamvis rara attamen vera.
. Quædam perſonæ utriusque ſexus, talibus deſideriis con-
ò vexantur; quædam non niſi per intervalla, jam longiora,
breviora. Virgines occultant ſæpe tales paſſiones; quia
lis urgentur non ſaltem ad inconſueta, ſed & ad illicita. Ma-
æ autem liberius communicant ſuas ſi non cum Medicis, ât-
en cum thori ſociis; quædam ſtudio; quædam imprudent-
:ffutiunt, quorum poſt pœnitet. Medicus ad patientes ta-
s incommodis vexatos vocatus; inquirere debet in ætatem,
ıores, in conſuetudinem patientis; An cœlebs paſſus ſit quid
? An poſt nuptias demum pati ceperit? An juvenis ſit, an
ılla? Et quamvis mares rarius moleſtentur à talibus affecti-
; tamen non omnes & omninò ſunt liberi: Quidam multò
ementius afficiuntur inde quàm fœminæ; quamvis affectus
aliter vocetur in ſubjecto virili, quam fœminino; ex iiſdem
en ſurgit principiis. Plures tamen ſurgunt ex ſpermate
 quam

quàm ex sanguine; In liberis, ex eorum proprio; In maritatis; tum inde, tum ex viri in matricem recepto. A menstruis retentis, vel sanguine, eum derivari non negant scholæ; Sed & tanta & violentiora incommoda, imò multò pertinaciora surgunt ex spermatis corpore in subjecto aliquo dissolutionem patiente; nam non saltem in membra sæviunt in quibusdam, sed & in spiritus, ita ut deliria, maniæ, & phrænefes inde filum trahant. Qui vero affectus prædicti vel purgantibus, vel phlebotomiâ mitescant quandoq, aut aboleantur; sed fatui sunt qui ex solo eventu res judicant; præsertim in Medicis observationibus; nam sicuti per artem aliqui, ita quoque aliqui spontè cessant; Quædam invitis & reluctantibus Medicis recurrunt, atque irritum faciunt omne artis subsidium: Imo si integra sanguinis substantia sæpius repetitâ phlebotomiâ innovetur, non abolebuntur tamen. Igitur aliud centrum talium affectuum quæri debet, quàm sanguis; quamvis & in sanguine interdum occultentur; Sed qui in sanguine quærit, quod nō in sanguine hæret sed in spermate, ille frustratur & labore & expensis. Idem contingit illi qui spermati imputat, quod ex sanguine derivatur. Aqua fortis & pluvialis, humores ambæ sunt ad dissolutionē sicciorum servientes; Sed spiritus aquæ fortis non satiantur tam facile quam spiritus aquæ pluvialis; Nam aqua pluvialis certâ quantitate salis satiatur ita ut reliquum quod humiditatem ejus superat indissolutum relinquat: Sed aquæ fortis dissolutiva vis non cessat Sale modico ei immerso, nisi corpore aliquo metallico satientur spiritus ejus. Sulphur aquæ fortis spiritus spernit, & ab eis dissolvi se nō patitur; Sed ab oleo etiam dulciori facillimè superatur. Quia vero non in sanguine solo, sed & in spermate, non unius speciei saltem terrestris, sed omnium latent seminaria; Quid mirum itaque insatiabiles spiritus in utroque foveri; & tum ex hoc tum ex illo impatientes derivari.

SECTIO

SECTIO VI.

NIhil quidem habet Sperma quo caruisset sanguis, vel quod non ex sanguine in id derivatum fuisset; Attamen nulla sunt in sanguine formaliter in sperma ascendentia, sed saltem materialiter omnia; Spermatis autem substantia, sanguini comparata, formaliter se habet; Alias æque ex sanguine ac ex spermate nasci posset fœtus; quod tamen non fit. Necesse est itaq; ut & hujus secreti naturam pervestigemus. Quod si verò aliter id demonstraverimus quàm à doctoribus juventutis nostræ edocti, non timeritati nostræ id imputabunt mysteriorum naturalium indagatores, sed amori in nobis Sapientiæ & Veritatis. Sanguis in corporis nostri venis, arteriis, & carnibus contentus succus vel humor, fit in nobis ex non sanguine, & non à sanguine in sanguinē, sed à Spiritu nostro in sanguineam mutatur consistentiam ex alimentis; A spiritu autem nostro formali derelictus desinit esse tandem sanguis, & fit vel caro nostra vel os, vel excrementum, ita ut cum nomine & formam sanguinis relinquat, bilis, pituita, urina, sudor, sputum, stercus, os, cutis, caro, pilus vel unguis factus: sicuti prius ex esculentorum & potulentorum vaporosa substantia, sanguineam assequutus est formam & nomen. Omnes itaque virtutes terrestres, meteororum, mineralium, metallorum, vegetabilium; omnes cognitiones & concupiscentiæ animales latent in sanguinis substantia idealiter; vel sicuti caseus & butyrum in lacte; attamen non virtute propriâ sanguinis, sed spirituum cujusque individui in varias formas emergunt. Nam corpora elementalia, aquæ, terræ, & aeris, sunt virtutum materialium mundi hujus Apothecæ, & spirituum domicilia, qui tamen aliis vinculis sunt constricti hic quàm illic; fortioribus in metallis & mineralibus quàm in vegetabilibus & animalibus; iterum aliter in seminibus, foliis, fructibus, cortice, radicibus vegetabilium, aliter in carne, in membris & ossibus, vel eorum medullis;

aliter in sanguine animalium, eorumque excrementis: Ex unica pluvia infiniti nascuntur odores, colores, sapores; Non tamen solius pluviæ inclinatione formali; nec ab una scientia seminali alicujus vegetabilis varii; sed peculiare semen peculiarem vim habet sibi implantatam, non ex se quidem, sed ex pluviæ principiis hos vel illos sapores, odores, colores producendi; Et quamvis varient quandoque pluviæ, non variant tamen vegetabilia in formalitatibus suis, quamvis felicius per hanc quam illam pluviam suos assequantur fines. Concupiscentiæ autem animales & cognitionibus vegetabilium dominantur; Suntque instar clavium subtiliorum ad centra tenebricosa & spiritualia profundius penetrantium, virtutesque ligatas spirituum à compedibus eorum liberantium; ita ut ad motum concupiscentiarum animalium non ducantur saltem, sed & per vim trahantur Spiritus ex centris suis tenebricosis in lucem; Inde tanta varietas signaturarum surgit in corporeitatibus animalium, multò latior quàm fuit in scenis vegetabilibus, quamvis & illic valde ampla sit. In pluribus individuis animalibus explicantur quæ in una corporeitate minerali recondebantur; arctissime unita, quoad judicia sensuum, & mensuras mundo huic consuetas. In uno autem animali quamvis maximo, vix atomus mineralis corporeitatis suam est assequutus lucem. Non omnes Spiritus mundani, metallici, minerales, meteorici, vegetabiles, animales, per suas differentias varie per orbem dispersi, in propriis quidem corporeitatibus vel centris, formalem rationem quidem possident; in humanum autem corpus delati, materialem vel servilem induunt conditionem. Nullus spiritus infernè in nos derivatus suam pristinam vel formam retinet externam, vel nomen, vel virtutem liberam, sed moliminibus spiritus nostri inservire tenentur omnes, quousque à nobis vel per nos omnia absoluta fuerint, quæ per nos fieri fata determinarunt. Spiritus autem humanus, propriè sic dictus, à talibus servilibus officiis inter omnes liberrimus est, vel esse potest,

teſt, ſi videlicet libertatem ei à Creatore omnium conceſſam fideliter cuſtodire ſtuduerit, & eam ſibi nec per vim nec per dolum eripi ſiverit; ab utroque modo ei inſidiantibus: Sed de his alibi prolixius acturi ſumus. Atque ſic nihil eſt in aquis, terra, aut expanſi ſuperficie; Nihil habent metalla, mineralia, meteora; nihil gramina, herbæ, arbores; Nihil inſecta, piſces, volucres, beſtiæ pecudes, quod in humano non reperiatur & ſanguine & ſpermate, ſed in quolibet ſuo modo. In ſanguine humano ſunt recondita omnes virtutes, cognitiones & concupiſcentiæ inferiorum rerum; Ita & in ſpermate; ſed hic liberæ magis; illic ſerviles & ligatæ; In ſpermate magis ſpiritualia ſunt omnia & activa; in ſanguine magis corporea & paſſiva. Sanguis anima eſt ſubjecti ſui; ſed ſperma novi individui. Nam ſperma fit ex ſanguine aſcendendo, à Spiritu formali humano ſurſum tractus; ſed in ſanguinem extrinſecus derivantur omnia. Variæ ſunt ſpecies & ſignaturæ eſculentorum & potulentorum, quæ extrinſecus videndo, audiendo, guſtando, olfaciendo, palpando, & reſpirando attrahimus; ſed ſenſibilia ferme omnia; Quæ vero inſenſibiliter ſenſibilibus inhærent, ea & ſenſus noſtros & menſuras ſenſibiles omnes excedunt & excellunt; Et quamvis ſenſibilia omnia deſtrui & corrumpi debeant citius quam inde erumpere poſſint in ſenſibilitatem inſenſibilia; tamen internæ rerum ſic pereuntium rationes vel formæ non intereunt vel abolentur, ſed in nos transplantantur, nobis ſerviruræ, ſi nos ſerviverimus legi dominium & imperium ſuper nos habenti, nempe Divinæ; vel ſuper nos tandem dominaturæ; ſi nos rebelles fuerimus Magiſtratui legitimo, & ſerviverimus Principatibus dominium ſuper nos vel per vim vel per aſtum affectantibus. Non enim nos propriè ſumus qui eſurimus, ſitimus, iraſcimur, amamus; ſed vel judices & accolæ, vel ſervi ſpirituũ nos ad talia ſollicitantium: Felix certe qui ſe ipſum à peregrino, attamen ſibi maxime affini diſcernere ſciverit, id facere lege Divinâ cautus; ſed & de his latius in Philoſophia no-

ſtra ſacra. Quæ in ſanguine unius individui profundè admodum ſepulta hærebant; ea omnia ſpermati imprimuntur, inde facilius quàm ex ſanguine egredi aptiora: ſed citra arbitrium noſtrum utrinque hærent, & ex uno in alterum transferuntur: In novo fœtu ſic determinanda & propaganda, quæ in nobis idealiter tantum, vel imaginativè obverſabantur. Ideò ex homine homo, ex ave avis, arbore arbor, hordeo hordeum provenit. Non quidem ex qualibet ejus corporeitatis particula, ſed ſolùm ex ſpermate; Sunt quidem quædam creaturarum ſpecies quæ omnes partes corporeitatis ſuæ habent ſeminales; ſed non ſic in homine. Nam non ſanguis, non medulla, non bilis, pituita, vel alia còrporis humani contenta vel membra ſunt ſeminalia, ſed ſolum ſperma; vel in ſpermate deliteſcens Spiritus; qui nihil mutui accipit à membris, ſed ſolus omnia ſingulis influit. Ideo defectus membri in parentibus, non relinquit defectum in fœtu, ſed ex claudo, cæco, ſanus naſcitur fœtus; Defectus autem vel exceſſus Spiritus imprimitur primum ſpermati, poſt & fœtui. Ideo ex fortibus fortes, ex ægris morboſi proveniunt; vel ſi non tales ſtatim à principio; In ſanguine tamen hærent ſeminaria parium in fœtu paſſionum, qualibus exercebantur parentum alteruter; quæ in ſeptenariis vel menſtruis vel annalibus ſe produnt.

SECTIO VII.

Sunt extra nos Salia omnis generis; bitumina, ſucci, gummata, pruina, nix, gelu, pluvia, rores, imbres, nebulæ, fulgura, tonitrua, venti. Sed harum rerum omniũ, & plurium ultra recenſitas, Ideæ in nobis oberrant materialiter, ſæpè & formaliter. Quamvis pauci ſint qui hæc ſciant; Paucis enim noſtrum, & eorum qui nomina ſub talibus titulis profitentur, datum eſt penetrare judicio ad ea quæ in occulto noſtri fiunt, ſive fiant materialiter ſive formaliter, ſive activè ſive paſſive. Omnes in ſenſibilibus hære-

:e amamus, profundiorum ſcrutinii contemptores. Sunt :m aliqui ubique terrarum ditioris ſenſus; in quibus præ :is & plures, & certiores rerum ſenſibilium obverſantur ;, ideoque aptiores tum ad dijudicandum & docendum, ad diſcendum ſecretiora Naturæ opera; Sed plurimi & pau: ¿ immobiles rerum naturalium intùs alunt ideas; indociles , furentes, belluis feritate, aut pecudibus ſtupiditate non diſ- les. Nam catholica & indiſſolubilis eſt mundi ſenſibilis cum nſibili, majoris cum minori communicatio; Indiſſolubili :ulo interna externis, ſpiritualia corporeis, & tenebricoſa lu- s alligantur. Nemo metuit aut amat extra, niſi id cujus as intus gerit jucundas vel horrendas, vel à fatis impreſſas, vel rinſecus hauſtas. Ignoti ut nulla cupido, ita & nullus metus. ıo fortior aut amor aut metus ubi eſt, illic & ideæ internæ tum ıres tum vehementiores adſunt, ita ut homo eis ſuperior eva- re ſemper non poſſit, quamvis aliquando velit. Ab aqua me- it canis, non piſcis; Auriga & Nauta utrumque; tamen alter agis alterum, neutro enim omnino carere poteſt. In pericu- autem ſubmerſionis verſatur uterque ſuper terram ac ſuper a- ıam. Ita & defectus humiditatis. Hydrops enim nihil eſt a- ud quàm aqua in Corpore humano ſcaturiens, ex principiis il- s paribus ex quibus ſcaturiunt fontes aquarum extra nos, qua- um congregatio mare eſt. Tabes autem & Calculus ſunt fru- ꝉus confluentium principiorum ſalinorum in nobis; ſicuti ex- :ra nos ex confluentibus vaporibus & humoribus generatur li- mus, arena, petræ & ſaxà. A ventis, quorum violentiâ turres & mœnia ſternuntur, metuimus omnes; & tamen à violentio- ribus periclitamur intus, quàm fuerunt illi à quibus periclitaba- mur extra. Externorum enim vehementiam declinare poſſu- mus, ſine noxa; Internorum autem nequaquam; quamvis u- trique exiiſdem principiis & locis, nobis videlicet occultis, eo- dem generationis proceſſu ſurgant. Medicus autem non ſal-

tem

tem eorum quæ extra nos, sed & eorũ quæ in nobis sive quotidie sive rarò fiunt, accuratissimam habere debet cognitionem; si suo consilio & ipse sibi & aliis prodesse velit. Plurimi sunt qui merguntur aliquandiu ab aquis, & tamen extra metum suffocationis vel periculum: Ita & à ventis alii premuntur, sed non opprimuntur. Attamen sæpe fit quod illi qui periculum suffocationis evaserunt ab aquis, à ventis obruuntur; ita & in aquis suffocantur, qui non has, sed ventos metuebant; cum majori molestia & incommodo posterioris mali, quàm fuit prioris affectus periculum. Nam quidam ægrorum peste, vel tabe, vel apoplexia, vel alterius acutioris morbi genere exanimantur subitò, quos hydrops, vel calculus, vel podagra longius exercuit citra mortis subitaneæ periculum. Atque contra casus tales muniendi sunt patientes Medicorum industriâ, æque ac liberandi à præsentibus passionibus. Qui verò Medicorum versantur tantum circa sensibilia, illi præter quàm quod debiles sint judicio, ægros sæpè in periculosiora & graviora mala præcipitant, suâ imprudentiâ, quàm futuri fuissent consilio & operâ talium Medicorum destituti. Nam sæpè Medicus ægrum quidem ab humore aquoso, flatulento, vel hydropico liberat; ideoque vel ipse superbit, vel ab ægris laudatur, à talibus videlicet quorum animus profundius non pertingit quàm sensus permittunt; & quidem dignas refert laudes, quia profuit ægro, ablato onere quod molestabat. Quod si verò æger ex gravi passione in graviorem labatur? Tum non Medico, sed naturæ & fortuito casui imputatur malum, cujus tamen Medicus imprudens, & causarum interiorum morbosi affectus ignarus, faber fuit; Nam id exquisitum artis est, munire ægrum adversus tales casus, quàm ejus præsentes dolores mitigare aut omninò abolere. Non prævident quidem futura imminentia ægri, sed prævidere deberent Medici, si ægris prudentiores esse vellent. Nam si aliquis à periculo submersionis ereptus, in insulam collocaretur, in qua fame ei pereundum esset;

esset; cujus affectus plaga æquè mortifera est ac suffocationis, quamvis sit tardior; Non posset dicere se à morte liberatum per prius beneficium; sed longiori cruciatui expositum fuisse, morti certæ relictus. Satius enim fuisset ei breviori periisse plagâ, quàm sub violentiori & diuturniori æquè certum præstolari exitium. Talis est conditio ægrorum, qui à Tonsoribus & Circumforaneis per eorum laudata experimenta, aliisque imprudentibus Medicis ex una plaga in aliam, pejorem videlicet quàm prior fuit, devolvuntur. Ex Hydrope in Podagram, Epilepsiam, Contracturam; vel ex Podagra & Calculo in Hydropem; Consolidatis ulceribus pedum, communiter incurabiles vel admodum acuti & periculosi succedunt affectus in partibus superioribus; Ita & plures dantur affectus, qui ex uno passionis genere in aliud transmutantur, ob principii salini magnam in omnes formas proclivitatem. Dysenteria, Hydrops, Diarrhœa, Colica, Hæmaptyosis, Fluxus hepaticus, Calculus, Podagra, Odontalgia, aliique affectus plures alternatim quasi sibi succedunt, & unus in alterum desinit, vel detorquetur. Nam omnes surgunt ex sale vaporoso vel humido, quod æque facile in vaporem, quam humorem est convertibile, externis occasionibus id ad hanc vel illam speciem fortius urgentibus. Non est semper absoluta cura morbi, dum eò saltem se redactum esse sentit æger quod nullas ab eo sentiat molestias per diem, vel mensem, vel annum: Nam & sponte, sive sine omni artis adminiculo in suas quietes redeunt morbi, suo justo tempore evigilaturi. Omnes morbi Chronici, & intermittentes sunt ejus conditionis. Uti febrium exempla docent; Nam sicut hæ diurnis, ita plurimi alii, menstruis & annalibus recurrunt intervallis. Sed semine vel radice affectus alicujus omninò ex corporis œconomia exstirpatâ, tutus adversum recidivas, & symptomaticas reciprocationes erit omnis æger: Solis fatorum legibus obnoxius.

SECTIO VIII.

QUod in Corpore humano viva animalcula generentur interdum; nemo ibit inficias; Nam vermium generatio, utrique sexui, & omni ætati est familiaris; præsertim autem teneriori. Nos hic nolumus immorari prolixæ eorum externæ constitutionis descriptioni, nam hæc & scholis & vulgo optimè nota est. Sed ad abstrusiora mentem advertemus; ut animalculorum in nobis generari consuetorum investigare possimus & demonstrare genuinam materiam, generationisq; eorum pluribus incognitæ, authorem & modum. Atque ita non saltem ab incommodo ex jam generatis surgentium affectuum ægros liberare; sed & generationis eorum occasiones præcavere, atque ita omnibus & Medicis & ægris prodesse. Per vomitum, per nares, sicuti per sedes excernuntur Vermes interdum; Tamen inde concludi certò non potest, eos illic, vel in locis emunctoriis prædictis vicinis, è quibus egrediuntur, generatos fuisse. In Capite nulli omninò generantur homine superstite; Imò nec in stomacho; sed eo protruduntur aliunde, ex intestinis nempe propriè sic dictis, vel ex venis mesaraicis, vel in ipso hepate radicatis; Procedunt autem ex loco generationis suæ, vel violentiâ vaporum in emunctoria venarum fortius irruentium ex sanguinis massa; vel alvo infra nimis constipata; vel medicamentorum catharcticorum virtute, sursum vel deorsum impetum faciente. In ipsa vesicula bilis generari vermes, perhibent ipsi quoque Anatomici: Ita & calculos. Nullus tamen generationi vermium locus accommodatior est, quàm hepati venæ insertæ, eorumque orificia versus intestina propendentia: Nutritioni autem & accretioni intestina quoque majora subserviunt; quomodo autem id fiat, prudentioribus saltem demonstrasse sufficiet; Quamvis & ex hepate ovili & bubulco scisso, idem & ad oculum demon-

demonſtrari poſſit; in utriusque enim ſubjecti hepate, recens mactati, Vermes reperi latos, eosque plurimos. In naturali & ordinario ſanguinis motu nulla alia ſenſibilia ſunt in venis, quàm quæ cum ſanguine ſunt ejusdem & nominis & formæ; ſed quæ ex Venis ad eorum ordinaria emunctoria excernuntur, ea vel jam actu priſtinam formam depoſuerunt, ſicuti bilis & urina in eorum receptaculis, vel ſenſim eam relinquunt, quamvis ab initio egreſſus eorum ex Venis aliquandiu plus vel minus ſanguini ſimilia maneant; Quoque magis diſcrepaverint à ſanguine ex ſanguineis vaſis egreſſa, eò minus ſunt periculoſa, vel generationi vermium accommodata; ſed quo affiniora vel ſanguini ſimiliora fuerint, vel diutius permanſerint, vel in emunctoriis hepatis hærentia, vel inde egreſſa, tantò quoque celeriori & perniciosiori putrefactioni ſunt obnoxia, & ad vermium excluſionem aptiora. Putrefactio quidem omnis generationis clavis eſt; attamen Digeſtio in vaſis ſanguineis vaporum & humorum illic contentorum fiens, ſicuti & cibi potusque in ſtomacho, quamvis putrefactionis quoque ſpecies ſit, tamen valdè eſt à putrefactione, propriè ſic dicta, differens; nam digeſtio nullos vermes excludit, nec aliquos noxios humores generat, ſed ad nutritionem ſubjecti, in quo fit, vapores maximè utiles & neceſſarios prolicit. Ideò in Venis & ſtomacho nullum eſt generationis vermium commodæ periculum homine ſuperſtite; Digeſtio enim omnis talis mutationis hoſtis eſt; ſed hâc abolitâ, omnium noxiorum humorum imminet procreatio: In emunctoriis autem hærentium excrementorum nulla omninò, vel admodum exigua, eſt digeſtio, ſed ſola metuenda putrefactio, & eam concomitantia aut conſequentia incommoda. Videmus autem interdum excerni ſanguinem, non ſolum cum ſputo, vel per vomitum; ſed & cum urina, & alvi excrementis, cum majori vel minori violentia, acriori vel mitiori dolore, vel mortis periculo: In vanum laborantibus medicis fluxum ejus compeſcere ſtypticis deſudantibus;

tibus; cum talia sanguinem non frænent, sed fortiùs ad motum irritent; uti apparet ex obturato vase musto nondum defæcato; Eruptio sanguinis synceri sive fiat per guttur, sive per ureteres, sive per intestina; nunquam tuta, quia nulla ordinaria & naturalis; Ex naribus sæpe non semper utilis; Huic vicina est menstruorum in fæminis, vel hæmorrhoidum in maribus eruptio; de quibus singulis alibi. Sanguinis per guttur excreatio si diuturna; lethalis est, tabis indicium vel jam præsentis, vel mox affuturæ. Nam talis sanguis non ex venis solum, sed & ex arteriis simul in ventriculos cordis effunditur; illic aliquandiu subsidens & putrescens, variorum symptomatum causa. Qui verò ad Intestina labitur, & per monoculum excernitur; Venosus est, & extraordinariæ ejus in venis ebullitionis est indicium: habetque sibi comites lateris puncturas, aut dorsi dolorem, aut rugitus & tormina intestinorum, pro varietate saporis salini variantes. Recepta quidem est in scholis opinio, Venas mesaraicas, ex hepate ad intestina propendentes, non sanguinem, vel excrementa ex venis evehere, sed chymum ex stomacho attractum, in hepate in sanguinem convertendum, illuc deferre. Sed hujus erroris vel erroneæ opinionis fundamenta evertimus irrefutabilibus argumentis, in fragmento spagyriæ nostræ; Atque illuc Lectorem remittimus. Et quamvis ex cibulentis & potulentis materiis post finitam digestionem in stomacho residuis generari possint Vermes, si omne impedimentum abesset; Verùm novus cibus & potus in stomachum ingestus, novâ digestione putrefactionem in stomacho excrementorum, vel cibi reliquiarum fieri prohibet, easque cum novis cibi excrementis expellit. Sed in intestinis, venis mesaraicis, vesica, ut excrementorum sanguineorum, cibulentorumque receptaculis, si nempe longius quam par est constipata vel obstructa fuerint, varia generari possunt, & animalcula, & humores, pro diversitate materiarum putrescentium, & locorum commoditatem variantia. In majoribus intestinis,

stinis, in quibus excrementa solidiora hærent, possunt generari vermes, etiam nullis aliunde ad ea prolabentibus: Nam facilis admodum est eorum generatio, præsertim minorum: Sed in Venis mesaraicis tam facilè generari possunt ex sanguine, sicuti in Vesicula bilis; si non in omnibus simul, sed tamen in aliquibus earum meatibus. Infantes autem maxime periclitantur ab hoc affectu; Ex causa, quia fortior est motus in eorum sanguine quàm adultorum; ideò eorum venæ sæpe pulsu suo, pulsum arteriarum æmulantur; Quæ pericula continuant ad annum usque 18. vel 21. vel eos dies, circa quos augmentum corporis vel omninò, vel majori ex parte, terminatur. Sanguis non semper æque copiosus ad intestina labitur; nec semper æque diu illuc prolapsus hæret; sed in parte intestinorum superiori putrescens colorem mutat, in aliudque quid mutatus, vel aliis excrementis permistus, unà cum illis egreditur: Sed sæpè vermes excludit; ex iisdem principiis & capiti sæpè magnis & periculosis symptomatis infestus, epilepticis non dissimilibus. Ad curam itaque vermium non saltem eorum expulsio, & intestinorum à noxiis humoribus evacuatio conducit; sed maximè sanguinis ebullitio extraordinaria est mitiganda & reprimenda diureticorum & aperitivorum usu. Extrinsecùs adhiberi potest plumbi lamina in pauperioribus, vel auri in magnatibus; vel Mercurius in lagenula plumbea, regioni hepatis; talibus enim amuletis fervor sanguinis valdè compescitur, & incommoda inde surgentia vel arcentur vel tolluntur. Virtutes enim unitivæ corporibus inhærent metallicis, multò fortiores, quàm aliis medicamentis ex familia vegetabili petitis; tutiusque est extra sanguinis æstum compescere, quàm talia intus propinare. Sed hæc discretioni Medicorum relinquimus, vel admittenda aut mutanda, aut prohibenda.

SECTIO IX.

Solent autem quandoque ab ægris per vomitum vel sedes excerni variæ materiæ ficciores & humidiores, biliosæ, pituitosæ, cruentæ, limosæ, purulentæ, diversi coloris & odoris; Imò præter hæc alia quoque; quæ non solum vulgus rude miratur & stupet, sed medici quoque longo rerum usu & praxi celebriores. Nam non viva tantum animacula ut Vermes, muscæ, scarabæi, ex ore patientum progrediuntur; sed & pili, lanæ, cultri, aciculæ, clavi ferrei, & id genus similia, artificialia potius quam naturalia dicenda. Hæc non intus nasci sentiunt medicorum aliqui; sed flagitiosis artibus sagarum, vel alia impostura dæmonum, ab extra patientibus ingeri; Præsertim si eam opinionem persona aliqua veneficii suspecta suffulciat in Vicinia ægri degens. Sed hæc valde rara sunt; & tamen vere facta fide dignissimi referunt Practici: Vid. Martini Rulandi Curationum ejus Empiricarum lib. 1. De Eplepsia; Historia 6. Igitur quid de talium stupendarum rerum generatione vel causis sentiam hic me explicabo, & brevibus; Qui diversum quid senserint, licebit per me cuilibet quod libuerit. Communi opinioni hoc in negotio subscribere, turpe judico esse & ignominiosum Medico; Et tamen causam quisque talium casuum reddere nescit; sed supponit, quæ tales ægri evomunt, non in ipsis nata, sed forinsecus præstigiosis artibus, vel fascinis Veneficarum, injici; Talia autem falsa supposita multum nobis remoræ pariunt in sedulitate scrutinij naturalium; & rudiori plebeculæ nos alligant, ita ut solis titulis ab ea discrepemus, in causarum secretiorum cognitione. Scias itaque amice Lector, si causas talium affectuum scrutari placet, vel veras agnoscere; eas revera esse naturales, & sine omni fascino vel præstigiis humanis vel diabolicis, res stupendas in hominibus nasci posse, & nasci; intusque nata quocunque modo expelli vel egredi. Quæ quotidie vel ubique fiunt, quamvis

vis à principiis æquè occultis & insensibilibus procedunt ac ea quæ rarò fiunt, non miramur tamen, quamvis causas eorum omninò ignoremus, vel fictas veris substituamus; nemo enim est cui cordi sit omnia syncerè scrutari; præsertim unde exiguum vel nullum sperari potest lucrum. Operculum turpitudini adhibemus potius quàm rationibus veris nixi sapientiam affectamus. Vermes omnis generis lati, longi, teretes, glabri, multipedes excernuntur ubique ab ægris; receptaque est de eorum generationis modo, causis, locis apud omnes medicos Scholastica opinio; Nemo est de eo sollicitus an verum sit an falsum de ipsis suppositum: Sed experimenta quærimus potius, per quæ vermes, quos adesse putamus, ejici possint; ideò cariores nobis sunt quandoque seplasiarii vel circumforanei quàm prudentes & rationabiliter sua tractantes Medici. Sed quid mirum quod hic cum vulgo delirent aliqui Medicorum; Theologos enim quoque in serioribus delirare videmus. Sicuti præstantissimus quidam Theologus sollicitus fuit reddere causam, vel rationes, quare boni Angeli non obsideant homines, sicuti dæmonia id agunt? cum tamen satius fuisset primùm probasse quod fiat, quàm reddere causam quare non fiat. Miramur in hominum corporibus nasci clavos, ligna, aciculas, pilos, lanam, & alia per vomitum vel per sedes egredientia; Imo verò negamus ea intus nasci, sed statuimus ab extra intus in ægros injici; Quasi magis naturale esset ex cibo & potu nasci bilem, vel pituitam, vel cornu, vel ungulam, vel calculum, vel vermem; ideò saltem quod hæc sæpe vel ordinariè fiant, illa autem rarò & interdum & tamen utrumq; naturale est, ex cibo nasci & pilum in capite, & vermem in intestinis, & calculum in renibus vel vesica: Et id quod quotidie fit in omnibus & singulis Individuis; & id quod rarò, in paucissimis. Facilius tamē est in homine nasci aurū, cuprum, ferrum, lapidem, quàm in illis, vel ex illis, hominem vel bovem, excludi natum. Si homo microcosmus est, quid mirum itaque in homine omnia generari

nerari & fieri posse, quæ extra eum tàm ab occultis caussis, quàm ab extrinsecis artificialiter fiunt! si non omnia æque secundum extrinsecas mensuras, tamen interdum in quibusdam quædam, vel in solo animo, vel in corpore quoque. Quis est qui in cœcis natis effingit imagines rerum visibilium, ita ut illi somnient se videre, quæ extra nunquam viderunt, atque sic res à rebus discernere verbis sciant æquè ac videntes. Respondebis sine dubio, Amice Lector, quod naturale esset si in homine nasceretur massa alicujus metalli, illi similis quæ è terra provenit; sed clavos, cultros, acus, aciculas, quæ artificialia sunt merè, in hominibus nasci posse, incredibile videri; Sed probabilius esse, talia corporibus humanis à dæmonibus injici. Sed si injiciuntur forinsecus, necesse est ut eodem modo ingrediantur quo egrediuntur, scilicet magno cum conatu & doloris sensu; sensibilia enim à sensibilibus afficiuntur sensibiliter; Quod tamen non fit in illis subjectis quæ adeò varia evomunt; nesciunt enim se illi talia unquam deglutivisse, nec illi aliquos dolores senserunt citius, quam in ipso paroxysmo vel vomitu. Dæmones quidem spirituales substantias esse non inficiamur; sed eum sensibilia corpora crassa, gravia, ferrea, quales sunt clavi & cultri, aliaque ferramenta artificialia aliquibus sine omni passionis sensu injicere posse, id falsum est. Dic quæso, amice Lector, an magis artificiale sit formare oculum quàm clavum? Non miramur in utero matris nasci oculum, & os ex sanguine, exquisitissimo sensu prædita, sed in ægris nasci clavos, cultros, aliaque ferramenta artis operibus similia, mortua tamen, miramur & impossibile judicamus. Nos homines nihil scimus, nisi aliunde edocti, ne loqui quidem; Sed Spiritus mundi hujus nullo extrinseco Doctore indigent, omnia ipsis implantata sunt intus, & quæ volunt, & quæ sciunt, & quæ possunt; Inventores artium primi, non aliunde habuerunt operum suorum ideas, quàm à Spiritibus, qui cum illis, etiam illius rei ignaris, sic communicabant, sicuti homo cum homine

vel

vel doctor cum discipulo: Si adest in aliquo subjecto Spiritus volens, sciens, potens facere ea quæ per nos extra nos fiunt, nihil est quod ipsum impedire possit; materiæ enim rerum omnium ubique sunt præsentes, inchoare & perficere opus suum. Quid mirum est spiritum patrare alicubi aliqua sine nobis, cum tamen nos nulla vel scire, vel velle, multò minus agere possimus sine ipso. Noctambulones & in densissimis tenebris vident, aguntque stupenda; quæ ne oculatissimi quidem & interdiu imitari vel scirent vel possent, etiamsi vellent. An igitur omnia nefariis artibus imputabimus quæ rarò, & à causis extraordinariis fiunt? Si id fieri justum esset, tum certè vel pauca vel nulla naturalibus causis & arti ipsi essent residua. Examinentur fodinæ metallicæ, & innumerabila illic reperientur adeò artificialiter sculpta & ficta, quasi humanâ manu facta fuissent; cum tamen nihil humani eis imputari possit. Sed de his prolixius videatur Philosophiæ nostræ Sacræ caput de Miraculis & Monstris: Et Caput de obsessis: hujus operis.

SECTIO X.

SCire quoque inter est Medico, undè vel secundùm quam regulam definire debeat ægris cibi vel speciem vel quantitatem; ita ut nec naturam cujusque Individuam defraudet necessariis; nec oneret superfluis; nec offendat contrariis. Naturam verò in omnibus sequi velle, sine omni præmissa deliberatione æqui vel iniqui; Brutale est. Eam autem sequi nolle in necessariis, sed ei præscribere, quid, quando, quantum, quoties appetere debeat; delirum potius videtur quàm sapiens. Necessitatem autem à voluptate non discernere scire vel velle nescio an magis sit temerarium quàm impium. Oracula divina consulere velle in rebus merè naturalibus, superstitiosum. Ex mole corporis de quantitate sumendi vel porrigendi cibi aut potus, periculosum.

A cibo & potu nunquam abstinere; pejus quàm bestiale: Omnino fugere utrumque; Impossibile. Hunc vel illum actum differre, accelerare, relinquere; potus vel cibi quantitatem vel speciem immutare, augere, minuere; Medici Rationalis est officium. Quæ igitur regula tenenda vel sequenda, in sumendis, vel præscribendis cibis? vel quis ordo servandus? ita ut nihil delinquamus edendo vel bibendo, esuriendo vel sitiendo; nihil in excessu nihil in defectu alterutrius; nec Deum, nec Naturam; nec nos ipsos offendamus; atque ita ab omni morbo, quantum per industriam nostram fieri potest, liberi vivamus ad finem usque? Dissentiunt hâc in re Medici; nam alii cibum, alii potum largiorem præscribunt; alii prandium, alii cœnam largiorem svadent; alii cocta assis; alii assa elixis vel frixis præferunt. Alii similam siligine, vel hordeum, vel avenam, vel pisa, vel milium, vel fabas conducere magis, contendunt. Alii vinum cerevisiâ permutant, vel miscent; alii loco utriusque ptisanam, vel julapia, vel decocta, vel syrupos, vel lacticinia substituunt. Alii carnes avium domesticarum vel sylvestrium, alii quadrupedum, vel piscium conducere magis judicant; alii obsonia obtrudunt loco carnium, poma, pyra, persica, cerasa, nuces; alii crudorum, alii non nisi insolatorum, conditorum vel coctorum usum suadent. Ita ut regulæ Medicorum diæteticæ æque onerosæ, periculosæ, & formidabiles sint ægris, quàm ipsi affectus morbosi eos per intervalla sævius exercentes. Imo miserior videtur ille, qui à Medici consilio pendere vult æger, quàm omni medico planè destitutus. Nec id mirum alicui videatur; Nam plurimi medicinam profitentium omni judicio proprio & ratione sunt destituti, totique ab aliorum placitis pendent; quamque ex libris, sine rationis & judicii trutina, hauserunt cognitionem, eam vel sequuntur, vel novam aliquam adstruunt, priori vel peregrinâ rudiorem. Igitur amice Lector, si tu & tibi ipsi, & ægris à te hac in re informari cupientibus, tutò & prudenter consulere volueris; Nemi-

Neminem vel ipse sequaris; nec alii ut sequatur author sis, quàm tuam Individuam, atque cujuslibet Personæ peculiarem naturam, vel naturæ instinctum, tàm sanus quàm æger. Nam ea essentia, quæ corporis hujus structuræ author, & per vitam integram ejus fidelissimus tutor est, quotidianusque pastor & restaurator, fidem suam non derogabit nobis ægris, quam exercuit in nos bene habentes, quamvis à nobis per vim alio sæpè tracta. Hoc tamen agas hâc cum cautela, ut consuetudinem & necessitatem interdum naturalibus scias reconciliare desideriis. Nam quamvis non sit humanæ rationis opus, affectus animales vel naturales semper & tantùm sequi; Sed in naturalibus & necessariis sequi nolle stultum valde est. Præstat interdum brutæ naturæ impetum sequi, quàm peregrinis falsisque opinionibus obsecundando, ejus leges ordinarias & necessitativas turbare velle, cum maximo valetudinis & vitæ dispendio. Medicus, ex requisito officii sui, non animi adeò sed corporis curam gerit, vel virium ejus, ita ut integras in integritate conservet, vel imminutas restauret, vel prolapsas erigat, quousq; ejus intentioni fata favent, & conscientia ratioque dictitat. Nihil autem peccat Medicus vel æger contra Deum, contra pietatem, religionem, rationem, si naturam ducem & dictatorem sequatur in mere necessariis; Nam neminem sequi debet alium ars quàm Naturam quoque. Si tu sitienti potum, vel esurienti cibum exhibueris, non quem tu ex Arte tua ipsi magis profuturum putas; sed quem ejus Natura sibi porrigi efflagitat, aliter nobiscum loqui nescia nisi per appetitus & desideria, tum tu non inferes naturæ vim, sed subsidio eris morbo reluctanti: Peccabis autem, & morbo robur addes, si naturæ postulata vel negaveris, vel mutaveris. Spiritus enim illi qui in formato, & numeris omnibus absoluto, corpore sitiunt vel esuriunt, sunt ipsius corporis vitæ authores & fautores; his autem intus melius patet quàm tibi, quo destituantur, & quanto, quo, quando, quoties egeant. Non est tibi liberum sitire

re vel esurire pro arbitrio tuo; Sed natura ipsa corporis, vel spiritus seminalis cujusque individui, lex est omnium talium affectuum, non superficialiter saltem demonstrans, sed violenter flagitans sibi porrigi desiderata. Potest quidem & homo & animal quoque onerare se & cibo & potu, ultra & contra naturæ requisitum; sed hoc modo illatam injuriam vel vim naturæ, suo incommodo, periculo, & damno luet, ocyus vel tardius, quisquis intulerit. Verum quidem est, quod natura falli possit: sed ab arte, vel homine extrinseca imaginatione decepto, non autem à se ipsa; Nam si natura efflagitaverit carnes, easque vel suillas, vel ovinas, easque vel coctas, vel crudas, vel pisces, vel aves, vel lac, vel caseum; tu autem ei porrexeris cibum quidem, sed ab ejus desideriis diversum, aut omninò discrepantem; putas tu quidem te naturam fefellisse & ægro profuisse, id agendo, quia nihil pejoris mali subsequutum fuit tali dolo ex tempore; Cras tamen vel perendie apparebit fallaciæ fructus, aut brevi post; quod malum medici non sibi imputari volunt, sed alteri, eique non causæ; nolunt enim illi scire vel fateri aliquando se erraffe, quamvis id fiat sæpius. Examina pecudes, oves, vaccas, equos, feles, canes, quare non sint æquè salubres & vegetæ ac bestiæ sylvestres? Respondebunt tibi, quod tuo in id trahantur vel cogantur incommodum vitio, aut avaritia, aut paupertate, aut persuasione: Nempe quia tu ab ipsis desiderata permutas, aut longius justò differs, aut omninò negas, ordinemque legum eorum naturalium turbas. Si liberè eis liceret pasci, vesci, bibere, quiescere, moveri, sicuti sylvestribus, secundùm dictamen & mensuram appetituum eorum internorum; nec adeò valetudinariæ essent, uti sunt; nec adeò discreparent catuli à parentibus; uti quotidiana docet experientia, eos discrepare. Porrige equo sitienti pabulum, aut esurienti aquam; aut utrumque fastidienti, alterutrum; aut aliquid de cibo tuo, quem tu pabulo ejus facilioris concoctionis esse judicas, ægro: Experieris tunc quid

quid ille tibi sit responsurus. Non bibet certe nisi sitierit; nec edet nisi esurierit; nec de cibo tuo gustabit æger, proprium ei fastidiens pabulum; nisi per vim ei aliquid de aliquo in guttur ingesseris: Atque hoc modo docebit te, quid tibi & quando agendum sit tum sano tum ægro; vel consulendum alteri in casu simili, nisi equo velis esse vilior & brutior; artem tuam irrationalem naturæ præferendo, & bonitatem ordinationis Divinæ aspernendo. Sed objiciet aliquis; ad quid igitur conducet ars, si saltem omnibus soli naturæ obtemperare conduceret omnibus, & sanis & ægris? Magna est certè artis utilitas & necessitas, non ad reluctandum naturalibus affectibus, vel eis contraria suadendū aut moliendum; sed ad cognitionem morbi, vel entis illius, à quo natura vim & injuriam patitur, ad investigandum ejus centrum quiescentis, & mitigandum virtutes in nos irruentis, atque sic ad muniendum animum & corpus adversum ejus molestias, quo nec adeò frequenter, nec adeò longè, nec adeò vehementer nos oppugnaret. Affectus naturales terrestrium virtutum, non parent medicamentis, vel legibus artis, sed spiritui suo seminali, & fatali necessitati. Natura enim animalis bruta omninò est, nec vult, nec scit, ideò nec potest peccare vel aliud quid agere, quàm quod fata urgent, & lex seminalis cuique individuo implantata singulariter dictat & influit. Ignis non potest non urere; Sapor, odor, color necessariò suos communicat sapores, odores, colores cuilibet subjecto, cui applicatur, & quod virium ejus capax est. Et dum quæque agunt quæ debent ex requisito individuæ naturæ suæ, omnia benè habent; Ars autem naturæ non est dux, sed comes; non magistra vel doctor, sed serva & discipulus. Hominem quidem Deus creavit in principio liberrimum, nulli affectui naturali necessariò parere obnoxium; sed omnium Imperatorem & Dominum; Sed homo post, Deo similis fieri affectans, per superbiam, naturalium affectuum evasit & ipse, qualia prius sola bruta fuerant, mancipium. Sensim verò

&Naturæ & Deo rebellis factus est, & quotidie se talem demonstrat, nec promissionibus, nec minis, nec aliorum exemplo, nec mali passione mentem mutat, aut mutare assentitur. Nisi nos quotidie peccaremus vel relinqueremus legem ordinationis divinæ, & affectibus brutalibus non quidem in naturalibus sed moralibus, obsequi amaremus, nihil infesti in mundo hoc haberemus, sed amica, sed servilia omnia. Jam autem omnia quæ extra nos sunt nobis, in nobis & imperant & dominantur; non autem quisq; hæc ita fieri agnoscit qui patitur, sed vel fortuitò, vel ex nostra industria omnia nobis & intus & extra evenire existimant plurimi. Præstat tamen obedire illi, cui impunè refractari nemo potest, ne aliquis sibi ipsi molestior fiat, quàm id est, quod evitari nequit. Quia autem homo dubitat se totum naturæ committere; se ei autem omninò subtrahere, nec viam scit nec modum; Igitur Ars est quæ eum docet tenere medium; & obsequi in tantum naturalibus suadet aut consulet, ut necessitati satis fiat, non autem voluptati, vel petulantiæ & temeritati. Opinione interveniente, peregrinà persuasione turbata, periculosa sunt omnia quæcunque à naturalibus concupiscentiis declinant; Nam sive benè sive malè obedientia cessent ægri, vel Medici consilium, hic tamen nihil sibi vult imputare mali, sed naturæ totum; si bene cesserit consilium, ille sibi imputat non naturæ, quamvis huic non arti imputandum esset; Nihil enim ars potest quàm applicare activa passivis, de eventu dubia. Non ab arte itaque petenda sunt consilia ad delectum ciborum, vel eorum quantitatem facientia, sed à natura ipsa, ipsius id quidem dolorem patientis personæ. Ars dubium ægrum non debet turbare magis, vel terrere meticulosum, multò minus eò ducere aut cogere eum, quo natura nec sequi potest, nec vult. Multos quidem consilio Medici obsequentes convalescere assentior; sed an id fiat ob obsequium, vel naturæ ipsius benignitatem, dubium est, quàmvis Medicus aliud & sibi & ægro persuadeat. Plurimi ægrorum sine Medicorum

dicorum consilio, naturæ suæ appetitibus obsecundantes, animalibus inquam, non voluptuosis, temerariis, petulantibus, periculosissimos & vehementissimos superant morbos, aliud quid ominantibus Medicis, vel prognosticantibus; cum magno dedecore eorum & ignominia. Exempla plurima nobis suppetunt, sed ea sunt odiosa.

SECTIO XI.

FAmes & Sitis, præcepta sunt Spirituum animalium, à suis aut mancipiis aut confœderatis cibum & potum, jam hunc jam alium, tamen ad satietatem semper exigentium; Quos nisi administraverint membra extrinseca intrinsecis desideriis pares; Aut exigere Spiritus utrumque non cessabunt, aut membra corporis aliquâ sui parte periculum damni gravioris, vel omninò damnum patientur. Satiatis autem spirituum desideriis, tum nullam molestiam sentit corpus, donec spiritus absumpto pabulo priori ad novum sollicitandum reversi fuerint. Sopitâ quidem eorum violentiâ non omninò otiosi sunt spiritus, sed restaurant omnes defectus quos alicubi adesse, suo vel corporis damno, senserint; A sumpto autem cibo, & potu; vegetiores sunt intrò magis quàm extra, ita ut membra potius in quietem quàm ad motum sint procliviora. Nam sopor amicus & valdè blandus irruit in homines post cibum captum; Spiritus enim in se ipsos contracti vel coarctati, externa aliquandiu relinquunt, mox tamen ea iterum repetituri. Quid igitur à cibo agendum sit nobis, consulenda erit Ars, ne vel corpori vel spiritibus aliquomodo iniqui fiamus, necessariorum negato usu, vel inutilium occupatione & ingestione. An somno statim à cibo sumpto indulgendum esset, alibi dicemus; hic aliis occupabimur. Multum interdum transmittitur cibi & potus in stomachum, ab hoc vel illo individuo plus aut minus; & tamen ultra modum vel extra consuetam

suetam quantitatem non excrescit corpus, parciori vel largiori cibo pastum; sed pygmei quales fuerunt ab initio, tales semper manent, nec majores fiunt aucto cibi vel potus pondere; nec minores alterutro vel utroque diminuto: Sciendum itaque est, quod non ob abundantiam cibi vel potus corporis fiant accrementa; sed ob vegetam & seminalem conditionem Spiritus corpus certum incolentis. Non enim pro varietate cibi & potus variant Spiritus, sed pro varietate legum eorum fatalium. Nec plus retinent in œconomia corporis sui quàm convenit, etiamsi plus ingestum fuerit quàm exigebant; oneranturque potius quàm lasciviunt superfluo, sed hoc unà cum noxio ex corpore excernunt. In homine plus non retinent, quàm id solum quod sine pondere fuit in esculentis & potulentis substantiis; has verò sub integro pondere excernunt, sub quo acceperunt. Quod verò retinent, id ponderibus vestiunt, suisque usibus adaptant, carnem & sanguinem, ossa & membranas cujusq; membri vel restaurando, vel à decremento præcavendo. Hòc certè mirari subit, quomodo nempè ex unius generis cibi vel potus genere, tàm variæ generari possint fæces, tam variis signaturis ab invicem discrepantes, & in diversarum specierum animalibus, & in diversis individuis unius speciei, & in diversis membris unius ejusdemque corporeitatis. Eodem frumento saginatus bos, quo pascitur equus; vel sus, quo ovis; vel anser quo gallina; ecce quàm differentis saporis, odoris, coloris & carnem acquirunt in se, & extrà se fæces ejiciunt. Ecce quotuplicia excernit homo, urinam, sudorem, fæcem alvi, bilem, pituitam, sputum, narium mucum, aurium sordes, pilos, ungues, crines, callos. Quàm variis saporibus invicem discrepant cujusque intestini interioris parenchymata, etiamsi non nisi unius generis cibo vel potu nutriatur Animal: taceo ipsorum externæ conformationis discrepantiam. Id verò pro excremento totum reputandum est, quod sine sensu doloris, & jactura virium excerni, vel resecari à corpore potest;
quan-

amvis aliquandiu suâ utilitate corpori inhærens non destitua- ; nisi ultrà debitum tempus & majori quantitate id molestet mùm, tandem verò & pejoris mali ultra ponderis molestiam, natur periculum. Scholæ docuerunt nos de mutatione cibi sanguinem, quod sensibili modo & processu fiat; Sed errare s qui sic sentiunt, docet experientia: nos quoque sanis ratiobus alibi opinionem eam enervavimus. Aqua pluvialis non ansit in succum arboris, vel formam vegetabilem non acquirit mplici alteratione, sed actu substantialis mutationis præmisso, spiritu cujusque corporis vegetabilis seminali instaurata. Idem t & in homine. Cibus enim & potus, in stomachum per os receptus, virtute Spirituum corporis architectorum eis impresso alore, digeruntur, & in eam formam rediguntur, quæ Spiritibus psis uniri primùm, eorumque desideria satiare possit, post & ossa enetrare, & abscessus per solidissima quæque sine continui dissolutione facere. Ita ut post satiationem spirituum corporis quoque membra sensibilia restaurari possint, non tam ex vapore cibi, quā sanguinis, in cujus locum vapor à spiritibus è cibulentis materiis allectus sublegatur. Nulla est generatio bilis ex cibo vel potu, imò nulla sanguinis immediatè indè fiens, sed præmissa à spiritibus, uti dictum, præparatione: Spiritus autem suas reliquias vel superfluitates in sanguinem sensim destillant, cujus substantia novo digestionis actu humores producit excrementitios, eosque ad emunctoria venarum protrudit, donec ad communes excrementorum alveos prolapsa una cum reliquiis cibi ex corpore, per monoculum, excernantur. In momento quasi ipsius esionis & bibitionis satiantur spiritus; sed & sanguinis generatio & saginatio membrorum tardius succedit. Sanguis est quidem domicilium spirituū, sed spirituales essentiæ in sanguine delitescentes non sunt sanguineæ, sed per sanguinem membris alligantur; sanguine effuso, cessat spirituum quoque cum corpore priori communicatio. Spiritus in sanguine nunquam sunt otiosi, sed

indefatigato motu movetur, jam intus in sanguine, jam in membris vegetiores; jam magis imaginativi, jam magis sensuales. Ideò non semper esurit vel sitit homo, nec semper vegetus aut somnolentus est homo; nam Spiritus non semper eadem curant, amant, fastidiunt, oderunt, sed omnes suos actus justis intervallis aut reciprocant, aut innovant, fatalibus legibus obtemperantes, sed membra spiritibus. Hi enim fatorum sunt ministri; homines verò spirituum; si non semper violenter coacti, uti bruta; plurimum tamen voluptuosà imagine allecti aut decepti. Non est causa famis defectus sicci in nobis; nec sitis, defectus humiditatis. Sed Spiritus sunt legislatores talium affectuum, non quidem arbitrarii, sed quadam quasi necessitate fatali impulsi. Hydropici non destituuntur humiditate, sed tantò plus sitiunt quantò magis salsus in eis redundaverit humor. Fastidiunt verò cibos; quia Spiritus non saltem premuntur onere humoris actu sensibilis; sed & vi compelluntur ad promovendam salis dissolutionem; citrà quam vim, vel ejus fati violentiam alia agerent vel appeterent.

SECTIO XII.

Magna sentitur molestia à fame & siti, deficiente sufficiente quantitate & specie ab eis desiderati cibi & potus. Sed æquè magna, imò & major sentitur ab excrementis ciborum post saturationem spirituum in eorum reipublicæ æconomia residuis. Nam spiritus æque fastidiunt superfluum, ac exigunt necessarium, ab illo autem magis & periculosius afficiuntur in corpore præsenti, quàm ab hoc longius delato. In superiori sectione docui, quomodo cibulentæ materiæ, aptæ reddantur ad nutritionem Spirituum, vel quomodo ex eorum substantia eliciatur portio aliqua apta ad unionem cum Spiritibus & corporibus animalium: Hic breviter dicam, quænam incommoda metuenda sint ab excrementis, vel reliquiis materiarum prædictarum; & quo-

modo ex corpore vel ſponte egreſſum moliantur, vel ab arte ellantur. Natura non ejicit cibos ſubitò, ſed eos aliquandiu orpore retinet; Linguæ id officium eſt, vix deguſtatos deglu-, vel per œſophagum ad ſtomachum ablegare: Cibi in corpus greſſi, materialiter inſerviunt ſpiritibus naturalibus; ſicuti ferm fabro; Suas enim ſcientias ſeminales in eis determinant, & r eas propagant ſpiritus, donec omnia effecerint ad quæ eos a deſtinarunt. Sicuti autem non omnia ad quæ eos fata ſtinarunt ſimul & ſemel inchoant, vel ſi inchoant, non onia æquè ſimul ſunt in exordiis ſuis ſenſibilia; ſed quædam priò, quædam poſt moliuntur, & facta futuris per præſentia coctunt; Primùm ſibi ipſis proſunt, ſive deſideria ſatiant ſua; m ad providendum membris ſe accingunt; ultimò excremenrum expulſione occupantur: tantum enim incommodi ipſis nminet poſt à reliquiis ciborum in corpore diutius retentis, uantum commodi ſenſerunt primùm ab injectis; Non gravaar pondere ingeſti cibi animal in principio; ſed & ſolutâ digetione, à minima quaque portione excrementorum moleſtatur. Diſquiremus itaque hic, cujus virtute excrementa ad emunctoia ſua ablegentur, & ex corpore omnino propellantur? An ſcilicet eorum ſpirituum virtute, qui cibos eſuriendo & ſitiendo efflagitabant, id fiat poſt? an in emunctoriis hæreat illa expultrix vis? An in excrementis ipſis, aut alio aliquo principio? Eſio & bibitio à ſolis ſpiritibus urgetur per famē & ſitim, qui cum jucunditate cibulentas materias in corpus recipiunt, & ſine ullius ponderis ſenſu vel moleſtia aliquandiu retinent; Sed cibi brevi poſtquam ingeſti ſunt, evadunt ſenſim pondere ſuo moleſti, & gravant corpus, quod non fuit factum in principio: Quod ſpiritus ſatiati quantitatem ciborum determinent, citra dubium eſt; ſed quis eos oneroſiores poſt facit, quàm fuerunt in principio? Quod à cibo poſt ſumpto, prioris reliquiæ ad exitum urgeantur; id verum non eſſe, citra alia argumenta, ipſi docent infantes;

M 2 nam

nam hi cacant etiam per os nullo cibo degustato; imo quotidiana experientia testatur multos, qui ordinariis horis quolibet die pascuntur, non tamen toties imò ne quidem singulis diebus alvum solvere: Imò nisi fæces cibulentarum materiarum & excrementorum sanguinis sponte sua ad exitum inclinarent, irritus esset, aliunde in eas fiens impetus. Orificia emunctoriorum, vel ipsa vasa per quæ fluunt materiæ excrementitiæ donec effluant, non habent sibi insitam vim aliquam expultricem, quamvis ex fibris conflata sint rectis vel transversis; ideo eis quoque imputari nequit, quod ipsis non debetur. Intestina, stomachus, venæ, arteriæ, ureteres, vesica, meatus urinarii receptacula sunt & diversoria fæcum & ciborum, nutritivorum & excrementitiorum humorum, utilium & noxiorum; nihilque dant spiritus his aut illis, sed omnia ab his & illis recipiunt: Contenta autem ipsa, sive materiæ alimentosæ & excrementitiæ inhærentes ipsis habent spiritus, aliæ ad fluxum, aliæ ad refluxum procliviores. Nec etiam à pondere vel quantitate excrementorum procedit eorum ad exteriora fluxus; vel si in quo loco ab hac causa ipsorum egressus cieatur; tum vix alii membro id imputari poterit, vel aliis excrementis quam in vesica, vel proxime ano incumbentibus: Emunctoria interiora anfractuosa sunt, & per lineam rectam moveri eorum contenta non permittunt; Nisi vapor accedat, obvia quæque sibi protrudens; isque superne deorsum irruens; nam si inferne sursum ascenderet; per easdem vias egredi deberent excrementa, per quas alimenta ingrediuntur. Sed talem quandoque vaporem excitare conducit, si in reliquiis ciborum desit. Reliquiæ cibi potusque in stomacho vel intestinis hærentes, ita & fæces sanguinis, absoluta digestione, ad emunctoria properantes, vel illic quiescentes, orbæ sunt omni volatili spiritualitate, & quicquid ipsis residui inest; id totum vel majori ex parte, graves, fixos, acres & mineralis naturæ consortes spirat vapores, non lenis vel digestivi caloris beneficio afficiunt nos, sed multò inten-

intensiori & putrefactivo stimulant & distendunt vias fluxus sui, atque sic sibi ipsis exitum parant; Docet hæc, & eorum conditionis statum depingit, artificialis destillatio succorum vegetabilium, digestionis beneficio reclusorum; nam hi levissimo calore adjuti spirant vapores subtilissimos, saporibus omnibus destitutos, vel admodum levibus præditos, sive spiritibus maximè affines; Sed post hos ex materiis residuis alii succedunt vapores graviori sapore, odore & colore præditi, intensiori igne ad exitum propelli volentes, & deorsum potius quam sursum inclinantes: Norunt hæc artistæ; ideò non opus est ut longius his moremur. Atque talis est conditio omnium materiarum alimentalium in nobis; nam quæ subtilia & spiritualia in eis sunt, ea exhalant primùm; post graviora & ad naturam mineralem magis inclinantia; qualis est conditio fimi omnium animalium; de quorum diversitate, alibi quoque philosophabimur. Processus vaporum nutritivorum ad spirituum œconomiam est insensibilis, & oculari scrutinio imperuestigabilis; Sed excrementorum fluxus ubique manifestus est, sensibiles enim sunt eorum corporeitates in fluxu, sicuti in effluxu.

SECTIO XIII.

Nutritionis & Excretionis actus valde diversi sunt, alios quoque singuli habent authores instrumenta, processus & vasa; uti diximus. Spiritus quidem sunt qui esuriunt & sitiunt; qui cibos digerunt, illorumque spiritibus satiantur; & ex illis corporis sui membra & ædificant & restaurant. Insensibiles sunt nutritionis & accretionis authores; Insensibiles quoque eorum actionum processus. Sed manifestæ sunt cibulentorum potulentorumque substantiæ, ita & excrementorum; externus denique amborum in corpus ingressus, & inde egressus. Ingestio cibi & potus in stomachum, ad conservandam valetudinem & vitam animalis est necessaria; Ita quoque amborum ex corpore egestio:

Et sicuti cibi variè præparentur extrà, necesse est, citius quàm à nobis ad usus quotidianos adhiberi possint; Sic & excrementa variè mutantur in corpore, citius quàm egredi vel expelli possint, sine molestia vel doloris sensu, & virium jactura, vel membrorū læsione: Nam tutius ingrediuntur quàm egrediuntur omnia. Interdum plura egrediuntur uno impetu, quàm sæpè ingesta fuerunt; interdum pauciora in frequenti dejectione quàm conducit; interdum excernuntur quæ retineri salubrius esset; interdum retinentur, quæ ejicere conduceret. Interdum talia vitia derivantur ex spiritibus in alimenta & excrementa; interdum ex his in spiritus; Interdum sola obstructio membri noxia est, interdum ejus continuitatis solutio; Et quamvis varient causæ internorum affectuum sæpè, vel semper, & in quolibet individuo; omnium tamen conscius esse debet Medicus, ut medicamenta cuilibet affectui correspondentia applicare possit: In eum etiam finem inventæ sunt variorum medicamentorum formulæ, nempe digestivorum, purgantium, stipticorum, diureticorum, diaphoreticorum; Variæ quoque docentur de eorum applicatione in scholis regulæ, doses medicamentorum, eorumque exhibitionis modum, locum, tempus, vel dilationis & accelerationis, definientes: Quo simile simili nutriri, restaurari, conservari; contrarium contrario debellari, oppugnari & destrui possit, cum naturæ emolumento, Patientum commodo, & Medicorum famæ lucro, divinæque gloriæ incremento. Sed sicuti utilis valdè & necessaria est in Medico ars & summa prudentia; Itaquoque ignorantia & temeraria audacia est valde noxia illis ipsis & ægris perniciosa; Ita in ægris multum obest & naturæ & arti eorum incredulitas, impatientia, intemperantia, tenacitas & ingratitudo, vel externis persuasionibus depravata imaginatio. Nam apud tales ægros nullus est locus Rationi, nullus veritati, nullus prudentiæ, nullus arti, nullus conscientiæ. Præsertim si similes sibi ament ægri Medicos; Impostorum tunc sunt

ſunt plena omnia, nam & ægri ſe ipſos fallunt turpiter & falluntur à Medicis. Ignorantia & deſidia Medicorum, occultarum qualitatum titulos peperit & invexit in ſcholas, ignavis & ignaris ex æquo patrocinantes. Quicquid enim judicio ſuo aſſequi nequit Medicus, vel neſcit, vel non vult, quamvis ſit ſcitu neceſſarium, & facile perveſtigabile; tamen quia inconſuetum ideo & falſum; vel quia inauditum, ideò ad occultas qualitates relegatur; Quamvis ſit ſcitu neceſſarium: Malunt tamen multa mirari cum vulgo Medici, quam ſcrutari; majus lucrum ab illinc quam ab hinc ſperantes. Quaſi nihil ſit veri, quod non tale pronuntiarint ſcholæ, vel nihil ſcibilis quod illæ ignoraverint. Ecce quàm fortis eſt impreſſio imaginum dormientibus obverſantium: nam hominem ſæpe ad ardua & impoſſibilia cogunt dormientem, quæ nunquam facturus fuiſſet vigilans ultrò, imò ne mercede conductus, vel vi coactus: uti demonſtrabimus de Noctambulonibus acturi. Sed quales imagines in noſtrum aliquos irruunt dormientes, tales & vigilantibus ſæpe moleſtæ fiunt, ita ut occæcent & mentem & ſenſus, ita ut pericula vel damna quamvis proxima evitare vel neſciant vel nolint; præſertim ſi non ſubito evanuerint, uti ſubitò nos quandoque invadunt. Quantum valeat timor vel terror intrinſecus? docent exempla & audaciſſimorum fortiſſimorumque virorum, extra caſum hunc; plus enim ſibi metuunt ab imagine interna, quam ab externis mille terriculamentis: Idque ideò ſaltem fit, quod internæ imagines affiniores ſint Spiritibus, quàm entia extrinſeca & ſenſuum menſuris menſurabilia. Qui vero externa metuit, ille tantò magis & periculoſius ab internis afficitur. Qualitates ſenſibiles, saporibus, odoribus, coloribus, caloribus & aliis formis ſenſibus internis vel externis obnoxiæ; ſunt veſtes Spirituum, non formæ genuinæ, nobiſcum communicantium. Sed ideæ vel imagines nobis in animo obverſantes, vultus ſunt Spirituum, ſe nobis inſinuantium quoad eorum virtutis, vel cognitionis, vel concupiſcen-

piſcentiæ, partem minimam; Si integri nobis apparerent, impoſſibile eſſet nobis ſupervivere: nam ſtatus hujus corporis præſentis non poteſt perpeti, ſine ruina ſui, eorum integras menſuras. Si quilibet Spiritus metallicus, adeò leviter diſſolubilibus vinctus eſſet numellis, qualibus eſt vinctus ſpiritus Salis Nitri dicti; Certe admotâ unicâ ſcintillulâ ignis adeò ſubitò conflagraret mundus integer, ſicuti pulverem pyrium diſſipari ſubitò videmus. Sed Creator ſingulos ſpiritus eorumque virtutes, cognitiones, & voluntates, peculiaribus vinculis conſtrinxit; ita ut aliæ virtutes aliis pulcro ordine ſuccedant, permutentur, unjantur, miſceantur, aliæ ab aliis irritentur ad motum, vel ad quietem ſenſim ducantur, vel violenter trahantur & pellantur; alias liberiores reliquit; alias laxioribus ſaltem alligavit; Alia omninò indiſſolubilibus nodis conſtrinxit ita,ut nullæ virtutes, cognitiones & concupiſcentiæ, illis prævalere poſſint, quamvis violentiſſimæ; niſi ſingulare ejus mandatum nobiſcum concurrat. Qui videntes ſunt Philoſophi, qui prudentes, qui liberi ab omnium peregrinarum opinionum faſcino,non improbabunt ſententiam noſtram, citius quàm juſtiſſimè ponderaverint. Cœci, vel judicio deſtituti, non niſi in ſenſibilibus hærentes, ſpernent hæc noſtra, & contemnent, non ut falſa quidem; ſed captum mentis eorum excedentia: Attamen proximo inſervire decet & jubet charitas; in contrarium vigente invidiâ.

SECTIO XIV.

MEdicus ſenſus ſuos & mentem ad ſenſibilia primùm applicare debet ab ægro vocatus; Ex cauſa, quia ab affectu qui paſſionem efficit in ſenſu, à quo liberari cupit æger; quæ non ſentiunt ea ignorant, & quia ignorant nec metuunt, nec oderunt, quamvis ſint ſenſibilibus pejora. Medici verò plura non ſapientes quàm ægri, nec de illis quæ neſciunt tollendis ſunt ſolliciti; Sed

l circa ægros ægram quoque exercent artem, ab inopinatisq; ibus æquè ac illi qui eos patiuntur obruti, quo se vertant ne-unt; Ignorantiam propriam fateri vetat pudor: deserere o-ninò ægros, lucrum; tentantque ideo plurima, ut fortuito e-niat quod ab arte non sperant; adversum eventus, quamvis ıbios vel periculosos, præmissis tamen suavioribus munien-ım censent ægrum, ne nihil agere videantur, quamvis noceant lus quàm prosint consilio. Prudens Medicus videt futura citius uàm sensibilia fiant, & præmonet si non ægros, attamen ægri micos, de futuris inevitabilibus; & quamvis ingratis suam na-et operam, præstat tamen conscientiam liberare à metu, luàm ægros meliora sperantes, in periculum, vel jacturam unimi & corporis spontè præcipitare. Sunt corpuscula quædam in nobis sicuti extrà nos, quæ in suæ corporeitatis a-tomo vel grano, occultant virtutes inexhaustas, & corpori & spiritibus exitiales; à quorum grano tantum imminet periculi, quantum ab uncia vel libra integra aliorum. Sunt Antimonia, Auripigmenta, Arsenica, aliæ mille entia in nobis sicuti extra nos; quæ omnem virtutem Vegetabilium despiciunt, multò magis A-nimalium. Quæ nulla ars domare scit; nulla virtus vegetabilis superare potest; nulla sapientia prævenire. Talium corporeita-tum seminales rationes subitò se revelant, & subitò suam virtu-tem determinant; & citius quàm actum secundum inchoave-rint, vel primum terminaverint corpus mortificant. Harum æ-mulæ & inter vegetabilia deprehenduntur, ut Elleborus, Napel-lus, Esula, Elaterium cum suis speciebus, aliaque mille & exotico-rum & domesticorum. Quædam quidem mitiores habent spiri-tus, quædam vehementiores; quædam tardius, quædam ocyus se explicantes. Nullæ verò sunt inter prædictas corporeitates, quæ periculo omni careant, sine ratione exhibitæ aut acceptæ. Aliæ iterum tàm alimentales quàm medicinales facultates habent. De harum pariter ancillarum virtute hic disquiremus; an nempe

manifestis an occultis qualitatibus nobis prodesse aut nocere possint; vel alia aliqua occultiori vel manifestiori ratione; Multum alimenti requiritur ad satietatem plenariam famis & sitis: Sed ad propellendum fæces vel reliquias alimentorum in corpore hærentium exigua admodùm alicujus corporeitatis portio sufficit, quæ tamen centuplo imò millies majorem molem, in corpore contentam, expellere potest, quam fuit ipsa citius quam in corpus ingressa fuisset. Miramur vim adeò ingentem tàm exiguo corpusculo inhærere, & tàm præclaros effectus proficisci à re adeò vili; vel adeò periculosas commotiones ex materia insipida in nos derivari, quales post sumptum aliquod medicamentum aut venenum sequi solent, cum tam subita vel virium, vel vitæ jactura. Qualiter autem illæ virtutes in nos deriventur non constat sensui, nec rationi, nec ægro, nec Medico: Ignis liquefacit metalla per calorem; Aqua, salia per humiditatem: Aquam incrustat glacie, frigus; Mollia cedere coguntur durioribus, ob ponderis vel motus majoris vehementiam. Vinum inebriat, per transplantationem spirituum ejus in nos: Sed per quam formam se insinuat nobis Esula, vel Elaterium, vel Antimonium, dum in corporibus nostris virtutes suas exercet; Insipidum deglutitur à nobis, nullisq; viribus putamus esse præditum ex externis ejus signaturis de proprietatibus occultis judicantes; & tamen intus ignem æstu æmulatur; vel intensissimum gelu frigore; Vix grani unius pondere ingreditur, sed aliquot librarum mole stipatum egreditur; Hoc sudorem, illud urinam; hoc vomitum, illud sedes; hoc utrumque largius ciet; illud somnum arcet, hoc efficit; hoc corpus immobile reddit, illud varie exagitat, ita ut nulla vi extrinsecá comprimi possit. Hæc quidem opera omnia à corporeitatibus proficiscuntur nobis optimè notis, sed per virtutes à sensu & ratione nostra maximè absconditas; nescimus nos dolere; quamvis ingentes perpatiamur in corpore violentias. Non quod impervestigabilis omninò sit talium virtutum mensura; sed
quod

 nobis labor & scrutinium profundiorum entitatum sit val-
osum; mediocribus & sensibilibus occupari amamus, ma-
aim hinc quàm illinc lucrum speramus & operæ pretium.

SECTIO XV.

humano corpore millefarium est sal, jam acrioris, jam mitio-
saporis quodq;, jam omninò insipidum & non nisi pondero-
, jam vaporosum, jam humidũ; jam ad dissolutionem, jam ad
ulationem proclivius; jam ex cibulẽtis potulentisq; substan-
ı nos, jam ex nobis ipsis procedens, & sensibile fiens ex insen-
. Suum cuique membro, & membri cujusque contento, est
culiare, varias mutationes admittens à nobis, & sine nobis
bis efficiens. Urina est commune diversorium & vehicu-
salium excrementitiorum, ita & sudor, & alvi fæces; sed
llibet suo peculiari modo. Urinis tamen frequentissimè per-
entur tincturæ omnium, & ex seminalibus & ex alimentosis
ipiis scaturientia. Indeq; factum est, quod hæc sola inter o-
humores ex corpore progredientes ab arte in examen tra-
, ut plurium internorum affectuum salinorum certissimus
: Nam urina excipit impressiones & ex nobis, ex semine,
nate & sanguine; & ex extrinsecis, aere nempe cibulentis &
lentis, secumque eas evehit. Insipidam aquam bibunt be-
pecudes, sed salsam mingunt urinam, aliæ aliis salsiorem;
dam siccioribus pascuntur pascuis, & tamen & frequentius
unt & largius; Aliæ humidioribus vescuntur & tamen non
unt; aliæ nunquam bibunt, & tamen multum mingunt;
sæpè & multum bibunt, sed nunquam mingunt: ut Colum-
Quæ mingunt, ea quamvis eodem pabulo pasta, & aquâ po-
riam tamen urinam reddunt, diversi & coloris, & saporis &
is; attamen omnes salsam. Aves omnes bibunt, sed nullæ
unt; nam sal eorum excrementitium cum fimo alvi excer-
. Nec sufficit illa communis ratio, quæ statuit aves ideò non

 min-

mingere, quia materia urinæ in pennas rapitur. Quare non in pilos & lanam in quadrupedibus villosis & hirsutis æquè, ac in volucribus in pennas. Erinacei æquè mingunt ac oves; Sed nec Vespertiliones mingunt, quamvis pennati non sint. Cuique semini peculiaris salis inhæret facultas, in una specie ad humidiorem, in alterius individuis in sicciorem pronam naturam, aut consistentiam. Si subsideat urina omninò in homine aliquo, ille tamen non fit hirsutior, vel penniger; sed glaber manet & depilis post & ante; Ita & ovis & sus, hirsutæ manent. Caniculi pilosi valde sunt, & rarò bibunt, imo sine potu vivere possunt, & tamen valde pilosi sunt, cum sæpe & multum mingant. Atque inde apparet, quod non glabrities externa, nec lana, nec pili, nec setæ, nec pennæ aliquid ad generationem urinæ possint aut obsint; sed pro cujusque speciei seminalis principii varietate, in quibusdam animalibus copiosior vel salsior provenit, & excernitur, si non per vesicam, attamen per alvum. Ideo intestina avium & piscium solidiora sunt & firmiora, vel carnosiora magis quàm quadrupedum. Sal enim excrementitium in avibus proveniens per alvum excernitur, ideò fimus avium, & cadaver piscium, est æque ferax nitrosi salis, ac urina quadrupedum, & æquè aptus ad stercorandum agros. Quòd si quis copiosius vescatur avium & piscium carnibus, quàm quadrupedum, experietur urinam non adeò copiose fluxuram per ureteres, sed alvum futuram lubriciorem. Stercus Anserinum & Columbinum, ita & Gallinaceum conducit hydropicis alvumque solvit; non quod urinam pellat; sed quod naturam salis excrementitii, secum ad intestina rapiat. In homine quandoque subsidet urina per plurimos dies; idque non ob vasorum urinalium cõstipationem, aut obstructionem; sed quod vapores salsi vel exhalent ex corpore per sudorem, citius quàm humidam acquirant consistentiam; vel quod ad alvum per venas mesaraicas fluat copiosius; atque ex his principiis derivatur fluxus hepaticus, aliique affectus intestinorum, & molesti

valdè

valdè & periculosi patientibus; nisi sal ad sua ordinaria emunctoria ab arte propellatur, vel suopte fato deflectat. Ideò in omnibus alvi fluxibus urina pauca emittitur: Hàc autem largius erumpente, prædicti fluxus sensim cessant. Nonnunquam sal habet in se spiritum summè coagulativum, ideo in emunctoriis, vel vasis fluxus sui in arenas concrescit aut calculos; Si alio aliquo derivetur, abscessus & ulcera generat phagædenica & carcinomata, vel erisypelata. Nam hi, hisque similes affectus non aliunde trahunt originem quàm ex sale excrementitio, per urinam vel sudorem ordinarie evacuari consueto; sed durantibus affectibus prædictis, alio prolabente. Ideò fluxu alvi laborantibus, carnes piscium & avium, præsertim piscibus vescentium sunt noxiæ; nam sal prædictorum animalium fixum est, & potius per alvum quàm urinam fluere consuetum. Ita & fœminis menstrui obstructione laborantibus parcius sunt permittendæ. Pisces autem squammis carentes, ut anguillæ cum suis speciebus, omninò interdicendæ. Nam talium piscium carnes suas seminales tincturas nobis imprimunt, si non statim ab esu, tamen brevi post; præsertim similibus principiis nos jam prius prementibus, adjutæ.

SECTIO XVI.

Quia autem ichor, sudor, urina, vehicula sunt ordinaria salium è corpore egredientium; Ita & sperma & menstruum; Ideo ex eorum effluxu, vel egressorum signaturis, multa possunt indicia peti internorum in nobis occultorum salinorum principiorum & affectuum; quam prope, vel quam profunde quæ nobis inhæreant; quam sapida aut insipida sint, gravia vel levia, an ponderosa an omnino pondere destituta sint contenta venarum, arteriarum, & nervorum, & contentorum contenta, nempe spirituales ideæ non sensus sed animum nostrum affi-

cientes: Quæ in inteſtinis hærent ſenſibilia, illa craſſiſſima ſunt & maximè terreſtria: Ita & ea quæ tumores & ulcera cauſantur externa, nihilque cum prædictis ſalinis vehiculis commune habent, ideò nec de eis ex externis indiciis judicare vel certi quid pronuntiare ſcit aut poteſt ars. Quandoque copioſiori ſudore, vel urina, vel hæmorrhagia, vel menſtruo, vel ſpermate, expulſo, cujus prius vel parum vel nihil ſentiebatur, multi graviſſimi ſopiuntur dolores vel abolentur affectus; ſed non ſemper; interdum per ejuſmodi indicia periculoſiſſimi & acutiſſimi manifeſtantur morbi; lentè admodum remittentes, vel non niſi cum certo vitæ diſpendio; Ad præcavendum autem tales impetus nihil poteſt conſulere ars præſtantioris, quam ſæpe ungues in manibus & pedibus reſecare; callos abradere; pedes abluere lixivio vel aquâ ſalsâ; & eos adverſum moleſtias nimii frigoris munire. Interdum cucurbitulas admovere extremitatibus abſque ſcarificatione; interdum ſcarificare; interdum venam ſecare, & ſanguinis, ſed non multum, ab extremitatibus evacuare; interdum non niſi ſemel in anno: interdum pluries & in menſe idem repetere. Non omne ſal ſenſibilibus indiciis vel ſignaturis ſe prodit in Urina; quam ſolam examinare ſufficit Medico; Nam ſal ſeminale ſpermati impreſſum, aut imprimi conſuetum naturaliter, ſuas quandoque tincturas imprimit non niſi cerebro & nervis, vel ſi urinæ quoque aut ſanguini; ſubtiliora tamen ſunt illius impreſſionis veſtigia in Urina quàm ut ea ſenſus Viſus, quamvis ſubtiliſſimus, deprehendere poſſit; mens ab eis patitur & Phantaſia. Ideo deliri, Epileptici, Maniaci, Apoplectici, imò quandoque & Peſte correpti, ſaluberrimas, quoad externas ſignaturas, mingunt urinas, & ſudores ſudant: Mediciſque & ægris hâc ratione ſæpiſſimè imponunt: ita ut & hi falſantur bona ſperando, & illi meliora promittendo. Urina pauca, quamvis abſentibus omnibus mali ominis indiciis nunquam tuta. Multa, & his præſentibus, tutior. Frequens ſive pauca, ſive copioſior;
niſi

largior præcesserit potus; multorum, gravium, & valde pe-
riculosorum salinorum principiorum intus contentorum, eo-
rumque fientis resolutionis præsentaneæ signum est, præsertim
vito patiente fluxerit. Urina rubens cum multo simili sedi-
mento; sanguinis infecti, hepatis, cordis, totiusque corporis
ionis indicium est. Febris, hydropisque prodromus aut
tes. Urinæ cujuscunque sedimentum, lacteum, viscosum,
osum, tenax, acutarum intus passionum est index, præser-
dorsi, lumborum, matricis & pubis. Urina alias irreprehen-
is, sed tantillum saltem rubei pulveris, vel muci in fundo ma-
exhibens; diuturnos denotat affectus, circa novilunia & ple-
nia recrudescentes & sævientes magis; in annis Clymacte-
periculosæ mutationis prænuntia est; In omni ætate. Uri-
bescens, vel aquea; à Junioribus fluens non est mali indicii.
n proventiori ætate erumpens, præsentaneæ hydropis, inter-
goris, imo mox imminentis mortis, solet esse præcursor vel
es. Plura de urinarum judiciis tradunt scholæ; Nos hic
n docere voluimus lectorem amicum, quod ex Urinæ indi-
multa possint fieri de internis affectibus, affectuumque causis
ia; non tamen de omnibus; nec etiam omnia semper tuta
ta. Fallax est judicium inde fiens, non tam ex Urinæ defe-
ed ob fallaces animos quæstum inde facientes, qualicunque
asione; etiam in urina nullis apparentibus, aut inde judi-
non cognitis indiciis. Ideo honesti & sapientes Medici
plius Urinæ judiciis adhærebunt, sed & in omnia alia tàm in
re hærentia quàm è corpore egredientia erunt intentiores.
ris simul consideratis & cum urina collatis, vel urina cum
certiorem hauriet morborum eorumque causarum cogni-
m, quàm aliquorum vel singulorum seorsim instituto scru-
Multaq; prævidebit etiam longè certius quàm fiant sensi-
el sperentur aut metuantur ab ægris; An autem satius re-
tice-

ticere aut revelare futurum sit præscita; Id ejus relinquimus judicio.

SECTIO XVII.

Mutantur sæpè signaturæ omnium excrementorum, ita & urinæ, ex variis causis, tùm internis tùm externis; tùm à cibis, tùm à medicamentis; tùm ab imaginatione; tùm à veneris, aut alio vehementiori, aut prius inconsueto corporis exercitio; Id autem non adeò frequenter contingit viris quàm fœminis; nec singulis annis vel mensibus; sed vel in clymactericis, vel menstruis intervallis; Sæpè in momento sola imaginatio, patientis ira, vel timor, sic immutat Urinam, ut eum vel convaliturum, vel brevi exspiraturum appareat; sed sicuti citò fit, ita quoque citò perit illa Urinæ facies. Interdum purgans medicamentum, vel diureticum, adeò immutat urinam quæ prius valde rubuit, quod saluberrimæ similis appareat, ita ut extra omne periculum mali se esse putent ægri, vel Medici; sed falluntur utrique. Nonnunquam sal abscessum facit ad alas, ad inguina, ad umbilicum, ad aures vel alia membra; vel ædomatosos tumores illic producens, vel ulcera; ita ut ex urinæ indiciis nullum ultranei morbi deprehendi possit vestigium; attamen tantò magis patiuntur membra illa ad quæ sal declinavit; interdum fixum, interdum locos reciprocantem, interdum per plura, interdum per omnia vagantem sentiunt dolorem; Ita ut dubius sit Medicus an divellendus sit dolor ab hoc aut illo membro; an potius hic figendus, & eò trahendus. Ad pedes vel ignobiliores partes si declinaverit; bonum eventum ominatur inde ars, imò suadet eum à nobilioribus ad ignobiliores trahere; minus metuens hinc periculi; sed sæpè consultius fuisset ei omninò liberum reliquisse motum; Nam quandoque sphacælat vel intestina, vel pedes, aliunde eò pulsus vel attractus salinus vapor

aut

iit humor; quod non fecisset in Venis relictus: Sed fata praevalent artificiosis semper moliminibus, ita ut aeger praeter spem & metum Medici vel moriatur, vel convalescat, morbi causâ ductum fatorum sequente. Frigus externum & calor, multum hîc & prodesse & nocere possunt; nam sal ab utroque se mutari patitur, intentiori; Frigoris majus est periculum quàm caloris, quamvis tardior illius quàm hujus efficacia; Frigus profundius ab arte abscondit salina principia, sed calor ea fortius in apricum trahit; Igitur aer calidior, frigidiori saevientibus salinis principiis in corporibus nostris tutior, quamvis interdum frigidiorem expetant aegri, vehementia quoque symptomatum exigat; in mitioribus autem affectibus calor frigori est praeferendus. Pinguiores cibi, potus, medicamenta, in salinis affectibus nec intus propinanda nec extra sunt applicanda. Nulla enim est convenientia salis cum pinguedine; impossibile est ut simul vires uniant, nisi periculosâ prius praemissa pugnâ; Uti norunt illi qui saponem coquunt; & emplastra ex pinguibus acribusque simul mistis conficiunt. Ideo passiones à calculo, gonorrhaea, morbo gallico, chiragrâ, podagra, dolore dentium, colica, cardialgia, aliisque salinis affectibus perpetientes, à pinguibus arceri non deberent; Imò nec clysteribus ea miscere convenit; dolores eorum mitigare studentibus. Sunt quidem varij lubricitatis gradus in pinguioribus succis aut gummatibus; Ita ut omnis pinguedo non aeque sit noxia; sed quae luxuriat magis, ea est salinis inimicissima; Spiritus ardentes, hermaphroditici sunt, ideo in vehementissimis salinis symptomatibus maximè utiles & accommodi; facile enim uniuntur salinis & vaporibus & humoribus, atque sic eos aut discutiunt, aut quoquomodo satiant, satiandoque mitigant. Ita quoque discrepant ab invicem & olea, & pinguedines, adipes, saeva, axungiae Animalium, succi denique & gummata vegetabilium. Omnia pinguia recentia, minus lubrica sunt; antiquiora luxuriant magis; Sed quae rancedinem

contraxerunt, antiquitate, videntur omnem lubricitatem exuisse; ideo ad mitigandum dolores tumorum & ulcerum sunt tutissima. Ossibus nulla pinguia omninò conveniunt; ita nec tendinibus aut cartilaginibus. In omnibus autem salinis affectibus, externis & internis, in id summo studio incumbendum, ut Urina copiosè fluat, etiamsi non frequenter. Nam ab ea suppressa plus incommodi metuendum quàm ab alvo strictiori: Urinæ proximus, sudor est.

SECTIO XVIII.

INgenii humani vires magnæ sunt ad scrutandas naturalium abyssuum profunditates, si saltem homo ipse velit aliquantulum molestiæ perpeti, exordiens suo uti ingenio; Omnia pulcra sunt vel videntur esse primum difficilia vel omnino impossibilia, qualia tamen non sunt, continuatâ aliquandiu praxi. Sed innata est nobis omnibus exitialis admodum quædam mobilitas, quam nisi quis superare didicerit, tàm facile falli quàm fallere potest; præsertim si malit ab alieno poti⁹ quàm à suo pendere ingenio; & peregrinam potius imitari, quàm propriam scientiam, rationem & experientiam. Prima quidem ætas nihil aliud aut scit, aut potest, aut permittit, quàm credere Præceptori suo; ad id enim serviunt externi sensus, & eorum extrinsecæ informationes vel ad sapientiam inductiones; Attamen neminem sapientem efficiunt, quamvis eloquentem reddant. Qui verò sapiens fieri vult à Præceptoribus juventutis suæ relictus, ille & Præceptores suos excellere potest sapientiæ eminentiâ, si videlicet omnia quæ ab illis prius hausit, didicit, audivit, vidit, vel pro veris recepit, penes se ipsum suo proprio ingenio examinet, an talia sint, qualia esse ei persuaserunt præceptores ejus, vel ipse credidit judicii maturitate destitutus. Insanum enim & perniciosum est homini maturæ ætatis & ingenii, commoveri, vel teneri, capti-

iptivum solâ præceptorum authoritate, nisi eum ratio ejus pro-
ria repererit immunem ab errore. Cœci & surdi sunt, inquit
alenus, qui se uni sectæ alligarunt: multò magis unius homi-
is opinioni vel sententiæ, non adeo per praxin celebri, quàm
er lectionem litterato. Omnia in Medicina studiosissime sunt
xaminanda; & illa quæ in mere sensualibus fundantur, vel ni-
il mysterii occultant; Nam & in his alii aliis tum ad docen-
um tum ad discendum sunt & hebetiores & activiores: Inter
ia in Arte Medica studiose examinanda, sunt & Amuleta, & un-
uenta sympathetica dicta; Nam qui facilè credit, facile quoque
ecipitur, & ad alios decipiendum est proclivior: Hic saltem ali-
uà de Amuletis monebimus. De morborum magneticâ Cu-
ı & transplantatione alibi acturi. Amuleta conficiuntur à Me-
cis, ex variis rebus, alia vilissimis, alia pretiosissimis, alia ex
ommunibus, alia ex venenatis; ut ex Auro, Magnete, Arseni-
o, Mercurio vivo, Scorpionibus, Bufonibus, Serpentibus, Vipe-
s, & aliis horum similibus: & confecta, vel Cordi applicantur,
el de collo suspenduntur; vel ventri, vel alicui membro cir-
umligantur; sub titulis admodum splendidis, & nescio quid
orum bajulis non promittentibus. Sed plurima eorum uti
omponuntur, ita & ad usum adhibentur sine ratione, sine relli-
ione, sine conscientia; cum summa superstitione, & Dei blas-
hemia. Nihil autem turpius est homini rationali, quàm sine
tione aliquid docere aut discere, multò turpius contra ratio-
em patrare aut credere, aliisque persuadere velle: Atque hoc
odo peccatur & à Medicis & ab ægris, & in compositione, & usu
muletorum. Eorum quidem usus est valdè magnus, imò & u-
lis & necessarius; non saltem Pestis tempore, sed & quotidie, in
ultis salinis affectibus reprimendis & arcendis; ut sunt Epile-
sia, Apoplexia, Vertigo, Ophtalmia, Hæmorrhagia; & simili-
us, quorum seminaria sub vaporosa consistunt specie, in mem-
ra insultus facientia. Sola enim virtus amuletorum in eo con-

 sistere

ſiſtere debet, ut vapores supernè deorſum repercutere, & deorſum trahere poſſit, vel infra quieſcentes ligare, ut nec frequenter, nec copioſe inferna ad ſuperiora vadant; atque ſic adverſum eos membra ſuperiora præmunire, vel ab eorum moleſtia liberare. Id autem faciunt Amuleta, virtute eorum repercuſſivâ, vel attractivâ; quâ veſtiuntur ponderibus vapores, aliquandiu ſine pondere corpus noſtrum integrum occupantes, vel in unum membrum quàm alterum vehementius irruentes. Talis virtus repercuſſiva vel attractiva exundat in corporibus mineralibus & Metallicis; In Auro, Argento, Magnete, Mercurio ſive crudo, ſive præparato, ſublimato, præcipitato, coagulato, diſſoluto; Arſenico, Vitriolo, Armoniaco, Nitro, Alumine, Tartaro, Aceto, aliiſque ſuccis vegetabilibus, imò & animalium ſanguine, urina, fimo, excreſcentiis; Et tamen non omnia habent virtutes repercuſſivas, nec etiam attractivas; alia in his, alia in illis excellunt: Atque ſic valde differt cui loco vel membro hæc aut illa applicueris: Repercuſſiva, infrà, vel pedibus alligata inutilia ſunt; Ita attractiva de Collo ſuſpenſa, aut Cordi applicata, vel pectori admota: Epithemata, cum ſuis ſpeciebus, amuletorum æmulantur vires, atque hæc illis ſubſtitui aut permutari poſſunt.

SECTIO XIX.

UT autem aſſequi poſſis mentem meam, vel ſenſum mentis, chriſtiane Lector, quid nempe per virtutem attractivam & repercuſſivam inteligam; uno atque altero exemplo me explicabo. Noſti quod Magnes ferrum trahat; Aurum, Argentum vivum; Sal, humorem; Polus arcticus, Magnetem; Quod vapor vel fumus, ventum aut fugiat aut comitetur; Hæc extra te fieri vides; eadem & in te fiunt quotidie; quamvis ea nec videas nec ſentias fieri; ſed ex factorum commodis vel incommodis gaudeas

leas vel doleas; vel gaudii vel doloris rapias occasionem. Quomodo autem vel ponderosi quid in aere generetur, vel ex aere deorsum præcipitetur, non semper vides, quamvis eodem modo & ex vaporibus humores, & ex humoribus alia solidiora generentur in corpore tuo: Ut autem hæc indagare possis, quomodo fiant vi repercussivorũ, propone tibi lac; Hoc enim succus est homogeneus plurima occultans sub homogeneitate sua heterogenearum formarum, butyrum nempe & caseum; ambo sine pondere primùm, sed post unum altero levius & gravius; non potest discerni pondus eorum primùm; nec post unum in alterius propelli locum, scilicet ut caseosa ponderositas lacti innataret, butyracea autem deorsum præcipitaretur, utraque sensibilis existens in lactis substantia; sed per artem uniri simul possunt, vel unum corpus constituere. Nam si lacti recenti instillaveris guttas aliquot humoris acidi, tum quæ prius pondere carebant, subitò ponderosa evadent, & à superiori parte substantiæ lactis separata, fundum petent; sive aliter, & ocyus, quàm id sine artis adminiculo factum fuisset; Ante colum penetravit integra substantia lactis; sed post, non nisi una ejus pars; Id rusticis ipsis notum est. Ita metalla in suis menstruis dissoluta, ab eis separantur: Ita in nobis ex subtilissimo vapore humor fit, unus altero vel gravior vel levior, vel limpidior aut turbulentior. Eam itaq; virtutem, cujus energeia ponderosa vestiuntur subitò prius pondere carentia, & vel levia vel gravia fiunt, vel pinguia vel salsa, lubrica vel solida intus in nobis, vel in sanguine prius per integrum corpus homogeneo existente, ita ut per ejus emunctoria expelli, vel infrà in extremitatibus vasorum ejus quiescere aliquandiu possint immota; appello repercussivam; & tale est requisitum omnis Amuleti, nempe ut vel trahat, vel repercutiat, in nobis contenta; Extrinsecorum impetum à nobis arcere nequit. Promittunt quidem talia de suis Amuletis Medici; sed raro respondet eventus eorum promissis, vel a-

 mule-

muletigerorum ſpei: Errant enim artiſtæ aut in eorum compoſitione, aut in applicatione, aut in utroque. Non enim omne repercuſſivum ſuam virtutem exercere poteſt ubicunque applicatum; nec etiam omne attractivum ſine periculo trahere. Nam ſi frigido lacti, frigidum inſtilletur repercuſſivum, minus & debilius ſuam virtutem exeret; ſed ſi alterutrum tepeat, fortius; Ita non nullæ diſſolutiones, vel vapores per menſtruum diſperſi, à ſola aqua repercutientur; alia autem aliud repercuſſivum, & acrius exigunt. Id norunt Artiſtæ, qui quotidie circa tales operationes verſantur. Ex biſemuto Coſmeticum pulverem; Ex Sulphure, lac dictum; Ex Tartaro, ſal; Ex radicibus variis, fæculas & gummata conficiunt. Alias exercet virtutes Acetum in Lacte, alias in Margaritis aut pulveribus ſiccioribus; & ſic per conſequens omnia & ſingula peculiarem vim poſſident & exerunt variis, varie miſta aut applicata: & intrinſeca medicamenta, & externa epithemata vel Amuleta. Qui igitur feliciter uti vult Amuletis, ille non ſolum oportet ut conſcius ſit ſingulorum compoſitionem Amuleti ingredientium; ſed & conſtitutionis vaporum & membrorum, quibus ea applicare vult; ne videlicet plus noceat, prodeſſe volens. Sæpè tutius adhibentur ſimplicia, interdum compoſita; ſæpè vegetabilia ſola; interdum mineralia adhibere conſultius. Sæpè attractiva pedibus alligare, quàm repercuſſiva pectori applicare, vel naribus admovere, neceſſe eſt. Quædam agunt ad contactum; quædam & in longius diſtantia; quædam ſine; quædam non niſi concurrente patientis imaginatione; Interdum ipſa imaginatio plus valet Amuletorum virtute. Interdum Medici errant, interdum ægri. Sæpè tamen vilia pretioſis; domeſtica exoticis, imò fimus plus prodeſſet quàm aurum, vel nobiliſſimum amuletum, aut Xeneſton Paracelſi dictum: Præſertim graſſante peſte, vel aliis morbis peſte periculoſioribus. Quis eſt qui ſciat, aut Medicorum aut ægrorum, an morbus invadat hominem ab extra vel ab intra, à Numine cœleſti, aut cauſis

natu-

naturalibus? Hoc quidem supponimus interdum, sed rarò credimus; non iremus enim ad naturalia, si Numinis irâ immediatè nobis morbos infligi crederemus. Sæpe ars intendens arcere malum, id allicit; & declinare docens fatorum ordinationes, obsequentem sibi, illis illaqueat; atque sic decreta fatorum exequitur, aliud quid agere intendens, eorum quæ agit ignara. Quod si verò ex causis mere naturalibus, iisque in corpore patientis contentis procedat passio, cui opponitur Amuletum, vel opponi destinatur; nihil efficiet Medicus suo molimine, nisi sciat an ex centro Physico aut Mathematico filum trahat; an ex sensibili aut insensibili puncto surgat, an ex levi aut gravi, sive partium superiorum aut inferiorum, continentium vel contentorum. Et quod si constet ex puncto alicujus corporeitatis surgere malum ægros infestans; prius indagandus erit locus quietis ejus, quàm motus; vel pars affecta per consensum aut afficiens. Interdum fit, quod non nisi pedis unus digitus periclitari deberet; morbo ab arte neglecto, sed per artem, id in totum pedem, vel crus, vel femur, vel integrum corpus attrahitur, Amuletorum attractivorum pectori appensorum virtute. Ideò tutius semper est pectori applicare repercussiva, quàm attractiva; Pedibus autem, vel inferioribus membris attractiva, non autem repercussiva. Non omnes sic delirant ut putent, pestem in nobis ex nobis ipsis nasci non posse; sed ab extra, sive influentiis cœlestibus, sive per contagium à nobis attrahi tantum oportere. Sed sit quidquid sit. Attractiva in utroque casu sunt noxia; Repercussiva semper tuta; scilicet pectoris regioni applicata. Nam Amuleta non agûnt voluntariò; nec eis imprimere potest Medicus suâ imaginatione virtutem quam vult; sed illa agunt secundum eis insitam vim seminis eorum. Amuleta itaque tàm attractiva, quàm discussiva, vel repercussiva cum suis speciebus & differentiis, valdè sunt utilia, imò & necessaria in morbis omnibus pestilentialibus, vaporosis, spiritualibus & contagiosis; imò & in humorosis; sed à pruden-

prudente Medico, internorum principiorum constitutionis conscio adhibita. Nunquam etiam virtus Amuleti vel repercussiva, vel attractiva superare debet virtutem mensuræ debitæ; ne plus repercutiendo, vel attrahendo quàm par est; plus noxæ, quàm commodi inferat corpori; Sæpe cum morbis & vita tollitur: Atque ex hac causa Medicamentorum omnium Mineralium parcior debet esse usus; Nam & Aurum potabile, & Lapis ipse, dictus Philosophorum, suâ extremâ quâ pollet repercussivâ virtute, cum vapore noxio, & utiles suffurare potest membris; uti dicemus de ejus commodis & incommodis acturi.

SECTIO XX.

Diaphoreticorum quoque frequens est usus in morbis pestilentialibus, ita & in quotidianis; Hæc autem felicius & ocyus operantur quàm amuleta; quia in corpus ingressa sine omni remora in vapores dissolvuntur, atque sic vaporibus in corpore contentis, uniri aut misceri possunt; Quæ autem se contingunt, fortius, contraria, à contrariis, ita & similia à similibus, suo modo afficiuntur. Itaque amuleta sine Diaphoreticis aut valdè tardæ sunt operationis, vel dubiæ; sed Diphoretica, & sine Amuletis suum opus perficere possunt. Nulla autem est vel Diaphoreticorum vel Amuletorum utilitas pro futuro, sive ad præservationem; sed saltem pro præsenti, ad symptomatum mitigationem. Purgantia hic plus prosunt; evehunt enim ex corpore & superfluum, & noxium; Scilicet omne id quod in intestinis communibus hæret, & id quod ex venis & arteriis à sanguine excernitur, sive leve & superficiei sanguinis innatans; Sed quia grave longius ab emunctoriis sanguineis superioribus distat, quam ut purgantis medicamenti virtute attingi possit, in extremitatibus venarum, vel ad radices unguium quiescens; ideò nec purgantia à metu recidivæ tutos reddunt patientes; Solâ id effici-

efficiet Phlebotomia; hæc enim cum tantillo sanguinis plus aufert seminum morbificorum, futurum periculum minitantium, sed pro præsenti innoxiorum, quàm fortissimum id evehere potuisset catharticum largiori ejectione; Quæ enim gravia sunt & in extremitatibus quiescentia, maximè sunt contagiosa; ita ut horum granum, millenario; levium autem vix denario aut binario exæquari possit. Præsenti autem necessitati, quamvis non futuræ, succurrunt Amuletorum, repercussivorum & attractivorum virtutes; Nam quamvis non expellant omninò semina contagionis ex corpore; ligant tamen eorum substantias, ut actu non noceant, atque sic ægros à præsenti periculo liberant: Ægrosque in posterum, Dei & Medicorum fidei relinquunt.

CAPITIS III.

SECTIO I.

IN secundo saltu retrogrediendum est aliquantulum ei, qui vult, ut saltus novus ex voto cedat: Idem & hic agendum erit nobis; sive repetenda aliqua ex prædictis, ut felicius progredi possimus ad proposita; Membra corporis humani multa sunt, & nominibus, & formis, & officiis discrepantia; Sunt etiam quædam corpori firmissimè adnata, quæ tamen partes corporis non sunt, sed partium saltem excrementa, ad vitam tamen non necessaria, nec etiam noxia, vel inutilia; sed alia ad ornatum, alia ad commoditatem externi motus conducentia; ut crines, dentes, ungues. Partes vel membra corporis cum spiritu vitali ejus communicantia, generantur à spiritu in utero matris simul omnia, quamvis non omnia simul fiunt conspicua; Partes corporis abscissæ semel nunquam renascuntur; Sed excrementitiæ excrescentiæ sæpius resectæ felicius crescunt. Caro & cutis, augentur & minuuntur, vel casu attrita

aut quocunque modo deperdita eorum substantia restaurari potest per cibos & medicamenta. Sunt quoque in aliquibus corporibus excrescentiæ quædam, quas sine periculo vitæ, vel virium jactura resecare non licet, quia cum sanguine per ramos tenacissimè communicant: & tamen valde sunt molestæ bajulis, quamvis non videantur noxiæ. Talium excrescentiarum quædam una cum corpore nascuntur, quædam jam nato & omnibus numeris absoluto adnascuntur: Ex lascivientibus admodum in sanguine salinis principiis, non noxiis quidem attamen inutilibus & superfluis. Vitæ, morborumque seminaria nobiscum in vitam hanc cum corpore afferimus, & quotidie nobiscum circumferimus. Quæ ad usum quotidianum faciunt in nobis, quotidiè innovantur, vel præteritis alia succedunt, sensibiliter. Sed quæ nos molestant, substantias membrorum depascunt, varieque affligunt citius quam peremerint, ea rarius emergunt, vel se sensibus nostris insinuant. Atque ob tardam vel diuturniorem eorum occultationem, putamus nos ea nobis vel per cibos vel per aerem communicari, vel per tacitos influxus astrorum impr mi, aut per contagionem infligi: Donec enim in nobis quiescunt sub ponderositatibus suis, vel seminalibus centris, ignoramus eorum præsentiam, vel quietis locos; quia profundius sepulta sunt, quàm ut à nobis sensualiter mesurari possint; sed sic latent in sanguine, aut aliis corporis nostri contentis, uti butyrum & caseus in lacte; Interdum quidem pars eorū aliqua, sed minima emergit, nobisq; se insinuat extraordinariè caloris, frigoris, saporis, odoris gradu; sed quia iterum brevi evanescit, vel ex corporis anatomia expulsa, vel ad sedes quietis pristinæ repercussa aut reversa; ideò nos sæpè ab eis decipimur, ignari talium eorum mutationum, vel semel omninò obruimur. Mirum dictu, & tamen verum est, quod ea quæ heri vitæ fulcra fuerunt & hodie sunt; cras vel perendie in morborum seminaria degenerari possint, vel degenerent. Quod ea, quæ aliquandiu non nisi imaginationem nostram exer-

exercebant evanidis imaginibus; & volatilibus idæis, cras in membra gravissimis & periculosissimis modis sævire possint. Quæ hodie manus pedesque commodius moveri juvabant; cras amborum officia abolere; manus ad prehendendum pedesque ad gradiendum inhabiles efficere. Eundem salem & specie & numero, qui nos in juventute admodum suaviter titillabat; In ætate provectiori ignis æstum violentiâ æmulari posse: Certè dolendum est, quod mater nostra quæ nos genuit, & nutrivit aliquandiu, in novercam imò in hostem mutari possit, & nos pari dolore post affligat, quali prius prosequebatur amore. Ad oculi jactum immutatur interdum vultus faciei nostræ, & vires in momento collabuntur, quasi nos subitò relicturæ essent; sed mox iterum suum pristinum recuperat colorem vultus, & membra vigorem; Videmus hæc fieri, sed quis efficiat, vel quomodo non videmus; Ratio sola docet nos, sensibilia ab insensibilibus fluere principiis; Mutantur quidem omnia in nobis, non saltem ea, quæ corporea vel carnalia nominantur, scilicet humores, vapores, membra, appetitus, sensus, sensoria; Sed & ea quæ merè sunt Spiritualia; Ità ut ex animalibus, spirituales; ex naturalibus, divinæ consortes fiamus naturæ; aliqui tamen saltem nostrum non omnes; Quales nascimur, tales per vitam integram non manemus, sed vel pejores evadimus in vita, aut meliores; Docilem enim habemus spiritum, ita ut se & sinistrorsum & dextrorsum flecti patiatur consuetudine; Mali sumus ab intrà, sed pejores evadimus externâ conversatione; Beati simus etiam ab intra; quamvis externa ad id quoque inserviat exhortatio; Quicquid autem ab intra in nos derivatur, sive id fiat ad melius sive ad pejus, fortius est omni extrinseco.

SECTIO II.

Latius hæc prosequi pergemus, ut sciant Lectores nos non aliqua solùm dixisse, sed ea & benè & utiliter dixisse, & dicta pro-

basse; id quidem non dictis aliunde mutuatis, sed exemplis & rationibus manifestis; Nam qui hic sua dicta non probat, ille verb's pascit lectores, non rebus. Fuit Paulus abstemius à vino aliquandiu, imò toto suæ vitæ prioris tempore; Ita Petrus à Venere; Sed ecce quàm subitò mutatus uterque; Ille enim inter potatores, hic inter mæchos strenuus est duellator. Ita alium videmus Misantropum, qui prius nihil magis oderat quàm solitudinem; alius ex milite fit Theologus, vel ex Theologo miles; hic saluberrimus hucusque & alacer; mox contractus pedibus vel manibus jacet immobilis; non ex prava consuetudine, nec inordinata diæta, aut aliqua manifesta causa talis redditus, sed & aliis, & ipsi, qui eam mutationem passus est, incognita; tamen ita admodum differt à se ipso post, ut nihil præter nomen, aut externam speciem retinuerit antiqui. Qualis sæpe hic solet hic contingere mutatio; de majori futura vaticinatur Spiritus abhinc; ubi æternæ lucis vel tenebrarum futuri sumus incolæ. Quod si verò Spiritus mutabilitati obnoxii sunt; magis talib⁹ vicissitudinibus sunt obnoxia ea, quæ corporea dicimus vel sensibilia; nam hæc & ab intra & ab extra affici possunt; nam hæc etiam semper uno modo affecto spiritu, externæ virtutis mole subiguntur, ut retinere nequeant, quod habent. Non nos imperamus affectibus nostris, relicti nobis; sed affectus imperant nobis, ita ut nos ad obsequia sua trahant etiam invitos & sequi reluctátes. Nam sicuti ignis non potest non urere, ustibili ad motus; vel aqua non humectare quæ contingit; ita & Spiritus non possunt non dictare, præfigurare, invitare, instigare, cogere ad ea quæ eorum naturæ sunt congrua; quæ eos velle, cognoscere, posse docent, vel jubent fata. Nulla enim est renitentia in rebus fatis subjugibus. Spiritus omnes igneæ sunt substantiæ, vel ignes in occulto nostri corporis latentes, sive nobis coessentiales, aut coessentiali nexu nostris adhærentes; ita ut peregrinos à nobis vel nostris discernere vel nesciamus, vel nolimus, vel non possimus, nisi supernè

adje-

adjecto nostris genuinis pondere. Spiritus illi qui nostri sunt vel nostris maximè affines, Ideæ sunt Platonicæ, leges & præcepta externorum gestuum, signaturarum, dictatores & authores. Non pendent itaque à nostro proprio arbitrio intrinseca desideria famis, sitis, iræ, odii, amoris, timoris, lætitiæ, tristitiæ; sed omnia à Spiritibus in nos derivantur, vel nobis congenitis, vel in nos tandem derivatis; Atque ex vel pari cum necessitate esurimus, sitimus, vel utruinque fastidimus, sicuti ex vino vappa fit, vel ex lactis portione unâ butyrum; altera, caseus. Nam corpus hoc naturale, quod jam incolimus, est terrestris conditionis; In quo habitant spiritus & cœlestis & terrestris naturæ, nobis aut imperaturi aut servituri in æternum, secundùm quod nos illi hic sibi vel obedientes vel refractarios habuerint; Ideo conditio vitæ nostræ præsentis est valde periculosa, non ob præsentia incommoda & intrà & extrà nos infestantia; sed maximè ob futura, quæ minatur Rector universi omnibus illis qui hic se à Spiritibus mundanis discernere nesciverint, neglexerint aut noluerint.

SECTIO III.

EST itaque certa causa, sed occulta à sensu non tamen à ratione, in nobis ipsis tam variorum affectuum in nobis singulis variantium; Non una saltem numero causa illa est; sed innumeræ omnes autem spirituales, sive tales quæ nec cum contentis, nec cum continentibus nostris numerari, mensurari, aut ponderari possunt. Spiritus autem ille qui me à te, Moysen ab Elia; Michaelem Archangelum à Dracone distinguit, non nisi unus est in singulis individuis; Spiritum suum genuinum nemo hominum ex se ipso, ab aliis ei in corpore hoc cohabitantibus distinguere novit; quia omnes peregrini aut serviles, sic cum nostro confœderati & quasi indissolubili nexu vincti sunt, ut nostrâ virtute ab invicem divelli non possint, nisi virtute ab alto Spiritus

noster aliis evaserit superior. Non humores in nobis sunt causæ talium imaginationum, concupiscentiarum, affectuum, quales in nobis cum voluptate aut cum dolore sentimus; sed humores sunt effecta causarum, & instrumenta Spirituum, corporis nostri membra afficientium. Ex lineis, conformatione, aliisque signaturis sensibilibus membrorum externorum judicamus de indole hominis, imò quod plus est de ejus externis bonis, vel fortunis, & quia sæpe eventus nostris judiciis respondet, ideò existimamus judicium nostrum semper esse verum oportere, & nunquam falli posse; Sed fallimur, quia quamvis externa fluant ab internis, non tamen ille fluxus omnis fatalis est vel necessarius aut necessitativus, sed interdum arbitrarius, à nostra procedens imaginatione extrinsecus vel exaltata aut depressa; cui resistere potuimus in exortu, nisi sponte citra omnem resistentiam succubuissemus; Atque ad tales impetus Spirituum frænandos docet nos ars modum & porrigit media; Fatalia verò nec nostro subsunt arbitrio, nec arti cedunt, nec aliquibus externis mediis, quamvis violentioribus. Quia verò singuli amamus sequi quo nos sensus stimulant, ducunt, cogunt, ideò aggravamus & numerum & pondus fatalium causarum, ut nos & sæpius & gravius premant, quod non factum fuisset, si aliquomodo saltem sensibus repugnassemus; Spiritus enim naturales sensibus & utuntur & abutuntur, si eos obsequiosos nacti fuerint. Quis docet amare, concupiscere, irasci, timere, gaudere infantes? non humores certe, nec parentes, vel aliæ sensibiles causæ aut informatores, leges vel regulæ sed soli spiritus; In se quisque habet habitantes innumeros Doctores, & Legislatores omnium internorum & externorum moliminum; Nonque egemus aliquâ arte, aut doctore qui nos doceret agenda; Sed pluribus & doctoribus & regulis, quæ nos erudiant quomodo internis moliminibus reniti debeamus, nisi plane bestiis similes esse aut fieri velimus. Non imperant saltem nobis internæ leges; Nec saltem ima-

imagines in nobis efformant quas pro exemplari nobis objiciunt verborum, operum vel moliminum; sed & dominantur nobis, sive violenter à nobis obedientiam exigunt; etiam ipsis aliquomodo vel aliquandiu reluctantibus, ita ut paribus mediis & viribus extrinsecus arceri debeamus ab eorum obsequiis, qualibus ab intus stimulamur: Interdum & hæ quamvis violentissimæ, internorum tamen spirituum impetum retundere nequeunt; Nisi ablatio hujus vel illius membri à corpore prævaluerit eorum impetui; vel si nec sic quidem tunc nullo modo aboleri possunt, nisi corporis hujus morte: Ideò sæpe plurimi citius moriuntur, quàm Spirituum in eis hærentium victores evadere possint. Hinc lascivi, fures, mendaces, avari, aliique surgunt affectus. Sentiunt ægri sæpe incommoda iræ, vel nimiæ lasciviæ venereæ damna; Impossibile tamen est ut ea declinare possint, quia interni impetus Spirituum prævalent externorum violentiæ.

SECTIO IV.

Spiritus igitur sunt non humores aut qualitates, iique numero plurimi, abyssus enim est scena domicilii eorum, non cœlestis sed terrestris; Ideò Spiritus naturales spiritus sunt tenebrarum, mundani, carnales, qui sensibila affectant, vel homini præfigurant intùs, extra agendorum formas, numeros, mensuras. Spiritus quidem sunt essentiæ prædictæ, sed in substantiis & quiescunt & moventur sensibilibus; non omnes velle possunt: aut cognitive agunt quæagunt, sed sine voluntate & cognitione, quidam sunt enim virtutes solæ; alii non nisi concupiscentiæ, alii cognitiones vel cognitionum doctores; Non omnes æque prudentes, astuti utiles, dociles, quidam sunt stupidi, truces, indociles; alii futura præsciunt, alii præterita repræsentant vel absentia; Sed impossibile est recensere aut eloqui omnes omnium Spiri-

Spirituum proprietates, sunt enim multò numerosiores quàm vultuum humanorum discrepantiæ, imò plures quam omnes omnium rerum sensibilium numeri; Nam sensibilia non possent multiplicari, nisi insensibilia sensibilibus numero prævalerent. Propter quod quid enim tale est, illud magis tale est; Ideò necesse est abyssi profunditatem superare omnes mensuras sensibilitatis. Nihilque habet mundus hic quod non accipiat ex profunditate abyssi, id autem quod insensibile est vel occultatur sub sensibili, non potest cum hoc mensurari vel ponderari. Magnetis corpus pendet vel unciam vel libram; sed virtus ejus simul cum ejus corpore non ponderatur; Nam acus magnetica non plus pendet, sive ne tantillum gravior existit ob impressam ei virtutem à Magnete, quàm pendebat citius quàm eam inde sortita fuisset; Et tamen virtus magnetis trahit ad se ponderosum, quamvis ipsa nihil pendeat. Sic ignis pondere destituitur, attamen pondus pulveris pyrii aggravat, quod nequaquam tantum pendisset absente igne, quantum pendet igni associatum. Sed ignis in ferro, ferri pondus non auget, à virtute tactus subtrahit tamen. Attamen sic se habet ignis in ferro, sicuti virtus attractiva in magnete; Externis irritamentis interdum Spiritus effervescunt in nobis; Interdùm ab interno suo astro incandescunt, absente omni externo irritamento; hinc autem erumpentes, non ita facile frænari possunt externis remediis, sicuti fit ab externis occasionibus protracti; sed qui sponte erumpunt, sponte quoque ad quietem se recipiunt; Ideò morbi gravissimi & acutissimi sine omnis artis emolumento sæpè occultantur vel ad quietem redeunt; sicuti multi externis occasionibus foràs ex centris suis vel Physicis vel Mathematicis proliciuntur aut protrahuntur. Ita ut Medici sæpè fallantur, suisque remediis, prudentiæ, experientiæ aut arti imputent, quod nulli ex omnibus justeimputari potest: sed soli fatorum ordinationi: Et talia maximè circa annos climactericos contingunt, uti suo loco demon-

demonſtrabimus. Subtiliſſimos quosque vapores nominant quidem Phyſici ſpiritus; ſed nos hîc nomine Spiritus, non intelligimus vaporoſas ſubſtantias; ſed aliquid & ipſo igne ſubtilius vel virtuoſius; ſive omnis materiæ corruptibilis expertes ſubſtantias; meras formas, in collatione eorum cum formis ſenſibilibus; Attamen meras materias, in collatione eorum cum Spiritu hominis, per quem homo, homo; & imago Dei nominatur; nam niſi ſic ſe haberent Spiritus elementales adverſum Spiritum hominis collati; tum inepta eſſent Elementa & eorum fructus, ad nutriendum corpora noſtra. Atque hinc colligere poſſumus quanta ſit efficacia imaginationis maternæ in fœtum, adhuc in utero ejus hærentem; vel ægri in morbum, ſi extrinſecus exaltetur intrinſeco ejus aſtro ſimilibus cauſis.

SECTIO V.

NOn itaque homo eſt, vel humanus Spiritus, qui eſurit, ſitit, iraſcitur, amat, cogitat, concupiſcit, ſed Spiritus ſunt naturales dicti, nobis in corpore hoc cohabitantes, quamvis nos eos à nobis diſcernere ſinguli nec ſciamus nec poſſimus; quia firmiſſime cum eis coaluimus in ipſo conceptionis momento; nec ab eorum conſortio, imperio, dominio, citius liberi omninò fieri poſſumus, quam corporis hujus ædificium deſtructum fuerit. Spiritus mundi hujus non ſaltem nobiſcum conſtituerunt unum corpus, ſed & id continuant, & quotidie renovare aut nobis firmius alligari cupiunt, nos per varias externas & internas imagines ad ſe aut invitantes aut ducentes, aut trahentes & cogentes, quodque per occultum dolum nequeunt, id per manifeſtam vim moliuntur; Et quod ſi ſoli efficere nequeunt quod volunt qui nos obſident; aliunde ad ſe rapiunt auxiliares, ut ſi non pondere, numero tamen nobis prævalere poſſint. Nam & Spiritus in ſuis ſcenis per certos ordines diſpoſiti ſunt, ita ut alii aliis &

astutiores, & violentiores, & hebetiores, & debiliores deprehendantur: Nam sunt muta, & clamosa dæmonia; cœca, surda, clauda; Et nisi hæc talia essent, nullo modo homines quos obsident tales efficere possent. Fatorum sunt Ministri Spiritus, etiam eorum ordinationis ignari; Non tamen æque omnes tales, sed alii astuti & præsagi. Alii omnino tardi & hebetes, omni cognitione destituti; Ideo virtutes tenebrarum dicuntur: Alii ponderum, alii numerorum, alii ponderationum, alii numerationum dictatores, vel Doctores. Alii amoris, alii invidiæ, alii timoris, alii audaciæ authores. Non hæc à spiritu nostro in nos derivantur sed à Spiritibus naturalibus in Spiritum nostrum, perejusque demum consensum & in membra. Possemus sæpe resistere impetui Spirituum naturalium, si vellemus obsequi dictaturis vel legibus Spiritus Divini, qui nos libenter divelleret à consortio Spirituum Mundi hujus, sibique reconciliare vellet, si nos adeò faciles præberemus huic sicuti illis. Nec etiam edere aut bibere possumus quid, quando, vel quantum lubet; sed in his Spirituum quoque naturalium legibus obsequi tenemur, jam hoc jam illud esurientes vel sitientes, affectantes aut abominantes magis, sæpius, longius. Si quæ ingesserimus Corpori, ipsis iratis aut invitis; tamdiu sentimus eorum iram, quousque id quod sic ingestum, vel pro vomitum aut alvum ex ipsorum republica egestum non fuerit; Imò sæpe valde diu dolemus animo, acquirere aut evitare nequientes quod illi intus vel appetunt aut abominantur. Servilis est itaque conditio vitæ nostræ in hoc corpore, & tunc, dùm nos liberrimos esse putamus; nec sumus aliquando liberiores, quàm dum affectus internos frænamus, vel eis obsequi reluctamur. Mirum certè est non aliter nos homines esse, vel scire vel demonstrare posse, quàm non agendo quod agere instinctu Spirituum naturalium jubemur aut cogimur. Arduum quidem est tantæ moli Spirituum quanta in nobis eorum est se opponere velle; Et tamen ut fiat à nobis necessa-

necessarium; nisi enim id fiat, vel nos facere nitamur, nihilo bestiis meliores sumus. Durus videbitur sine dubio Lectoribus sermo hic noster, quod nos singulis individuis plurimos spiritus imputemus; nihil autem proprie nobis ipsis, nisi meram resistentiam. Quod primam hujus objectionis partem attinet; non diffidebunt à nobis synceriores Philosophi, quibus secretiora quæque nota sunt; sic enim ipse sentit Fernelius lib. de occult. Rerum Causis Alterum exigit à nobis Divinæ legis authoritas; Ipsiusque Baptismi votum.

SECTIO VI.

ERronei vagamur omnes circa periculosissima præcipitia, ab ipso nativitatis momento; & quantò majorem nobis promittimus securitatem, vel speramus, tanto propiores sumus extremis periculis. Morborum enim & Mortis seminaria nobiscum circumferimus in hisce membris, quæ saltem non nisi vitalia principia aut animam nostram continere existimamus. Nihil itaque agendum sedulius in hac vita, quàm attendendum ad pericula quibus circumsepti sumus, quomodo ea declinare aut omninò effugere possimus, ne nos incautos aliquando obruere, vel temerarios opprimere possint. Scimus inebriare vinum; non acetum vel aquam; Qui itaque fugere vult incommoda ebrietatis; ille sibi ab usu vini maximè temperabit, aut omninò ab ejus potu cavebit; Et sic agendum in omnibus nostris propositis, præsertim iis ad quæ nos fata ducunt non cogunt; paucissimaque nos lædent si cautè tractaverimus singula. Scimus cuique bono malum, sed & cuique malo bonum ex adverso oppositum esse; si igitur hæc scimus; nihil nobis ignaris occurrere potest aut mali, aut boni; Si sunt spirituales improbitates; Et spiritualia remedia non deerunt, illas frænare aut vincire idonea; Si sunt dæmonia legionaria; Certè & virtutibus legiona-

gionaribus non destituuntur cœlestes Spiritus; Major enim est exuperantia Cœlestium quàm Infernalium substantiarum; uti suo loco demonstrabimus. Quicquid nobis ignaris vel invitis occurrit; in eo meremur imò & sperare possumus misericordiam; Quicquid autem spontaneè nobis attrahimus, vel ultraneè appetimus, de periculo futuro præmoniti; illic misericordiæ spes exigua imò nulla est; nisi ex gratia & sine merito à malis nos præmentibus liberemur, ocyus vel tardius. Spiritus seminales creaturarum sensibilium sunt ad certas leges locorum, temporum, numerorum, ponderum restricti; omnes serviles. Solus Spiritus humanus inter omnes serviles liberrimus existit; Ita ut neminem habeat superiorem ex omnibus mundanis; qui eum invitum vel ignarum, offendere, turbare, confundere, cogere, affligere, aut per vim sibi subjugare possit; Acquisiverunt quidem omnes prærogativam aliquam super nos, per dolum, in Adamo; vel per ignorantiam in Parentibus nostris; sed postquam in nobis Divinæ revelationis medio effulserit lux, nos ab ipsis discerni posse, velle, debere, erudiens exhortans, promissionibus & minis stimulans; tum nihil amplius possunt super nos inferorum spiritus; vel si quid contra nos moliuntur in nobis, nobis invitis; temporanea saltem ea sunt, & brevi evanitura, si saltem nos eis fortiter & audacter opposuerimus: Et quod si præter spem, vel voluntatem nostram, vel ipsi nobis extorqueant, vel nos ipsis concedamus interdum aliquæ; necessitati potius cedentes, quam utilitati aut voluptati insidiantes; illa nobis non imputabuntur; nec etiam nobis intolerabilia erunt ea perpetientibus. Homo qui amat cibos vel potus varios, non ob necessitatem sed voluptatem; ille pluribus iisque valdè gravibus se exponit periculis; Spiritus enim cibulentis & potulentis materiis affixi, non nos lædunt gravius quam affatim in nos plures congesti; qui dolet ob famis aut sitis defectum; ille certè voluptatis non necessitatis servus est aut mancipium; Sed qui cibos saltem

faltem amat & potus, quia his destitutus perferre nequit stimulos esurientium & sitientium atque sic cibos & potus efflagitantium Spirituum; ille non dolebit ob famis aut sitis defectum; sed gaudebit quod liber vivere possit, à violentia Spirituum homine inferiorum, atque ideo Spirituum superiorum consortio commodius frui. Turpis certe est survitus illa, quæ ab iniquis dominiis exigitur; Ita misera est vita nostra præsens, donec leges bestiales nobis imperant, & sub eorum obedientiam cogunt; Donec nempe nos famis, sitis, iræ, odii, aliarumque animalium concupiscentiarum exagitamur stimulis: Tantò turpior & miserior est conditio illorum qui non dolent se sic affligi; sed potius gaudent quò plus affliguntur, præsentibus illius afflictionis remediis; Felix certe homo ille est qui nullos famis vel sitis stimulos patitur, in summa ciborum abundantia: Miserrimus autem erit ab hinc, quem hic famis, sitis, aliarumque carnalium concupiscentiarum stimuli delectabant.

SECTIO VII.

SEnsibiliter imperant homines hominibus, vel dominantur; Ita & animalia animalibus; & virtutes mundi hujus invicem decertant; nosque omnia vel affligunt & mortificant, vel conservant & vivificant omnia. Eandem violentiam exercet super corpus nostrum & ignis, & aqua, & calor & frigus, & sapor, quam super lignum; sic nos timor, dolor, pudor affligit ut bruta, & animalia omnia extra nos. Sed Spiritus cœlestis, vel terrestris abyssi incolæ; nec nobis nec aliis creaturis extra nos, imperant aut dominantur sensibiliter; sed modo multò occultiori, sed vehementiori; ita ut sentiamus eorum impetus in mente, non verò in sensu. Canem audimus latrare, ululare ululam; rugire leonem; grunnire suem; hinnire equum, mugire bovem; balare ovem; loqui hominem; illius tamen vociferationis autho-

men cum corporis ſenſibilis ſtructuræ ruina, non perit vel interit in illo corpore nobiſcum communicans ſpiritus; Verum manet illæſus & integer hic, corpore in ſubtiliſſimos atomos diſſoluto; nobiſcum autem non communicat, quia medium communionis priſtinæ demolitum vel abolitum eſt, nunquam reſtaurandum amplius. Spiritus autem, qui ex his corporibus corruptilibus emigrarunt, in ſcenam transferuntur aliam, cum Spiritibus Angelicisque communicant, & in æternum communicaturi; ſed in corporeitatibus immutabilibus; ſicuti hic per ſenſibilia & mortalia cum ſenſibilibus & mortalibus communicabant aliquandiu. Et niſi amor præſentium inquietaverit Spiritus à corporibus hiſce liberos, tum eorum conditio futura multò eſt præſenti nobilior; Quos verò mancipaverit ſibi ſeculi præſentis concupiſcentia; illi inenarrabilibus cruciatibus inſatiabilium deſideriorum affliguntur illic ab hinc, & affligentur ubique & ſemper.

SECTIO VIII.

HOmo ſibi proponit plurima tàm bona quàm mala, ſed quædam ab externis objectis hauſto exemplari, quædam intus objecto à Spiritu: & tamen pleraque, tùm horum tùm illorum ſuo fruſtrantur eventu; præſertim ex eis, quæ ab externis objectis ortum habent. Quæ autem Spiritus ſuggerunt, ea ſunt fortioris impreſſionis, felicioris ſucceſſus, & certioris eventus. Nam ſpiritus quæ inchoant pleraque perficiunt; niſi externa ipſis prævaluerint impedimenta, quod tamen rarò continget: Interdum adeò fortes ſunt impreſſiones internæ, ut homo nolens volens violento quodam impetu trahatur ad exequendum dictata internorum, nihil curans externos obices. Hoc modo informantur homines à Spiritibus & ad virtutes & ad ſcelera; Nam & illarum & horum leges in theſauris tenebrarum reconditæ ſunt; in commodum

modum & incommodum vitæ præsentis directæ; Tali modo, & à talibus principiis edocti fuerunt primi artium naturalium inventores; quorum Inventa, nihil aliud sunt, quàm dictata Spirituum, humano Spiritui à Creatore in servitutem ordinatorum, sed ei jam per dolum insidiantiū, quomodo ejus fieri possint, vel in æternum manere, si sunt, imperia & dominia. De naturalium saltem hic hæc loquor Spirituum cum hominibus, eoque occulto commercio, quod homo ob voluptatem ei adnexam, ignarus eorum, quibus cum communicat, vel affectat augeri, vel dolet impediri. Et quamvis homo, talis communicationis adminiculo, multa utilia ad vitam imò & necessaria acquirat; quandoque nobiliora & utiliora quàm externæ humanæ informationis industriâ; Tamen quia cum principatibus mundi hujus, & Spiritibus astutis, dolosis, fallacibus ipsi res est; suspecta sunt, vel esse debent omnia ab inde ortum trahentia molimina; Et quamvis ab ineunte ætate impossibile sit dignoscere Spirituum dictata utilia ab inutilibus; vel necessaria à vanis & noxiis; tamen ut id fiat in ætate provectiori, invitat, exhortatur, & quomodo fieri debeat, informat nos pagina sacra. Nam sicuti inter homines naturales, vel animales magna est discrepantia, verborum, concupiscentiarum, virtutum, gestuum, vultuum, artium; ita quoque inter se discrepant Spiritus in scenis suis tenebricosis, ut alii aliis sint doctiores, eloquentiores, astutiores, stupidiores; Nam hinc & in homines derivatur, quicquid inter eos variat: Omnia autem sensibilia insensibilium sunt saltem indicia, imagines, umbræ, vestigia, simulacra; Motus sensibiles, per sensibilia corpora, vel corporum membra & partes, fieri consueti; Spirituum sunt energiæ, per scenas mundi hujus temporibus & locis distinctas, peregrinantium in æternitatem. Pereunt & abolentur corporeitates animales, minerales, meteoricæ, metallicæ, vegetabiles; Sed nequaquam spiritualies eorum essentiæ; sed hæ relictis temporalibus & localibus scenis revertuntur in abyssum

byssum ex qua processerunt, vel lucis, vel tenebrarum. Sed in abysso suas quoque habent corporeitates, à legibus sensibilium mensurarum immunes; ita ut ii solum qui inter nos prophetæ vel videntes dicuntur & sunt, de eorum existentiæ modo in abyssi profunditate latentium judicare sciant, & prævidere futura etiam longè citius quàm fiant. Spiritus naturales, sub tenebris adhuc latentes, volunt, sciunt, possunt omnia, quæ postea in locis & temporibus diversis successivè fiunt, vel fieri desinunt; non tamen omnia prænuntiant singuli; Nos numeramus, quæ in Spiritibus summatim comprehenduntur. Non enim multiplicantur Spiritus cum corporibus; Sed nobis saltem per numerum revelatur eorum ingens, & computum excedens multitudo; Nesciremus enim esse abyssum infinitæ magnitudinis, & multitudinis, & durationis, nisi per sensibilium mensurarum fluxum, fluxusq; continuitatem de occultis & insensibilibus erudiremur; Sic volente cœli & terræ Monarcha.

SECTIO IX.

A Sagacibus Spiritibus prænotiones futurorum, vel absentium fluunt; qui Spiritus sagaces vel prudentes non sunt, nihil prævidet futuri, sed obruuntur à malis; quidam autem etiam perpetientes mala, quamvis duriora, tamen ob stuporem eis implantatum, minus dolent, quàm alii etiam minora perpetientes, sed prudentiores. Catena tenebrarum, quâ vincti sunt Spiritus mundi hujus, ex infinitis est composita articulis, ita ut alii aliis laxiores sint, nulli tamen omninò liberi; sed omnes servi, etiam inter eos liberrimi. Nam sicut homo homini, ita spirituum unus alteri & dominatur & servit; per ordines justos divisit eos quoq; Creator, quamvis nihil minus ament, quàm æquitatem; nihil magis affectent, quàm confusionem, vel ordinis Divini transgressionem; Ideò Peccatum, Anonya dicitur, vel legis transgressio,

quia Spirituales improbitates & dominia tenebrarum, nihil volunt ipsa, nisi dominari; nihil docent, nisi rebellare justis dominiis. Qui homines cum Spiritibus mundi hujus principalioribus, astutioribus & acutioribus communicant, illi Videntes sunt & Prophetæ; Ita aves, bruta, pecudes, muscæ, prænuntiant quandoque insignes clades, victorias, fertilitates, sterilitates, morbos, mortes; non ita ex se ipsa, quàm à Spiritibus sagacibus obsessa. Homo ex se ipso nihil præscire potest futuri, nec aliter pervestigare quàm bruta; quia brutus jam est ab ipso conceptionis momento: Si quid autem prævidet citius quam fiat; id ipsi revelant in eo habitantes, vel extra eum alii, sed cum ejus inquilinis communicantes, vel communicare affectantes Spiritus, illique aut cœlestes, vel terrestres. De meris his naturalibus philosophabimur; de cœlestibus sermones differemus in Philosophiam sacram. Spiritus terrestres, impuri, immundi, maligni, crudeles, dolosi, astuti, mendaces, &c. nulli sunt mali in ordinibus suis permanentes; sed omnes boni, sicuti lupus & ovis, columba & serpens, leo & equus: Sed peccare docentes hominem, non peccant, sed peccat homo, ipsorum dictatis obsequens; nam peccaret Spiritus nisi irasceretur, ad iram creatus; non bonus est canis, si non esset invidus; nec vulpes, nisi fraudulenta; nec equus nisi superbus; nec gallus, nisi lascivus. Sed quoniam ne vera loquentibus quidem credendum est, multò minus mendacibus, astutis, fallacibus obtemperandum erit: Nisi de eo certi simus, spiritum nobiscum communicantem revera Dei, vel Divino nomine à summo Deo authentisatum esse. Non quod ipse id loquatur; sed quod Majestas personæ ipsius id de eo attestetur. Omnes quidem Spiritus, non Cœlites tantum, sed & Inferorum, exequuntur decreta Monarchæ Spirituum; Illi quidem nihil volunt, nisi quod sciunt velle Deum; Hi verò non nisi proprium arbitrium exequi affectant, etiam in operibus à Deo secundum ejus jussum decretis. Sumus Rector universi nunquam sua decreta mu-

mutat; sed mutat sæpè eorum ad nos Relatores; vel Relatorum interpretes; per quos variæ inter auditores nascuntur de auditis sententiæ. Patravit Miracula Moyses; patrarunt ea & Ægyptii sapientes; attamen magno cum discrimine. Prophetarunt apud Medos & Persas plurimi; sed alii afflati à spiritibus in abysso terrestri habitantibus; Solus Daniel instinctu Spiritus Deorum in Excelsis habitantium. Prophetas habuit suos quodque seculum; sed valde ab invicem discrepantes; Alii enim à Deo edocti prophetarunt; alii à spiritibus astutis; alii non nisi ab hominibus, quorum vaticinia potius conjecturæ erant ancipites, quàm veræ prophetiæ. Prædicunt multi futura, non quod sciant ea sic eventura, sed quod sperant vel optant, atque ex externis indiciis sua formant vaticinia. Sed de his omnibus in opere Sacræ Philosophiæ prolixius. Turpe est Medico, titulo Doctoris insignito, mutum agere, in controversiis de materiis merè naturalibus; nam propriè ad Physicos & Philosophos pertinent censuræ de operum sensibilium insensibilibus causis; qui saltem litteris, vel sensibilibus signaturis affixi hærent; inter tales & rudes nulla alia est differentia, quam inter glabram & alienis pennis ornatam corniculam.

SECTIO X.

EX præmissis pergemus examinare modernos Prophetas eorumque Prophetias, valde famosas; Uni alicui Sectæ, Religioni, Magistratui, Familiæ aut Personæ plurima aut mala aut bona minitantes vel promittentes. Astrologiæ suum relinquimus honorem; hæc enim naturalibus nixa principiis, ea saltem præfatur, quæ non nisi naturalibus creaturis sunt metuenda aut speranda; à talibus prognosticis, Divinæ mentes non afficiuntur gaudio, etiamsi suaviter sonent; nec tristitiâ, quamvis asperius; Sed de illis saltem hic personis, eorumque divinationibus loque-

mur, quæ non solùm ipsæ ad nos sub titulis sacratioribus veniunt, sed & ab aliis nobis recommendantur; Inter plures tres videntur esse insigniores, qui non saltem Austriacæ domui, sed & toti Papatui, imò omnibus sectis Christianis, unâ solâ exceptâ, tristem minantur ruinam; tamen definita tempora à Vatibus, jam elapsa videntur, nulla in futuro metuenda; nisi novus aliquis iterum prodeat vates, singulari Epileptico affectu insignis, cujus signaturæ in duobus ex novissimis, multis se indiciis prodiderunt: Ita ut satis mirari nequeam hodierni seculi inter Christianos tantam proclivitatem in superstitiones & stultam credulitatem, quanta apparet in hominibus illis, qui Prophetiis sub titulis sacratissimis divulgatis, quamvis fallacissimis, subscribere non dubitarunt; Scias igitur, Christiane Lector, quod Prophetiæ Christinæ Poujatoviæ, & Nicolai Drabicii, non majorem fidem mereantur, quàm Melancholicorum, Maniacorum, Phreneticorum, Epilepticorum, Noctambulonum impressiones, imaginationes, somnia, deliria. Salia enim in statu exaltationis suæ, mirabiles nobis repræsentant imagines intus; Quas nemo novit, nisi ille, qui eas patitur, existimans extra se fieri, quod intus in ipso fit; ob vehementiam salinarum impressionum, quæ sine sensu doloris fiunt, etiamsi membra patientum varie torqueant. Sal enim spirituale redditum, splendet sine sapore, sine odore, sine colore in profundioribus corporis partibus, quàm quæ sensui subserviunt. Quanta vis sit fervoris animi in subigendis sensibus, norunt illi, qui ab ira aut amore extraordinariè afficiuntur; occæcantur enim externi oculi, & alia sensoria ligantur, ita ut & ipsi maximè propinqua nec videant nec sentiant, donec fervor ille animi eos reliquerit; Nam fervor salis, furor est, alius alio brevior aut diuturnior, amœnior aut tristior; Iracundi & amantes somniant multa; & plura quàm à talibus affectibus immunes vel liberiores; Quod si verò diutius duraverint in animo; tum iracundi & amantes inter Prophetas recensendi erunt, in illo mentis excessu
con-

constituti; Inter Prophetas inquam, sed tales, qualis fuit Saul, semel atque iterum, à malo Domini afflatus Spiritu; Multa enim verè futura præsagiunt, atque prædicunt Spiritus in corporibus humanis degentes; Et tamen non omnia, quæ dictant, sunt utilia, bona, approbāda, speranda aut metuenda Christianis; quamvis in lucrum, in honorem vel patientis ipsius, vel ejus affinium vergere videantur: Nam ex abysso terrestri, in præsenti rerum humanarum statu, nulla emergunt, quæ sint ab omni periculo improbitatis immunia; quæ non sint infatuata veneno antiqui illius serpentis, dominium super nos astu, quod per vim nequit, affectantis. Et quod si in sensibilibus caute agendum, multò magis prudentià opus est in delectu faciendo spiritualium; nam hæc sub amœnissima specie, maximè fallunt; & sub verbis summam sanctimoniam dissimulantibus, turpissimè decipiunt, animos facilè credulos; in superstitionem, in iram, in odium, in vindictam pronos. Igitur, Christiane Lector, à nullo propheta, quamvis sanctissimis titulis superbiente, patiaris te ad amorem vitæ, bonorum, honorum mundi hujus, moneri, duci, trahi; multo minus ad rebellionem magistratui, ad odium, ad iram, ad proximum malè tractandum, vel pejus de eo, quàm de te ipso sentiendum; Nullus enim Spiritus, qui talia dictat, vel docet, etiamsi sanctissimus appareat, audiendus est. Lex Divina sic nostrum quemlibet proximum amare docet, uti se ipsum.

SECTIO XI.

EXcessus quidem mentis humanæ non omnes vel semper à sale terrestri, Spirituumque inferorum instinctu trahunt originem, sed multi à cœlestibus ignibus vel eorum virtutibus procedunt; ita ut hos ab illis difficile admodum sit discernere, ambo enim ex æquo ignem æmulantur, vehementià impetus sui; Et tamen valde necessarium est spiritus à spiritibus dijudicare

care scire; ne & ipsi decipiamur, & decepti decipiamus alios; si nempe Spiritus omnes sine discrimine admittamus, vel admittendos esse, aliis persuadeamus; qui recepti non fuissent ab omnibus nisi nostrâ authoritate ad id agendum permoti fuissent plures. Sæpè Spiritibus cœlestibus negamus fidem, non quod falsa vel impia nobis loquantur, promittant, minentur; sed quia inconsueta, quæ nec speramus nec metuimus; aliter à nostris Doctoribus, & doctrinarum spiritualium interpretibus edocti; Multæ autem doctrinæ, prophetiæ, promissa, minæ mendaces in scholas Christianas plantatæ sunt & quotidie plantantur, ideò saltem quod communibus doctrinis, votis, suspiriis, interpretationibus consonæ; Doctoribus, lectoribus, auditoribus, cujusque & ætatis & ordinis & sexus sint magis familiares; & captu faciliores. A talibus Spiritibus Christianismus in plures sectas discordes dissectus est; Ut una alteri malè velit, & mala optet. Nec ulla est speranda animorum sic dissidentium reconciliatio, quousque Sapientes mundi hujus sibi ipsis placere amaverint, & alios docuerint; quousque Magistratus ad crimina Doctorum, connivere; Doctores autem mundano Magistratui adulari perrexerint; Sive spirituales, mundanos honores, opes, officia affectaverint. Qui affectat mundana Christianus, ultra mensuram necessitatis, ille terrestres, impurosque Spiritus, doctores, comites, duces habet nisus sui, alius plures, alius pauciores; Ita qui nostrum affectaverit Regnum cœlorum ejusque privilegia, honores, insignia, ubique obvios sibi reperiet talia docentes & oppignorantes Spiritus. Qui autem vult censorem agere inter Spiritus, ita ut quibusque attribuat quod eis convenit; Ille necesse est ut illius censuræ opus exordiatur à se met ipso, vel spiritibus in membris hujus corporis ei cohabitantibus; nempe ut sciat quomodo Spiritus humanus ab animalibus dissideat, aut dissidere debeat secundùm legem ordinationis Divinæ; Et quis prærogeret alteri, an ille cui jus prærogativæ competit, an alius illi

per

per vim aut per dolum imperet, vel dominetur; aut imperare vel dominari affectet, contra jus & æquitatem; Sive neminem aliter judicet, absolvat, vel condemnet, quàm ipse à Judice justissimo judicari postulat; Qui hanc regulam custodiverit in censura spiritualium, sive internarum suarum concupiscentiarum, cogitationum, moliminum, affectuum, ille nemini erit iniquus; nec aliquis eum condemnare poterit, nisi iniquus. Qui autem eam neglexerit aut spreverit; Ille nemini erit iniquior quam sibi ipsi; nam sic agendo implicabit se condemnationi Spirituum, Divinos honores impie affectantium, in die novissimi judicii.

SECTIO XII.

SUnt Lamiæ, styges, pythonissæ, prophetissæ, & videntes varii generis, imò cum dæmoniis incæstuoso congressu communicantes homines, ubique terrarum; attamen una Regio aut provincia plures tales alit quàm altera. Sed nullibi palam artes illæ sceleratas profiteri licet, ne inter Judæos vel gentes quidem; Quamvis Magia excolatur inter gentes aliquas publicè. Quantum autem hæc ars ab aliis & sceleratis dissideat; alibi prolixius demonstrabimus. Sceleratæ artes, veneficia exercent, per nefaria & abominabilia media, per superstitiosas, imò in Deum blasphæmas incantationes, quibus dæmonia in consortium humanum alliciuntur. Sunt inter sceleratas illas personas fœminæ & viri, qui exaltatâ imaginatione per nefarias vindictæ concupiscentias, vel odii stimulos, vultus induere sciant lupinos, felinos, caninos, aliosque bestiales, & talibus formis vestiti, patrare quæ per tales bestias genuinas communiter fieri solent; nempe pecora & homines infestare, eos aliquomodo lædendi aut omninò perimendi desiderio. Ideò qui pro defensione sui tali dissimulatæ bestiæ, inflixerit vulnus, non bestiæ propriè sed homini id infli-

inflixit, quamvis se id non homini sed bestiæ inflixisse putavit, vel infligere cogitavit. Nonnunquam & in propria forma nefaria sua patrant malefici; Quorum scelerum exempla plurima exstant in protocollis Judiciorum Curialium. Non autem dæmones sunt qui talia patrant, sed revera homines ipsissimi; Nec ludibria vel illusiones Sathanæ, uti vulgo dicitur; sed res seriæ quamvis spirituales, vel mensuras ordinarias excedentes. Spiritus enim humanus vel Homo interior, non est alligatus corpori huic animali vinculo indissolubili; Nec corpus hoc externum & mortale pars est essentialis Hominis; sed temporaneum saltem ejus cum mundo hoc sensibili communicantis domicilium. Habet autem homo quisque, corpus immortale vel spirituale, quod mensuris locorum, temporum, ponderum, & numerorum mundi hujus sensibilis sensibilibus non subjicitur; in tali corpore tantum victurus ab hinc in æternum; uti in Philosophia sacra docebimus. Quotiescunque igitur homo aliquis in vita hujus corporis aliquas patitur visiones, ab illis non afficiuntur sensoria ejus externa, sed interiora, sive spiritualia; ideò non omnes homines videntes sunt, sed aliqui saltem; atque apparitiones spirituales non sunt apti videre omnes oculati; vel audire, quicunque externas sermocinationes audiunt; sed solum illi cum quibus spiritus communicare amant. Non morabor si mihi quis hic obloqui velit litteratorum; Qui vere philosophi sunt, uti dicuntur, illi à mea non dissentient sententia: Qui autem mihi in contrarium sentiunt, illi aut non intelligunt res quas vel de quibus loquuntur, aut absolvunt immunes à sceleribus, quotquot unquam à Magistratu ob scelera & veneficia, aliasque abominabiles superstitiones in Deum blasphæmas, vel ense percussi, vel igne cremati sunt: Magistratumque iniquitatis arguunt, quod in insontes severius sævierit. Nam si illusiones saltem sunt phantasticæ, veneficarum scelera, & abominabiles cum spiritibus commistiones, non autem res revera gestæ, tam commiseratione

tione dignæ sunt personæ tales, minimeque in eas supplicio animadvertendum fuisset; quippe qui nihil mali patrarunt, sed saltem à dæmone illusionem passi. Verum ut de talibus casibus acutè & sapienter pronuntiare possis, Lector amice, ne gravare tuas mihi aures paululum accommodare, & in examinandis rationibus meis aliquandiu immorari. Quod renuntiant omnibus æquis, sanctis, divinis doctrinis & legibus; ex ipsorum propria confessione constat; Talis autem renuntiatio, nempe voluntaria, spontanea, & arbitraria, non est phantasma, sed res ab eis verè gesta. Sed non sufficit talibus personis, renuntiasse omni æquitati & veritati; sed omnia sua dicta, facta, desideria, molimina, illi abominabili renuntiationi per vitam integram congrua efficere nituntur, ita ut nec thori consortibus, liberis propriis, parentibus, consanguineis, imò nulli omninò vel homini vel bestiæ parcant, donec expleverint pactorum requisita: Nec etiam desinunt eis per vim infesti esse spiritus, donec eorum efflagitata, suaque promissa omnimode expleverint. Nam non per dolum cum talibus negotiantur sprituales improbitates, uti cum aliis hominibus, sed violenter imperant & cogunt eos ad maleficia. Nec illi inviti vel ignari peccant aliquando, sed proclives omninò ad malum, & non nisi malè agere volentes; Una enim est illis & mens & animus ambobus: servis uti dominis; hominibus uti dæmonibus. Nec homines sui sunt amplius in tali nexu cum dæmonibus stantes, nec dæmones; sed hi illorum, illiq; horum. Duo sunt quidem individua duarum specierum, invicem communicantia; sed contra ordinem Divinæ sapientiæ, in unum coaluerunt, in pernitiem & contumeliam tertii; Horribili judicio divellenda tandem, & æternæ condemnationis judicio judicanda. In hoc nexu stantes personæ rapiuntur interdum in abyssum à Spiritibus, ita ut sine omni molestia & defatigatione externorum membrorum, uno momento longius emetiantur iter, videantque & audiant, quæ alibi geruntur, cor-

S pore

poreillius longius dissito; & tamen à nemine videntur, quibus præsentes sunt; Corpus enim sensibile Spiritus domicilium domi manet quasi exanimè, spiritu extra vagante. Id nos docent raptus prophetici, vel ecstases, quas patiuntur sæpe sanctissimi in hac vita; Nam omnes illi, quos Scriptura in Cœlum aliquando raptos fuisse attestatur, non deseruerunt terras, in excelsis Cœli ineffabilia audientes, & conspicientes, quæ scriptis consignarunt ad se ipsos reversi: De talibus divinis revelationibus prolixius in Philosophia Sacra. Ita & in abyssum tenebrarum, vel scenam spirituum improborum trahuntur quandoque spiritus humani, nefariis & à Deo vetitis concupiscentiis inflammati; vel ingenti odio, irà, invidià, vindictà, adversum proximos æstuantes; ita ut nullam turpitudinem detrectent, si saltem efficere possint quod volunt, adversum eos quibus infensi sunt, vel illi ipsi, vel eorum legislatores, dæmonia. Potest enim Spiritus humanus adhuc in hac mundi scena degens, vel hoc corpore vestitus, peregrinari in abyssum & Cœli & Terræ, quousque integra manet corporis hujus, vel ejus præsentis commorationis structura; Sed destructo corpore hoc peccati, actum erit cum tali ejus privilegio; nam non restaurabitur semel dilapsum; nec communicare poterunt amplius Spiritus cum incolis mundi hujus, per mortem ab eis divulsi; Claudentur enim & firmiter obsignabuntur exitus futuri seculi; Ita ut nec velint reverti huc, qui hinc festinarunt; nec etiam possint; quamvis velint, quos præsentis seculi captivos tenebunt desideria æterna. Sed & hæc alibi.

SECTIO XIII.

Quia autem omnia in occulto fiunt & in tenebris, quæ fiunt à sagis, & Spirituum infernalium procis in hoc mundo; nullusque maleficorum est qui aperte profiteatur vel confiteatur se eum esse qui est, nisi proditus ab alio, aut tormentis coactus.

Sed

Sed hujusmodi indicia suspecta sæpe sunt falsitatis; nam ex talibus indiciis quandoque insontes ad supplicium trahuntur, uti mille exempla docent. Ideò Magistratus omnem falsitatis suspicionem evitare volens, quoddam invenit probæ genus, cujus indicia prioribus existimat esse certiora. Nempè per Aquam. Nam suspectas maleficii personas, in profundiorem lacum abjici curat, easque quæ subitò non merguntur, sed aquæ innatant pro reis habet; quæ verò merguntur, eas absolvit impunes, etiam ab aliis scelerum sociis accusatas. An autem examen id sit ab omnis erroris suspicione liberum hic breviter meditabimur; Habetur quidem apud plerosque pro certissimo; mihi autem non videtur omninò suspicione erroris destitui. Nam sicuti vultus humani, ita quoque & reliquorum corporis membrorum in singulis individuis magna est discrepantia; Nam inter individua nullius speciei adeò multiplex est varietas, quàm ea quæ est inter individua humanæ speciei & numero & sexu discreta. Videmus lignum unum aquæ innatare, aliud statim, vel sensim mergi; Sic quoque corpora humana alia aliis ad natandum, alia ad mergendum sunt prodiviora. Christus Dominus inambulavit mari, ita & Petrus, sed nec hic nec ille alicujus maleficii inde convinci potuit, ex vero; Et quamvis non negaverim plurimos talis examinis scrutinio, reos sceleris, cujus accusabantur, deprehensos fuisse; & tamen omnes pro reis haberi debere, qui non merguntur non concesserim; nec etiam qui merguntur, ideò simpliciter absolvendos; nam nullam video justam rationem quomodo corpus hominis animale immutare naturam possit ob consortium cum dæmone, spontaneum; cum tamen nihil mutetur per innatam iniquitatem, quæ nihil differt à spontanea nisi per ignorantiam; Nam homo spiritualis redditus ex animali per regenerationem, nullam in corpore in hac scena sentit mutationem, sed saltem in mente & voluntate; in cæteris similis sibi manet ad mortem usque; Et quamvis Satanas majorem licentiam habeat affligendi

corpus quàm mentem hominis; Illa tamen virtus Satanæ, quod solum perficiatur corporis mergibilis immutatione in conditionem mergi impossibilem; nullo certo fundamento evinciri potest. Imò sæpe & ultranea sceleris confessio falsitatis est suspecta; Nam molliores animi, metu tormentorum tali probæ communiter succedentium, eo rediguntur pusillanimitatis, ut malint mori semel, quàm tormenta, mortis doloribus violentiora, sæpius perpeti, incerto eventu; Spontanea autem confessio quamvis à mortis metu non liberet, liberat tamen à diuturnis cruciatibus, quales per varias torturas infliguntur sceleris suspectis. Rationes quibus examen id sagarum commune pro legitimo habetur, valdè sunt ineptæ imò & ridiculæ; quos alibi seriò refutabimus. Hic saltem brevibus monere voluimus, quod nulla sit certior proba sagarum, quam spontanea plurium de eadem persona confessio, vel alicujus de se ipso. De occultis vel ex occultis judicare Magistratus politicus, gnarus causarum naturalium, juste nequit; etiam legum authoritate suffultus.

SECTIO XIV.

NOn saltem per ecstases, vel raptus Spiritus humani extra corpus, communicant incolæ abyssi cum incolis mundi hujus sensibilis, sed & pluribus aliis variis modis; Inter alios & per insomnia se nobis insinuant, & sua revelant citius quam sensibilia fiant; Nam spiritus per somnum ab externorum contemplatione abstracti, capaciores redduntur spiritualium impressionum. Imagines itaque quæ nobis dormientibus apparent, quamvis aliæ aliis ocyus evanescant, non tamen omninò inanes sunt vel steriles; sed spirituum in nobis præsentium, per eas nobis innotescit conditio, an videlicet meri sint naturales; an aliquos quoque sibi permistos habeant Divinæ naturæ participes; An nos ab amore mundi præsentis avocent vel dehortentur; an vero invitent

vitent ad amorem mundanorum aut trahant; Per infomnia de multis occultis myfteriis divinis, & naturalibus informati fuerunt fæpe multi viri, qui citra eum informationis modum ignari plurimorum fuiffent. Hoc modo innotuit Jofepho futuræ ejus exaltationis ftatus: Gideoni Midianitarum clades; Danieli fomnium Regis cum interpretatione. Ita & hodie innotefcit Medicis & Phyficis prudentioribus ex obfervatione fomniorum, quæ ab ægris fæpe narrari audiunt, plurium occultorum affectuum caufa, quàm aliter agnofcere fuiffet impoffibile; Nihilque eft adeò profunde fepultum in nobis, quod non per fua indicia hæc aut illa nobis fe revelet, five vigilantibus five dormientibus, etiam citius quam fenfus noftros afficiat. Quo fubtiliores fpiritus in nobis funt, tantò imagines internæ quoque amœniores, vehementiores, & activiores funt, membrisque minus onerofæ exiftunt; fed quo plures inferiorum ordinum Spiritus cohabitant nobis, tanto aquarum, ignium, montium, ventorum fpecies nos intus fatigat gravior: Non enim femper vaporibus cibulentorum & potulentorum materiarum imputanda eft imaginum internarum difcrepantia; fed fæpe ex fpirituali abyffo in vapores irrunt fpiritus vel metallici, vel minerales, vel meteorici, fuarum fignaturarum authores: Vapores enim foli in fe confiderati non nifi materialem conditionem habent in nobis; fed Spiritus formalem, & imaginationis motricem, quàm interdum adeò fortiter impetunt, ut homines non dormientes fed vigilantes appareant, quamvis revera dormiant; Et quamvis corporibus omnis generis materialibus vaporibus onuftis, largior ipfis porrigatur multiplicationis imaginum occafio; Attamen non vapores funt qui imagines rerum extrinfecarum formant, fed revera Spiritus, iique interdum fagaces & prognoftici, de futuris nos præmonentes fucceffibus, vel externo ftatui faltem, vel noftrorum membrorum utilitati, vel incommodo inferviturīs. Hoc modo multorum morborum feminaria fe produnt, ut

Epilepsiæ, Apoplexiæ, Podagræ, Chiragræ, Calculi, Colicæ, Febrium, nempe ex imaginibus insomniorum, quæ per indicia urinæ, pulsus, aliarumque signaturarum à medicis observari consuetarum impossibile fuisset indagare. Ingravescente ætate, augentur imagines; Appropinquante morbo aggravantur & acuuntur; Urinaque fit paucior, quia Spiritus qui meri ignes sunt, rapiunt salem in materiam insomniorum, quod ordinario per urinam evacuari consuevit. Corpusque nostrum revera nihil est aliud quam congregatio Spirituum; Inter quos, si unus imperat omnibus tantum, bona est pax; si plures: tot incommoda, quot rebelles uni sunt: Omnium pugna, Mortis nuntius; cui imminet omnium dissipatio, corporisque ruina, & Spiritus humani, ex scenis mutabilibus, in æternitatem transitus.

SECTIO XV.

EX jam dictis judicare poterunt prudentiores de Noctambulonibus, Maniacis, Phreneticis, Melancholicis, aliisque similibus affectibus, vel eorum causis; Ita & de Spectris, aliisque horribilibus apparitionibus mortuorum, vel violentâ morte peremptorum; de Sanguine ex cadavere longius mortuo & exsangui stillante, ad præsentiam homicidæ; aliisque sensibilium quidem effectorum occultis causis; coràm quibus non Vulgus solùm stupet, sed & illi, qui sapientiam suam non cœlitus acceperunt, sed ab infra didicerunt; quam sapientiam ego quidem non vitupero, sed ad perfectionem in nobis Christianis requisitam & ex jussu Dei, & ex voto nostro, inutilem. Sunt quidem multi clamosi philosophi, qui majorem licentiam sibi arrogant temerarii de aliorum scitis judicandi, quàm ipsis eorum permittit conscientia, nam nec ea quæ ipsi sciunt, vel scire videntur intelligunt, aliorum sapientiæ prædones. Talem se demonstrat esse Michael Watsonius, Professor Rintelensis, in sua Synopsi Philosophica; hic misellus homuncio reprehendit, imò contumeliosè rejicit sen-

sententiam meam de Spectrica mortuorum apparitione, nemini in fidem publicatam à me; Hisce brevibus quidem, sed sine ratione prolatis verbis, inquiens: Spiritus è corporibus egressos à Manibus Dei, vel à Gehenna excipi. Putat se satis dixisse, cum tamen dixerit Nihil. Ex verbis enim ejus non liquet, cum scire quid manus Dei sint, & quomodo à gehenna sint discernendæ; nec ex verbis meis demonstrari potest, me alterum vel utrumque negare; aut idem fateri, sed non ad libitum alterius interpretis, sed conscientiæ meæ: Nec me saltem suo calamo fatuo hic increpat, sed & alios, qui talis mysterii conscii sunt, ille autem ignarus, quasi contra sufficientem experientiam variè Rhetoricentur. Pag. 359. Sed si bonus ille vir tantùm suæ sufficienti experientiæ confidit, publicet suas rationes, quibus nos eo redigat, ut & nos fateri oporteat, eum hujus mysterii esse syncerum interpretem, sufficienti experientià munitum: Et nos nostros errores fateri & corrigere cogat, non verbis sed rebus. Sed non adsum hic, ut me adversum Momos defendam; aliàs Michaeli Watsonio responderem, ad hæc & alia de me in scripto ejus aliunde descripto, contumeliosè divulgata. Sciat tamen, me omninò non taciturum; experieturque Michael Watsonius me consarcinatam hinc inde ejus sapientiam nihil pertimescere, sed omninò floccipendere. Studiosæ juventuti cui præest, narret ille somnia aliorum, & eorum agat interpretem; Si mea interpretari ausus fuerit amplius, reverâ malè audiet. Tu autem, Christiane Lector, scias omnia in mundo hoc sensibili ab insensibilibus fluere, derivari, & regi principiis; Cui libet, cum Watsonio à qualitatibus primis vel occultis pendere, illi licebit quod libet; nostram autem nobis veritatem à Watsonio extorqueri deliris calumniis non patiemur. Si nimiæ Imprudentiæ signum est, contrariam Aristoteli sententiam statuere, Pag. 384. Cujus Stultitiæ signum erit, hominem litteratum quidem, sed spiritu omni destitutum, de Spiritualibus decretoriam publicare sententiam. Sed suo tempore

pore

pore respondebo Watsonio ad singula, iisdem verbis, quibus ille me offendit; ut sciant Christiani Lectores, ejus denique discipuli, quantum distent æra Lupinis; vel Sapientia Christiana prærogetAristotelicæ.

SECTIO XVI.

Quis est, qui enarrare possit, Salium species, sunt enim innumeræ? multò minus eorum individui gradus redigi in numerum possunt, sunt enim speciebus numerosiores. Quis est, qui metiri possit ejus Centri profunditatem, vel superficiei latitudinem? Nam quot sunt sensibilium Creaturarum genera; vel tenebrarum abyssi virtutes, concupiscentiæ & improbitates; tot sunt quoque salium differentiæ. Et quamvis immensæ sit magnitudinis, longitudinis, latitudinis, profunditatis & altitudinis Sal, Unum tamen est; In nobis aliter, aliter extra nos idem & se occultat & manifestat. Et tamen in nobis omnes ejus latent thesauri, ita ut non opus habeamus vagari per mundum, sed in nobis reperire possimus omnia, quæ extra nos per integrum mundum dispersa sunt. Microcosmus enim est quilibet nostrum, nihilque est in toto sensibili, quod in nobis quoque non sit & essentiâ, & nomine, & virtute idem; sed à se ipso per intervalla discrepant. Tot in nobis existunt salis Ideæ, quot revera extra nos existunt ejus differentiæ, specificæ & individuales. Non agnoscit cæcus extra se colorum varietatem; attamen intus animo ejus tot colorum splendent imagines, quot à videntibus in mundo majori numerantur. Somniat se videre cæcus, cum tamen revera nihil extra videri possit, vel visu, ut & oculis destitutus. Idem accidit & surdis, quod videntibus; Nisi autem cæcus, vel visu à nativitate destitutus, abundaret intus salinis tincturis vel impressionibus; ineptus esset ad propagationem speciei suæ; Sed ex cæco æque videns generatur, ac ex vidente cæcus. Eadem est ratio

tio omnium generationum & transplantationum extra nos in aliis quoque specierum scenis fientium; Nam Sal, sive principium seminale, mutat sæpè formam externam, sed internam nunquam; Alicubi sterile manet, & materiale tantum; alibi iterum fertile fit & activum; Hic degenerare videtur, illic excedere mensuram speciei vel radicis suæ, quam tamen illæsam ubique & integram custodit semper, à fatis se huc vel illuc duci patiens. Seritur sæpè hordeum; sed loco hordei cardui proveniunt; ita & triticum, siligo, avena, aliæque fruges in ignobiliorem familiam degenerant, hoc anno; altero redeunt iterum, unde digressæ fuerant, & recompensant ditiori lucro jacturam anni prioris; In utroque actu voluntati summi Imperatoris obsequiosæ. Imputat quidem Vulgus iners, talium casuum causas infesto syderum aspectui, cœli influentiæ, inimico aeri, vel terræ novercæ; sed falso; nam in singulis seminibus latent principia & sterilitatis & fertilitatis; quod verò hoc anno fertiliora vel steriliora sint semina, hæc non illa; Non aer id facit, nec cœli facies; Nec alia aliqua Creatura sensibilis; quamvis plurima hic aut illic fiant illo anno, quæ non fuerunt in priori, nec manent in posteriori; Ut autem hæc, hic, & sic fiant; alia alibi & aliter; id ordinationi Divinæ congruum est; non deferendum in concausas fientium mutationum, sterilitatum, fertilitatum, aliarumque transplantationum; sed in offendicula humanæ sapientiæ, quæ amat hærere in sensibilibus, & sensibilibus causis omnia imputare; cum tamen per insensibilia media Deus omnia suæ sapientiæ exequatur decreta in scenis Mundi hujus sensibilis. Quomodo possumus imputare causas sterilitatum vel fertilitatum seminum terrestrium, astris vel alicui astrali influentiæ? Cum tamen sciamus omnia vegetabilia, gramina, herbas, arbores, folia, flores, fructus, divisos per sua genera & species exstitisse, citius quam astra, Luna vel Sol, superficiem expansi illuminassent: aut nos Moyses fallit; Turbavit quidem Adam ordinationis Divinæ leges, suâ inobe-

 dien-

dientiâ; attamen non mutavit; Ignis enim urit hodie sicuti à principio, ita quælibet creaturarum species formam pristinam custodit integram, quamvis alia intus & extra varient. Ferunt jam semina vegetabilia usui saltem humano destinata, fructus homini inutiles, imo & noxios; pro spicis gramina, pro frugibus carduos; pro tritico zizania, spinas & tribulos; arbores loco fructuum, erucas, papiliones, insecta omnis generis alunt; donec nempe homines mentem in melius non mutarint; hoc facto, redeunt quoque omnia in ordinem pristinum: Et sicuti annis prioribus erucis scatebant arbores, ita subsequentibus, frondes, ramique arborum onustæ suis frugibus exhilarant terræ faciem. Ita semina frugum, quæ heri non nisi stramen vel gramen, zizania vel carduos pariebant; hodie ferunt spicas, granis optimi frumenti onustas. Non astra hæc seminibus influunt, aut suffurantur, sed Pater solus Cœlestis, sui verbi benedicentis aut maledicentis virtute, solvit aut ligat omnia: Spiritus enim ejus inhæret omnibus.

SECTIO XVII.

EXperientia quidem quotidiana sensuali testimonio docet, quod ex commistione specierum duarum seminis, novum quoddam nascatur individuum, neutri ex commistis simile; Qualis est generatio muli, ex equi & asini iniquâ commistione nati; Sed transplantatio hordei in carduos, vel tritici in zizania, vel Aquæ in lapidem concretio, sic non fit, ideò Creatori exosa non est, nec monstrosa; uti generatio muli vel leopardi; Nam hanc fieri expreßè prohibuit Creator. Ideò redit zizania in pristinum ordinem ocyus vel tardius; vel ex carduis provenit hordeum, videlicet ex illis, qui aliquando hordeum fuerunt; Sed mulus nunquam generat mulum, aut equum, aut asinum: Sed quia monstrosus, & bis maledictus fuit ortus ejus, ideò per integram

gram vitam manet ſterilitate maledictus, & maledictione ſtigmatizatus. Ideò alia eſt transplantatio ſeminum, quæ fit à petulanti humani animi concupiſcentia; & alia, quæ ordinationem Creatoris ſequitur: Hæc ſemper bona eſt, etiam plagâ afficiens mortales; illa ſemper mala, quamvis aliquandiu utilis vel jucunda appareat ſuis authoribus. Occludit interdum Jehova matrices ſeminum, ita ut ſemina nullos omninò producant fructus, vel morboſos pro ſalutaribus; attamen ſolvit interdum, quæ aliquandiu ligata fuerunt; & benedicit poſt, quæ prius maledictionis jugo preſſa erant; ſed mulus nunquam liberatur à maledictione; Non ſemper ſterileſcunt ſemina in matricibus ſuis, ſed interdum ubertim germinant; germina autem recentia à frigiditate, humiditate, æſtu vel ſiccitate corrumpuntur; alia mures depaſcunt, vel inſecta; interdum jam maturitati proxima, imò & meſſi; à beſtiis majoribus leporibus, urſis, cervis conſumuntur; interdum per ventos, procellas, grandines, incendia, tum in agris, tum in horreis corrumpuntur; Imò ſæpe homines hominibus plus damni & noxæ inferunt, quam aliæ cauſæ etiam violentiſſimæ; Nam ſicuti creaturis omnibus, & hominibus ipſis utitur Judex juſtiſſimus in vindictam contra impios, etiam mox eodem modo ruituris quo modo aliis infeſti fuerant prius. Omnia ſua decreta quidem exequitur Dominus ſub prætextu ſenſibilium cauſarum, & tamen nihil hæ agunt vel agere poſſunt, alicubi vel aliquando, niſi conſentiente imò nihil niſi jubente & urgente Domino. Si Cœlum influit ebriis ebrietatis incommoda, quis quæſo ebriis influit ad ebrietatem deſideria? ſi idem cœlum? quare non cœlo ſed nobis minatur Dominus pœnas, ſi nos influxus cœleſtes declinare nequeamus, quos, ſi qui ſunt, ille ordinavit non nos; injuſtè nos luimus, quod nobis influit cœlum; vel ſi nos juſta patimur, tum cœlo imputare nequimus, quod nos ſponte nobis attrahimus. Impreſſit Dominus peculiares vires & cœlo & nobis, noſtrasque non ſubordinavit cœlo, ſed cœleſtes

 nobis;

nobis; Nos Imperatores astrorum constituit, non autem astra hominum. Omnes sensibiles Creaturæ ab insensibilibus moventur principiis; sensibilia sensibilibus subordinantur, sed non Insensibilia. Hæc solum modò à fatis moventur, nullæ externæ parent necessitati: Aqua saliens nullo frigore compescitur, vel ne saliat, impediri potest. Sed marina levi frigore concrescit; & palustris; quamvis hæc ejusdem sit speciei & figuræ: Quare autem in illam non æque potens est frigus, ac in hanc? Marinam aquam, vel fluvialem, attollit Sol æstu suo, vel exhaurit ex alveo; quare autem æstus ejus exhaurire nequit fontes, vel rivulos aquarum salientium; qui tamen sunt valde exigui? par est quoque ratio Astralis influentiæ; nam in quo homine deest spiritus sapiens; illi nullam influent sapientiam astra; in quo autem adest; nullam suffurare poterunt suis sinistris aspectibus; Mutatio hordeacei sementis, vel alterius frugi seminis in zizania, urticas, carduos; degeneratio dicitur; sed zizaniorum, vel carduorum in hordeum vel triticum transitus; Honoratiori titulo insignitur; Imo quoque hominis primi lapsus, degeneratio fuit; sed mutatio mentis ex animali in Divinam, ex carnali in spiritualem, resurrectio est, vel primus resurrectionis gradus; Sicuti autem lapsum in homine astra non necessitarunt; ita nec aliqua astralis influentia eum ex animali in spiritualem mutare potis est conditionem. Vegetabilia, eorumque fructus usibus humanis subtracti, & bestiis traditi; revera degenerant à legibus benedictionis Divinæ; sed ex abundantia ciborum humanorum decidivæ micæ, ordinationis Divinæ pulcræ & bonæ, sunt certissima indicia. Non amittit vel amisit Homo, animalis factus ex spirituali vel nomen, vel formam externam; sed saltem commercium hominis cum Deo cessavit, ob hiatum quem constituit animalis concupiscentia, inter Deum & hominem; Relinque autem, ô homo, animales concupiscentias, vel eis imperare & dominari disce, tali voluntatis promptitudine, uti prius obediebas & ser-
vie-

viebas, & recuperabis, quo aliquandiu destitutus fuisti; Non te poterunt astra divellere à Deo, nisi spontanea tua voluptas & voluntas te ab eo diviserit.

SECTIO XVIII.

IRa est furor vel fervor brevis salis intrinseci; Misera voluptas, & lux oculos excæcans; subitò oriens, subitò quoque evanescens, in locum è quo surrexit relapsa. Sed Amoris est alia ratio; quamvis sal in hoc affectu non minus ferveat quàm in illo, amœniori voluptate, & suaviori cæcitate. Salis naturam exprimit utrumque, & ignem suo æstu æmulatur tàm Amor, quàm Ira; Humanumque animum vel deprimit vel elevat, uterque; prout variaverint utriusque objecta. Nam si ira ferveat contra voluptatem, consumit eam æstus ejus; si amor in virtutem elevat eam; Ira mox relinquit liberum animum quam inflammavit: Amor alligat eum fortius rei adamatæ; Et sicut æstus Iræ magnum constituit hiatum inter duo; Ita amor omnem abolet etiam maximum, quæ duo separavit ab invicem; ita ut duo amplius esse nolint, sed unum semper esse velint; ob hanc proprietatem Salis Amicitiæ, habetur sal pro symbolo concordiæ. Nihil est communicabile præter Sal; Sal est fertilissimum mundi hujus principium; Nam non solum varia & innumerabilia producit individua, ex radice speciei unius; Sed & varias species ex uno individuo semine. Deus creavit in principio cetos maximos, non autem tot quot jam in rerum natura sunt piscium species; sed harum plures ex una propullularunt: Uti quotidiana experientia docet & nunc adhuc fieri idem. Nam anguillæ non generantur ex anguillis, sed aliud genus piscium eas suo spermate excludit. Carpiones autem sunt passim omnibus noti pisces, sed sunt ex numero cetorum; Nam ex ipsis, vel ipsorum spermate proveniunt variæ piscium species, non soli carpiones, quæ æ-

quę quidem fertiles sunt uti carpiones quoad numerum, sed non quoad speciem. De hac materia videatur meditatio de Piscibus; Philosophiæ Sacræ Tom. 1. lib. 1. Ita ex sale in corporibus humanis fœtificante, non una species saltem nascitur affectuum salinorum sed mille; & pro diversitate individuorum, & membrorum unius individui, variè discrepantes; Ita ut uno remedio, huic vel illi sali opposito, plures & mitigari, & aboleri possint morbi; uti in Capite de morborum curatione latius demonstrabimus. Ita ut multitudo medicamentorum in Pharmacopoliis prostantium non sit requisita ob necessitatem, sed concupiscentiarum humanarum millefariam insatiabilitatem; Non desunt regioni necessaria; sed curiositas erronearum cupiditatum, persuasionum, opinionum, nos pellit ad peregrinos orbes, petitum exotica; quamvis domi necessariis abundemus: Natura animalis, unius cibi vel potus genere contenta est; Sed humani animi lasciviæ, nec plura, nec multa domi nascentia sufficiunt; Salis enim natura ignem æmulatur, nam quò plura ei subministrantur, tantò plura poscit.

SECTIO XIX.

Metalla, Mineralia aliaque corpora terrestria fructus sunt salis; Ita quoque & fontes vel scaturigines aquarum; Inde quoque surgunt fulgura, tonitrua, fulmina, procellæ, grandines, nives, chasmata, pluviæ, imbres, rores, nebulæ, nubes, venti, eorumque strepitus & sibili; Maris reciprocationes & scintillationes; Catharidum, lignorum putridorum, & pilorum oculorumque de nocte splendor. Marinæ aquæ fluvialibus sunt graviores, & ferendis oneribus aptiores, ob majorem ipsis insitam salsedinem; Nam aquæ omnes fontium & fluviorum in Mare prolapsæ festinant redire in formam quam habebant. Citius quam fluxilem acquisivissent corporeitatem; sive iterum saxa fieri.

DO

De hac materia videatur Caput de Fontibus Tom. 1. Lib. 1. Philosophiæ Sacræ. Nihil ad tales mutationes conferunt vel influunt astra de eorum proprio; Antequam astra in Expanso effulsissent exstiterunt aquæ, maria, fontes, metalla & mineralia, imò & vegetabilium species cum suis fructibus; Sol, luna, & reliqua sydera cœli sensibilis sensibilia, suo indesinente fluxu, emetiuntur motus inferiorum, ita ut ex illorum indiciis visibilibus, terrestrium variæ motuum species, exordia, processus, accrescentiæ, decrescentiæ, quietes, in profundis terræ vel aeris concavitatibus, & aquarum abyssis, animalibus & hominibus innotescant. Qualis autem est differentia inter numerum numerantem & numerabilem aut numeratum, talis est quoque differentia inter aquas superiores & inferiores. Ideo astra cœlestia dicuntur in scriptura Mene, sive numeri, ad numerationem inferiorum motuum commodiorem destinati; Sed de hac quoque materia alibi prolixius. Sed salia in terræ & aquæ profunditatibus, aerisque concavo, suas & antiquant & renovant indesinentes generationes, jam has jam alias formas, multiplicantes, aut contrahentes. Oculus quidem non satiatur visu; nec auris auditu, nec animus humanus desideriis; Et tamen nihil fit novi aliquando sub sole; sed id quod præsens est simile est futuro, hocque & illud præterito. Jam lapis fit, jam aqua, jam aer, jam ventus, jam pluvia, jam arbor, jam gramen, jam flos, jam fructus, jam vermis, jam piscis, jam avis, jam brutum, jam homo, quod prius non nisi limus fuit vel terra; Ex uno principio & centro fluunt, ad idemque refluunt omnia, ascendentia descendentia, orientia occidentia, homogenea & heterogenea. In ascensu & descensu, quiete & motu, mutat sal & nomen & formam, sed non naturam. A centralibus corporeitatibus terræ, gravibus, solidis, caliginosis, homogeneis inchoant motum, sensimque in motu & nomina & formas induunt novas; Sed in humano corpore, inter sensibilia maximè heterogeneo, terminant fluxus sui motum omnia; & fieri incipiunt

piunt illic sensim quod fuerunt prius, extra vagantia; Primùm quidem imaginativè solum, sine ullo sensu passionis sensuum; Postmodum de die in diem sensibus communicatur quoque, quod prius non nisi imaginibus animum exercebat intus. Hinc angustiæ spiritus, metus, curæ, gaudia, virtutes, cognitionum, concupiscentiarum diversitates; dolores, cruciatus, augmenta, decrementa membrorum; aliæque & animi & corporis passiones; non autem ex influentiis astralibus ad nos derivantur. Est quidem influentia cœlestis, causa omnium in mundo sensibili fientium mutationum; sed non astralis; non ea quam crediderunt, vel docuerunt gentiles; sed multò subtilior, occultior, excellentior; De qua loquemur suo loco.

SECTIO XX.

HOmo, in præsentis sui status conditione consideratus, est speculum universale & Creatoris & creaturarum, sensibilium & insensibilium, cœlestium & terrestrium essentiarum, virtutum, cognitionum, concupiscentiarum. In homine solo, tanquam in theatro & compendio totius universi, sive quisque hominum in se ipso, deprehendet rerum cœlestium & terrestrium, superiorum & inferiorum, divinarum & infernalium simulacra; si quis saltem se probè examinare, suaque à peregrinis, ipsi tamen inhærentibus, dijudicare sciverit, aut voluerit. Odisse nos ipsos docet & jubet Christus Doctor noster: Non tamen nos ipsos propriè, sed id saltem in nobis quod peregrinum est, sed quod nos pari amore quo nos ipsos amaverimus, donec id à nobis discernere nescivissemus; Ea verò quæ nostra sunt, summo studio nobis custodienda recommendantur; nam reposcet ea à quolibet nostrum Judex justissimus in die novissimo; Recompensaturus integritatem & sedulitatem nostram præsentis vitæ, laudibus, honoribus, & divitiis immensis; sed in temerarios, adulatores, hypocri-

pocritas, nequam, & mendaces, extremis maledictionibus, infamiis & cruciatibus gehennæ indesinentibus animadverfurus. In nobis jam exorditur judicium suum Dominus, sed adhuc in occulto; quod in æternum est continuaturus in conspectu omnium Angelorum & Sanctorum ab hinc. Ideò omnes illi, qui non nisi extra se, præstolantur signa, finem mundo huic, Dominique adventus vel Revelationis diem incolis terræ prænuntiantia, aliosque observare docent; illi suis erroneis opinionibus & se ipsos fallunt & alios; Intus enim in nobis fiunt, vel fieri incipiunt omnia, quæ extra nos futura vel speramus, vel metuimus. Destructo enim hoc terrestri tabernaculo commorationis nostræ præsentis, abolebitur omnis nostra cum mundanis & caducis rebus communicatio; Et quamvis facies mundi præsentis servabit formam quam habet, nos à corpore hoc animali, vel per id à communione mundi corruptibilis, divulsis; Erit tamen facies rerum hic relictarum, quoad nos in æternis tabernaculis viventes quasi non esset; Et sicuti modo, spirituales essentiæ à mensuris sensuum nostrorum sunt incomprehensibiles; Quamvis revera sint nobis præsentes; ac ea quæ videmus, palpamus hisceque mensuris metimur; Ita quoque facies rerum mundi præsentis caligine æternà obvolvetur ab hinc; Beati erunt illi illic, qui rerum præsentium pertæsi hic, futura desiderabant; Miseri autem futuri ab hinc quos amor præteritorum captivos tenebit illic; Non poterunt enim aliquando satiare desideria antiquorum, his semel abolitis.



V CA-

CAPUT IV.

De Obsessis à Dæmoniis, vel Spiritibus Impuris.

SECTIO I.

ARduum & difficile admodum est, rem non quidem novam, sed antiquis opinionibus diutius involutam, si nempe incalluerint in animis hominum, à communi opinione, etiam si sit dubia vel omninò erronea, ad verum & antiquum sensum reducere; ita ut aliter de ea credatur & doceatur quàm creditum vel doctum fuit prius. Quod morbi sint; & quod sint valde graves, periculosi & noxii hic viventibus; neminem latuit hucusque; Quid verò morbi sint; quæ eorum semina, matrices, causæ: Aliter senserunt de hac re antiqui & Judæi & Christiani, quàm nos hodie in scholis nostris discimus & docemus. A gentili in hoc cognitionis genere magis dependentes quàm Judaica Sapientia, vel Legali; Omnes ægri, non saltem chronicis, acutis, mentalibus, sed & continuis, diuturnis, intervallaribus, vel corporeis plagis afflicti, obsessi dicebantur apud Judæos, in exordio Christianismi; obsessi quidem, sed à spiritibus morbosis, immundis, vel dæmoniis, quæ & vincula Satanæ, vel virtutes inimici appellabantur. Inter obsessos muti quoque & surdi numerabantur. Nihilque intererat apud Judæos, aliquos vel defectus vel plagas, morbos nominare, vel dæmonia: Et patientes, vel ægros vel obsessos. Postquam autem Gentiles suâ sapientiâ integrum perturbarunt orbem, atque à primis sed sensibilibus qualitatibus omnes sublunarium effectuum causas derivari docuerunt; cessavit quoque nomen obsessionis, catholicum esse; Sed per id certum quoddam plagæ genus definiebatur, quod à primis qualitatibus deducere vel valde durum, vel omninò impossibile judicarunt, antiqui gentilium Sapien-

pientes. Hicque mos, vel error potius, inter nos Christianos quoque invaluit, ita ut mutos, surdos, cæcos, aliosque plagâ sensibili affectos, non amplius inter obsessos recenseamus; Nomen enim obsessionis durius sonat in auribus nostris, quam nomen morbi vel infirmitatis; cum tamen res una & eadem sit; uti ex sequentibus liquebit. Hinc factum quod morbi multi, à naturalibus quidem causis, sed profundioribus quàm quæ qualitatum vel accidentium titulis insigniri possint, fluentes; à scholis Medicis ad Theologicas, illorum maximo dedecore, sint relegati; quasi Theologi plus possint suis exorcismis, vel verbis sanctitatem singularem præ se ferentibus, contra eos proficere, quàm Philosophi & Medici ex professo, suis consiliis vel medicamentis. Scripturâ ipsâ attestante certum genus dæmoniorum oratione non nisi, & jejunio expiari ex hominibus oportere: Et quamvis aliud quid locus hic scripturæ intendat; tamen eo deventum est, Medicorum desidia; ut profundiora scrutari, vel tractare nemini liceat quàm Theologis; Et nisi seduliores fuerimus nos quam prædecessores nostri; Actum erit de omni Medicæ Artis honore & Authoritate; Sed Theologis de febribus judicandi, de pulsibus, de urinis, de alvo obstructa, vel urina suppressa, aliisque merè naturalibus causis, earumque effectis solis licebit; & de singulis pronuntiare quicquid libuerit. Constituit quidem Dominus Sacerdotes quoque in judices lepræ, & leprosorum; Inter populum Judaicum; Ita & Christus Dominus, ejusque Apostoli multos sanarunt morbos, ejecerunt dæmonia, resuscitarunt mortuos; patrarunt miracula; Sed in alio & multò sublimiori sensu quàm hodierni suos volunt à dæmoniis obsessos liberare exorcistæ. Prærogativæ hujus inter illos & hos differentiam, alibi singulatim demonstrabimus; Hic saltem omnes obsessos, communiter sic dictos, sub titulo ægrorum ad scholas medicas à Theologorum censuris retrahemus: vel retrahere studebimus; Quicunque inter Theologos adversum spirituales im-

probitates, ex requisito officii eorum & tituli, militant; nempe adversum avaros, superbos, astutos, fallaces, invidos, impuros, adulteros dæmones, vel eorum stimulos & sagittas, carnales concupiscentias, nostro proposito non movebuntur; quasi aliquid in despectum eorum intentaremus; allevabimus enim saltem eos oneribus multis, nostro studio; illique aptiores fient ad oppugnandum occultas satanæ machinationes, à manifestarum molestia Medicorum industriâ relaxati. Non ego affecto titulos Theologicos vel officia, obsessos à spiritibus immundis ad scholas medicas retrahendo; sed saltem demonstrabo quod magnâ injuriâ afficiebantur hucusque Theologi, avocati à suis sacris mysteriis, ad liberandum ægros ab obsessione accersiti; ad quod opus, non illi, sed Medici, à dispensatore donorum omnium Spiritu destinati sunt. Qui avarum, vel superbum dæmonium ex se abegerit; ille certè plus effecit, quàm qui à muto, surdo vel Epileptico liberavit proximum suum. Fortior est ille qui gigantem prostraverit, quam qui pygmeum; Qui verò coram pygmæo pudefit? quomodo cum gigante manus conserere ausit, sub aliquâ spe victoriæ. Nullo felici omine aggredietur dæmonium legionarium; qui monastico terga obvertit tremulus.

SECTIO II.

Omnis Spiritus terrestris abyssi, etiam astutissimus, sagacissimus, potentissimus inter omnes, Spiritus nempe Lucifer, inter infinitos solus Magnus & Princeps, humano fuit à Creatore in principio dierum subjectus dominio: Atque rebus sic omnib⁹ in scena theatri mundi hujus sensibili, dispositis, omnia fuerunt, sunt, & erunt valde bona. Nam imperantibus & dominantibus legitimis dominiis vel imperiis; & servientibus ad servitia æterna destinatis mancipiis, nulla potest esse confusio, nullus dolor, angustia, vel afflictio inter creaturas. Sed quando, ubi,

ubi, & quoties, servi adfectant magistratum, vel Magistratus connivet servis ad illicita; illic, tunc, & toties confunduntur ordines rerum; tum metus, pudor, dolor, gemitus, temeritates, audaciæ, injuriæ crescunt & durant & multiplicantur, donec omnia iterum suis restituantur ordinibus æquis & bonis. Tantò turpiorque est vel miserior status domini, quo altius elevarit servum super se; & tantò major temeritas vel crudelitas servi, quantò profundius subegerit sibi Dominum; Quoque plures fuerint servi insidiantes, aut imperantes Domino uni; tantò status ejus est & periculosior & miserior. Spiritus animales serpentini, vulpini, leonini, ursini; omnesque naturales, vegetabiles, metallici, minerales, meteorici, ignei, aquatici, terrestres; sunt valde boni in ordinibus suis delitescentes, & legitimo suo Magistratui, nempe humano spiritui obsequentes. Spiritus autem humanus suo imperio & dominio super omnes Majestatem Divinam repræsentans, nulli subjectus ex omnibus; Revera Dei est in hoc mundo vicarius, ab omni metu & pudore liber. Atque talis fuit humanæ conditionis status ab exordio; In tali eminentia, & super omnes spiritus mundanos prærogativa vivere debuit & potuit homo, nisi eam dignitatis prærogativam sibi dolo à serpente eripi passus fuisset, altiorem affectans quàm habuit beatitudinem. Quod dum factum, unicus vermis serpens, astutiâ suâ hominem crudelissimis subjugavit hujus mundi imperiis & dominiis. Imperant jam & dominantur nobis, vel dominari posse affectant & insidiantur, omnes & singuli spiritus mundi hujus; pauci quidem per apertam vim, sed plurimi per dolosas & fallaces concupiscentias, artes, vel virtutes voluptuosas. Immundi facti sunt spiritus per nostrum spontaneum ipsis præstitum obsequium; Inquinant nos jam singuli suo super nos vigente vel imperio vel dominio. Nec contenti sunt nostrâ præsenti in quam prolapsi sumus, miseriâ, sed indesinenter nos tentant & student protrudere in profundiorem miseriam, & servitutem interminabilem.

lem. Dum lapides sanguinem sudant, prodigiosum id ostentum appellamus, quia signaturæ familiæ superioris in inferiori contra ordinem consuetum emergunt. Extraordinarium quoq; est, lapides in homine nasci; Quando autem id fit; tum tale factum nec miraculum dicitur, nec prodigium, sed morbus. Spiritus enim ordinis superioris, in inferioribus scenis activi, miraculorum audiores sunt; sed inferiores in superioribus morborum. Asina loquuta sermone humano; inter miracula recensetur. Sed spiritus asininus in homine rudens, impurus est; spiritus infirmitatis dictus: quia hominem deprimit. Morbos post lapsum hominis, per omnes omnium Creaturarum species grassari, ordinarium est; Miracula autem & in hominibus & alibi valde rara sunt; Quia Deus est Deus ordinis; & quæ semel sancivit, raro mutat; quamvis hominibus recuperationem amissæ libertatis affectantibus nunquam auxilio suo desit. Et sub jugo inferiorũ relicti homines, nec videre possunt spiritus eis proximos, nec agnoscere eos quod sint qui sunt, etiamsi visibili specie eis occurrant. Quamdiu spiritus superiores tuti sunt ab imperio, dominio, vel insultu spirituum inferiorum; sunt liberi à metu omnibusque periculis; Quando verò spiritus inferiores, pro libitu tumultuantur in scenis superioribus, tum nihil hic auditur præter gemitus; Ideo homo eousque miser est, quousque peccatum in eo vivit; sive servilis, id est animalis vel carnalis concupiscẽtia super ipsum in ipso aut imperat aut dominatur. Hâc autem labefactatâ; tum qui inter mortuos mortuus recensebatur prius; post, vivus inter vivos numeratur: Divinæ consors Naturæ.

SECTIO III.

IMpetus Spiritus superioris factus in inferiorem; vel raptus dicitur, vel invasio; Uterque autem elevat hominem in quem fit, vel ejus voluntatem, desideria, cognitiones, molimina, virtutes, opera, supra aliorum hominum, in animali ordine relictorum.

mensuras. Sed raptus, major est & vehementior efficacia, quàm solius invasionis; uti demonstrabimus in Clave Prophetica. Raptus, Prophetas efficit & videntes, sive futurorum præscios & præcones: Contrarius Raptui impetus, Scotoma dicitur; de quo in Philosophia sacra Tom. 1. lib. 1. Capite de Scotomate. Impetus autem Spiritus inferioris infernè in hominem fiens, non dicitur raptus nec invasio; sed irruptio, & ingressus, vel obsessio & obfascinatio; de quibus omnibus & singulis alibi. Homo per uni Spiritui servili, contra jus & æquum, vel ordinationem Spirituum Monarchæ præstitam obedientiam, omnibus se prostituit; ita ut nullus spiritus in profunditatibus abyssi terrestris sit, qui super hominem non exerceat, vel exercere non affectet imperium vel dominium, ipso vel ignaro, vel consentiente, vel invito; atque talis tyrannis durat, quousque homo in corpore hoc animali commoratur, semper enim & ubique cohabitantem sibi habet spiritum dictatorem & doctorem legum vel concupiscentiarum carnalium, Deo exosarum. Quia autem per fœminam primum, astuti moliminis sui contra hominem, assequuti sunt felicem successum; ideò ab eo tempore & fœminas adoriuntur plurimum, & eis ad decipiendum viros frequentius, quàm his ad decipiendum fœminas, abutuntur. Nam nullum ex obsessis videbis, qui non sit libidinosissimus: Ita ut sæpe nullum sit remedium efficacius ad mitigandum symptomata obsessorum, quàm libidinis per Veneris exercitium largius concessum satiatio, ad animi usque defectionem; Utrumque homini christiano turpe; Ideò & plures fœminas reperies inter obsessos, communiter sic dictos, & vehementius eas affici tempore paroxysmi, quàm viros. Nam dæmonium Monasticum est perniciosius in fœmina, quam & Legionarium in virili corpore. Fœminæ enim fortius amant, dum amant, quàm viri; sed quia minus commoditatis vel licentiæ ad satiandum amoris desideria habent, ideò magis à libidine vel sale sæviente affliguntur, & durius quàm viri; Igitur si obsessos libe-

liberare vis ab obsessione, consule matrimonium accelerari; nam si differatur longius; certè majus erit moræ de die in dies periculum: Tali remedio multos ægros & ægras integræ valetudini restituimus; Et convaluisse, si acutius perpenderis historias de obsessis audiens, experieris. Libidinis æstus in furorem ciet omnes ferè bestias, ita ut cœcæ, surdæque fiant tempore ejus ebullitionis; Idem quoque contingit in hominibus; ita ut nullas occasiones vel commoditates negligant satiandæ libidinis, quæcunque occurrerint etiam turpissimas; Quam noxii sint amores amantibus, si arceantur à comercio rei adamatæ, mille loquuntur historiæ. Quia autem omnes & singuli amatores sumus; si non omnes rerum earundem, vel fœminarum; tamen vel honorum, vel opum, vel voluptatum, vel ad voluptates conducentium commoditatum; ideò in omnibus nobis latent dæmonia, rationem nostram labefactantia, & nos deorsum trahentia, & terræ alligantia; Non omnes tamen scimus, vel scire sive credere volumus, nos à dæmoniis ad amores nostros duci, trahi, cogi; Imò nec alios, quos res mundanas deperire videmus, odiosum enim est apud nos nomen dæmonii: Quamvis omnes concupiscentias carnales, quæ nobis per sensus insidiantur, sine discrimine, Divina Sapientia in schola sua nominet, & nos nominare doceat, fugereque jubeat, ut sagittas Satanæ, vel inimicitias & Deo & nobis infestas. Furentes nesciunt se furire, nec deliri delirare; & tamen sciunt id de ipsis eorum vicini, sermocinationum & gestuum eorum spectatores. Et quia nesciunt se ipsos tales ægri, ideò obsessi dicuntur; cum nihil habeant liberi, nec sensum nec voluntatem; membris eorum ad suos libitus abutente spiritu advena, & ejusdem corporis cum ipsis incola. Qui autem liberos sensus habent, ita ut de externis judicare possint, quamvis uti ad omnia pro arbitrio nequeant; illi, ægri simpliciter dicuntur, quamvis & horum membra à peregrinis vel inferioribus virtutibus obsideantur. Sed nos inter obsessos numerabimus non saltem

saltem omnes epilepticos, apoplecticos, phreneticos, maniacos, claudos, mutos, surdos, febricitantes, leprosos, podagricos; Sed & avaros, superbos, lascivos, libidinosos, timidos, audaces, temerarios, imò singulos animales & carnales homines, benè vel malè habentes, quoad externam eorum vitæ speciem, sicuti Petrum vel Paulum, per ignorantiam, ità & Judam & Cainum spontaneè legibus peccati obsecundantes. Non sunt omnia dæmonia muta, surda, cæca, clauda; non omnia astuta, mendacia, stupida, stulta; sed sunt & alia eloquentia, clamosa, præsaga futurorum, videntia absentium, veracia, cauta & prudentia; Nam nihil est in nobis, quod vel supernè vel infernè in nos non derivetur: Sicuti omnia bona à Deo, ita omnia mala vel carnalia in nos à naturalibus dæmoniis vel Spiritibus immundis derivantur. Non quidem pari impetu vel mensura in omnes & singulos singula; attamen non aliunde; Ex nobis enim ipsis nihil scimus, nihil possumus: sed quæ habemus, ea vel Deo vel Naturæ debemus. Cuilibet virtuti peculiare se opponit vitium; sic quoque quodlibet dæmonium per singulare mitigatur, ligatur & expellitur remedium. Alia avaris obsunt, alia superbis; alia furacibus, alia mendacibus animis; sic alia clamosis, alia mutis, alia fortibus, alia infirmis spiritibus, corpora humana obsidentibus & diversimodè afficientibus. Omnes obsessi sumus vel ab innato nobis, vel per extrinsecam consuetudinem attracto dæmonio; ita ut Paulus non ineptè loquatur, inquiens, quod Sanctis hic pugna sit instituenda nō propriè cum carne & sanguine, sed spiritualibus improbitatibus, mundique hujus principibus.

SECTIO IV.

MAgna est diversitas affectuum & paroxysmorum eorum ægrorum, qui communiter hodiè obsessi dicuntur, per quæ sensus & judicium interturbatur obsessorū; Interdum aliqui non

morbi vel infirmitatis, sed insignis & singularis virtutis vel valetudinis specimen, imò & sanctimoniæ præ se ferunt. Sed nos hic omnes sub nomine Epilepsiæ complectemur; ut illi, qui obsessis mederi volunt, facilius finem suum assequi, & obsessos à violentia eos obsidentium spirituum liberare sciant. Non recensetur quidem Epilepsia à Medicis modernis inter obsessionis species; sed inter morbos à certis causis sensibilibus proficiscentes; sicuti alvi obstructio, vel urinæ suppressio. Verùm quia Scriptura sacra & mitiores affectus, vel morbos quàm Epileptici sunt dæmoniis imputat, ideò nos omnes Epilepsiæ species, & ei affines affectus sub uno nomine Epilepsiæ complectemur; ut qui unum mitigare didicerit, vel abolere, omnes possit. Una enim est omnium causa; una omnes ligandi, & profligandi ex ægris corporibus methodus; sed media saltem in singulis variant: Hic non nisi methodum docebimus; in sequentibus capitibus & remedia, tum vinciendis tum abigendis ex corpore dæmoniis apta, enarrabimus: & singulorum peculiarem adhibitionis modum demonstrabimus. Nam sicuti dæmonia variant in suis ordinibus, concupiscentiis, doctrinis, virtutibus; sic quoque variant & affectus in corporibus obsessorum; & variare debent media, illis ligandis, vinciendis, & è corporibus abigendis, accommodata. Varia sunt nomina affectuum Epilepticorum, tum apud Authores antiquos, tum recentiores; Sed Hebræorum Rabbini, ipsis quoque illorum sententiæ consentientibus Evangelistis, omnium authores dicunt esse Dæmonia: vel spiritus impuros. Hoc primum ut scias velim Lector amice de Affectibus his; nempe quod nulli ab astris, aut eorum influentia, multò minus aliqui cœlitus in homines delabantur; sed omnes infernè scaturiunt, & ex spiritibus scenarum vegetabilium, animalium, mineralium & metallicarum in nos derivantur; non quidem per vim aliquam inde elevati, sed nostræ concupiscentiæ lascivientis virtute, sub jucundæ alicujus voluptatis specie à nobis ipsis in rem publi-

ſblicam virtutum ſeminalium corporis hujus alliciuntur; Vel in nobis quieſcentes aliquandiu, exſcitantur, à ſuis vinculis ſolvuntur, & ex inſenſibilibus ſenſibiles fiunt, vel ſenſibilia in nobis & per nos operantur, nobis aut inſciis, aut invitis. Et quàmvis à fatis ſæpe id fiat; ſæpe etiam motum vel ductum imaginationis noſtræ ſequuntur, ita ut hâc exaltatâ & ipſi turbentur; & ſedatâ; ad quietis ſuæ ſedem revertantur. Externæ cauſæ non producunt morbos, ſed eos ſaltem in nobis latentes in apricum trahunt; ſicuti ſol ſuo fotu nihil germinare facit de terra, quod illic ſeminatum non fuit; Quod à cauſis externis, lapſu, ictu, terriculamentis, philtris, veneficiis, aliiſque his ſimilibus occaſionibus homines in ſymptomata devolvantur periculoſiſſima, animi deliquia, lipothymias, convulſiones vel ſuffocentur, ſtrangulentur, & ſubitò exanimentur; de eo nullum eſt dubium. Sed de talibus effectis, à manifeſtis cauſis per manifeſta media contingentibus; hic non philoſophabimur; ſed ſaltem in cauſas inquiremus occultas ſenſibilium effectuum; Quis nempe ille ſit tyrannus intus in nobis, qui nos ad inſtar externorum, ſubitò proſternat, viſu, auditu, motu, imò ſæpè & vita omninò ſpoliet; ita ut nec ipſi patientes ſciant unde, vel quomodo in caſus adeò periculoſos præcipitentur; ideoque eos declinare nequeunt.

SECTIO V.

SI ſoli adulti ab epilepticis affectibus infeſtarentur; authores eorum facilius inveniri poſſent; Ita quoque ſi ſolæ fœminæ, vel ſoli viri, vel ſoli infantes, imo ſi tantum ſoli homines de hujuſmodi paſſionibus conquererentur; ſed quia videmus utrumque ſexum & virilem & fœmineum; omnemq; ætatem, imò & beſtias quoque, volucres & pecudes, indifferenter in furorem agi, convelli, proſterni, & in momento exanimari: ideò attoniti reddimur, vel dubii vel neſcii unde, à quibus locis vel cauſis, vel

per qualia media aut instrumenta, plurimis creaturarum specie-bus, vel specierum individuis tam perniciosæ & periculosæ infligantur plagæ: Et quod si simul & semel terminarentur omnes in singulis individuis; facilioris scrutinii res esset; sed quotidiana experientia demonstrat, paucos quidem à talibus insultibus subito exanimari; sed plures vel diutius torqueri; vel illæsos ad consueta officia redire; nec semel tantum sed sæpè & statis quasi temporibus mala reverti; & quo se recipiant malorum causæ, derelictis vel solutis à passione ægris omninò dubitamus vel ignoramus; alii de materia illa potius hariolamur, quàm philosophamur: Præsertim dum videamus multos à se ipsis ad se reverti; alios externis suffumigiis ab insultibus liberari; alios his, alios aliis remediis restitui; alios simpliciter prostratos jacere, excæcari, surdos, mutosque fieri; alios membris jactari, convelli, clamare, balare, grunnire, loqui rationabilia, absentia enarrare; futura prædicere; Fortiores in ipso paroxysmo esse, quam ante, vel post; Aliquos ignaros omnium manere quæ fiunt; alios de vehementibus conqueri doloribus ad se reversos. Atque tam multiplices symptomatum epilepticorum differentiæ, faciunt nos animo pendulos, ita ut nesciamus, an vaporibus, an humoribus, an elementalibus qualitatibus, an astralibus influentiis, an naturalibus aut supernaturalibus causis imputare tales horribiles effectus debeamus: Occultæ qualitates nostræ ignorantiæ sunt tutissima effugia; Vel si nec hæ sufficiunt, tum ad dæmonia conclamatur; tum à Medicis ad Theologos, ad Exorcistas, ad Veneficos, ad sagas relegantur ægri; cum maximo Medicorum dedecore. Nam quæ purgantibus, clysteribus, phlebotomia, cucurbitulis, emplastris, corroborantibus, balneis, æstuariis, secundum communem artis methodum abigi nequeunt; illa ex sententia Præceptorum nostrorum, per superstitiosas incantationes, hypocriticas orationes, certorum canticorum vel precum superficiarias repetitiones, sanctorum vel crucis imagines, mortuorum reli-

reliquias; impias ceremonias, & blasphemas in Deum imposturas subigantur necesse est. Dum à gentibus talia patrantur, excusari nequeunt, apud sanæ rationis compotes; Quantò turpius nos igitur prostituimus Christiani; à Deo nobis præscriptis mediis & remediis ad tam sacrilegos, vanos & abominabiles abusus confugientes.

SECTIO VI.

INter plurima Dæmonia humanæ speciei infensissima, unum quoque est quod in summis silentiis periculosissimè vexat & perimit multos; Illud dicitur in scriptura Asmodæus. Hoc genus dæmonii plurimas obsidet utriusque sexus personas; Paucissimis cognitum inter Philosophos & Medicos, etiam ob excellentiam sapientiæ celeberrimos. Nullum ego hucusque vidi, vel alicubi exstare audivi authorem, qui hujus Dæmonii naturam ex verò depinxisset, imò qui inter authores morborum recensuisset; quamvis multi de obsessis à dæmonibus scripsissent aliqua. Hoc genus dæmonii, obsesso innoxium est, imo eum & vegetum ad omnia externa officia reddit, & strenuum in castris venereis duellatorem; ideo fœminis lascivioribus valde amicum; Vel viris libidinosioribus faciles ad congressus fœminas. Sed quicunque homo tali obsesso se per carnalem copulam commiscuerit; ille in periculum morbi diuturni, vel mortis præcipitatur; quamvis patiens ignoret se sic læsum; nec qui læsit se læsisse socium. In libro Tobiæ narratur Saram Raguelis filiam à tali dæmonio obsessam fuisse, ideoque septem maritos in primo congressu peremisse; Sed si quis regerat librum hunc esse Apocryphum; nonque res vere gestas, sed commenta saltem sapientis alicujus complecti, per ejus contenta ad opera misericordiæ exhortantis lectores; Nihil hæc moror; Nam tantum apud me valet authoritas librorum Hagiographorum, ac Galeni vel

vel Hyppocratis; imò & plus; Rationes quibus ad id agendum moveor; recensebo in Philosophia Sacra. Si historia Saræ, alicujus commenti suspecta est; sine dubio omni suspicione falsitatis destituetur argumentum Saducæorum, quo illi doctrinam Christi de resurrectione mortuorum impugnare voluerunt Matth. 22. 25. 26. 27. Hæc Saducæa mulier perdidit septem fratres, uni post alterum matrimonii nexu copulata; Sara septem, non fratres quidem, sed ei æque affines carnali copulâ. Si verò Sara vere fuit obsessa à Dæmonio improbo, atque ideò morbo valde contagioso afflicta, ut nemo cum ea tutò congredi potuerit, nisi à tali dæmonio liberata? Quid vetat, si illam septem fratrum præfocatricem, à pari dæmonio obsessam fateamur: vel hodie omnes illos à tali dæmonio obsideri viros, qui fœminas suis amplexibus enervant aut necant; & fœminas, à quibus taliter læduntur mariti, aut proci. Ex iisdem enim signaturis vel effectis agnoscitur ignis & aqua, canis, leo, equus, gallus ab invicemque dignoscuntur hodie, ex quibus judicabantur discrepare ante annos mille. Si lunatici, maniaci, epileptici, paralitici, phrænetici, muti, surdi, sanguinis fluxu afflicti, aliisque insignibus plagis discruciati, ex proprio vel adstantium sensu, dicebantur obsessi, absque omnis falsitatis suspicione, in temporibus Christi & Apostolorum; attestante id sæpius Scriptura: Quare mutamus nomina causarum hodie, ad placitum hominum non Divinâ, sed gentili sapientiâ celebrium & infatuatorum; Cum tamen ea quæ hodie fiunt ab iisdem fiant causis, à quibus facta sunt ea quæ in elapsis temporibus fiebant. Imputare causis externis, vel astralem comminisci influentiam, atque sic causas fictas annumerare veris; indicia sunt delirii, non sapientiæ. Fiat itaque justitia & pereat mundus; Non commentis vanis, sed scrutinio verarum causarum occupemur nos Christiani. Sunt mihi ad manus exempla ab Asmodæo obsessorum & virorum & mulierum multa; sed quia forent odiosa, si publicarentur singu-

la;

sæ; Unum Lectori sufficiet depinxisse, sed suppresso patientis nomine. Habitavit Pragæ primum, post & Pirnæ vir revera Honestus, à vicinis & coæqualibus suis ob virtutes & beneficia dilectus; Hic Pragæ tres uxores habuit, sanas, & vegetas, omnes virgines; sed intra septennium omnibus viduatus, Pirnam cum aliis exulibus migravit; Illic quartam duxit, identidem Virginem annorum octodecim, nobilis & divitis Viri filiam; cui quidem parem exitum prædixeram ante nuptias, & sponso & patre sponsæ præsente; sed pro tali vaticinio ingentes iras retuli ab utroque; Elapso autem anno, proh dolor, interiit uti prædixeram puerpera, enixa infantem primùm satis quidem uti apparuit vegetum, qui tamen matrem septimo die sequutus; Animos mihi toto illo tempore iratos reconciliavit; Qui me vera dixisse, serâ pœnitentiâ attestati sunt. Post triennium duxit ille ipse vir viduam, duobus ante maritis orbam; existimans matrimonium ejus felicius successurum cum vidua, quod quater sinistrè cessit cum virginibus. Sed intra spatium mensium septem, obiit & ille vir bonus; Pari modo læsus à fœmina, quali ipse prius læsit conjuges quatuor. Occultum admodum est dæmonium hoc; & tamen non adeò occultum est, ut non possit ex certis indiciis deprehendi, à prudentioribus; Hoc unicum imò verò septuplex exemplum sufficiet altioribus indaginibus occasionem objecisse.

SECTIO VII.

Omnia dæmonia spiritualis sunt essentiæ, ratione sui; Et tamen non communicant cum incolis mundi hujus, nisi per sensibilia media; sive per res locis, temporibus, ponderibus numeris, aliisque sensibilibus signaturis insignitas, animalium, humanoque usui quotidiano inservire destinatas, & consuetas: per ignem urunt; per aquam, suffocant; ponderibus, saporibus, odoribus, coloribus, imaginibus, frigore, calore, siti, fame; volu-

voluptate, dolore, premunt & opprimunt obsessos; Imò & talibus quoque mediis arcentur, ligantur, & abiguntur à corporibus obsessorum. Non possent nos Spiritus mundi hujus toties fallere, vel lædere incautos vel invitos, nisi adeo difficile solubili nexu adhæreremus sensibus nostris, eisque ad obediendum nos adeò faciles non exhiberemus, vel offerremus sicuti fit quotidie ab omnibus & singulis: præsertim in ætate teneriori; sub cujus tempore sic nos sibi mancipant dæmonia voluptatum vel concupiscentiarum illecebris, ut illorum fallacias & nequitias post declinare & evitare nequeamus, etiam volentes vel studentes; vel amore virtutis, vel metu pœnarum mutatis animis. Et nisi sensibilibus mensuris, vel legibus locorum & temporum subjugata essent Dæmonia, atque sic nostro imperio ac dominio à Creatore & Moderatore omnium Divina Sapientia; Tum nulla est Ars utilis in mundo, nulla noxia, nulla necessaria; Ita nec virtus, vel concupiscentia. Et nisi iisdem legibus parere tenerentur dæmonia, quibus adstricti sunt omnes omnium ordinum homines; tum nullus morbus per remedia sensibilia mitigari, vel aboleri posset; sed omnes essent incurabiles & inevitabiles; Cum tamen se res aliter habeant. Nullæ tamen plagæ, nulla mala, vitia, morbi, defectus, errores, superstitiones, dolores, in nos derivantur supernè, sive à Spiritibus scenæ cœlestis; sed quæ vel Spiritum nostrum vel corpus, vel interiora vel exteriora, lædunt, premunt, deprimunt, opprimunt, ea infernè scaturiunt ex abysso terrestri, ex profunditatibus satanæ; etiam & ea quæ nobis specie virtutum, beatitudinis, vel sapientiæ titulis imponunt; aut utilitatis & necessitatis legibus ad sua trahunt obsequia. Terrestres Spiritus omnes, nullo excepto, nobis nostroque imperio & dominio subjecit Creator, & Principem ipsum tenebrarum; Jam nulli nobis servire volunt, sed imperare & dominari intentāt omnes; non saltem magni vel principes, astuti, dolosi, crudeles; sed & infimi & minimi, virtutes mundi hujus dicti; vel potestates

ſtates inimici à Domino appellati, & vincula Satanæ; Ita ut aliis oratione & jejunio, aliis certo remediorum genere nobis obviam ire, adverſum eorum technas nos defendere, ſi hic ab eis vexari ſemper & ubique nolumus, neceſſe ſit; Ad id autem conducunt doctrinæ ſingulariter Divinæ; quamvis etiam aliquid faciant interdum vel poſſint, aut prodeſſe videantur aliquandiu artes, & conſilia humana. Sed revera tantum nocent, quantum profutura ſperamus, niſi caute eis uti ſciamus, & ad normam Divinæ legis.

SECTIO VIII.

NOn omnes obſeſſi infames ſunt apud nos; ſive non omnes deliri, furentes, ægri, vel talibus contumelioſis titulis à nobis relegantur ad ſcholas Theologicas, ſicuti aliqui, vel illi qui ab omnibus pro obſeſſis habentur; ſicuti ſub ſectione 6. docuimus. An non 400. Prophetæ vel Vates Regii ab uno ſpiritu mendace obſeſſi, prophetabant, & quidem quod bonum vel ſuave auditui fuit; ideò à Rege ſuo honorati: 1. Reg. 22. adverſum quos Michæ veritas prævalere non potuit, ob aſperitatem vaticinii, ab illorum diſſoni. An non prophetavit ipſe Rex Saul à malo incitus ſpiritu, 1. Sam. 18. 10. An non ipſe Mahometiſmus à tali dæmonio ortum habuit? niſi nos fallunt ii qui Mahometem ſæpius convulſiones à dæmonio epileptico perpeſſum prophetaſſe, vel ſuas prophetias ab eo didiciſſe, perhibent; quod nec ipſe diffitebatur mutato ſaltem dæmonii titulo; Tali quoque ſpiritu obſeſſi prodeunt ad nos hodierni Prophetæ, unam aliquam ſectam Chriſtianiſmi alteri præferentes, atque uni non niſi bonum, reliquis non niſi malum, vaticinantes; etiam ſacræ litteræ teſtimoniis ſuas perpolientes prophetias, fallaciarum & impoſturarum plenas. Quaſi Dominus ſic judicet nos, qualiter homines ab hominibus judicari volunt: nempe ab externis geſtibus, verbis

bis & ceremoniis. Qui autem cum Christo & Apostolis sapiunt, tales Prophetas non admittent, quamvis jucunda, quamvis verisimilia, & ab ipsis exoptata promittant. Noluit laudari à dæmoniis Christus, etiam verissima clamantibus; Nec à Pythonissa recommendari Paulus internis conscientiæ testimoniis adversum externas contradictiones sufficientes munitus. Talium Doctorum exempla nobis quoque sufficiant in censura de modernis Prophetis, eorumque prophetiis instituenda. Mille sunt insidiæ diaboli, in quarum aliquas labimur, ad suavia attentiores; Imò hodie adeò corruptum est præsens seculum, ut nihil adeò exosi, contumeliosi, imò noxii sit, quàm pietas, quàm sapientia, quàm veritas, suis possessoribus; Et si unquam patientia utilis fuit, certè hodie est maximè necessaria. Stupemus Epilepticorum convulsiones, & tormenta; quæ tamen ipsi patientes non sentiunt; Contremiscimus ad furores & gestus phræneticorum; Metuimus nobis à Peste, febri, fame, infamia, paupertate, morbo, morte; Quamvis nobis non adeò infensis vel noxiis rebus, ac ea sunt quæ nobis utilitatis, necessitatis, imò sanctimoniæ titulo imponunt; ut ea amemus præsentia; amissa doleamus; & futura exoptemus; Quales sunt opes, honores, & voluptates mundi hujus, sensuum illecebræ, nos sub jugum dæmoniorum invitantes, comitantes, ducentes. Sunt inter dæmonia certi quoque ordines; non omnia enim sunt imperia, vel dominia; sed infinita quoque ministeria & mancipia; his abutuntur illa ad suas dolos, fraudes, astutias, iram. Qui nostrum, epilepticorum vel servilium dæmoniorum unum subegerit; nihil effecit, nam æque est ac si marinis aquis guttam unam detraxisset. Sed qui unum ex Principibus superavit; est quasi integrum flumen absorpsisset, vel scaturiginem aquarum exsiccasset. Uno Goliath prostrato, vel Holoferne cæso, integer destruitur hostilis exercitus. Nos solliciti sumus de inquirendis vel inveniendis talibus remediis, quibus gregarios dæmones ligare, vel è corporibus ægrorum

grorum abigere, aut ab eis arcere possimus; qui tamen sponte ad quietem redituri, vel ægros relicturi fuissent justis temporibus; sed eos qui nos hic ad famam judicii æterni terrent, & ad finem usque imo & in æternitatem comitari volunt, cum nostro extremo malo; omninò negligimus, vel pari amore quo nos ipsos & nostra omnia prosequimur hic, & nobiscum trahimus hinc emigrantes.

SECTIO IX.

PAravit nobis Divina Sapientia remedia adversum famem, sitim, morbos, dolores, animi & corporis incommoda; quibus dum uti scimus, beatos nos prædicamus; cum tamen præsentis vitæ beatitudo comparata nobis à Deo promissæ, vix nomen mereatur alicujus beatitudinis. Non nobis invidet itaque bona præsentia Conditor eorum Deus; sed etiam de his nequaquam sollicitos largiter provisurum promittit; si saltem affectaverimus cœlestia; Non ideo nos gaudere jussit; quod nobis terrestres obsecundent hic aliquandiu spiritus; quod cœcos, mutos, leprosos, febricitantes sanare, vel dæmonia ex obsessis abigere sciamus aut possimus; sed quod nomina nostra sint inserta catalogo sanctorum in cœlo viventium. Non ideò nos beatos prædicat, quod longævi simus; sed quod mortem non formidemus; Nam non solùm adversum morborum, sed & mortis incommoda, omniaque ejus terriculamenta nos munivit Divina Sapientia. Amamus nos doctrinas sapientiæ mundi hujus, nos remedia adversum morbos, eorumque adhibitionis vel applicationis modos & cautelas, docentes; ut vel diu hic, vel quiete vivere possimus; Ideò honoramus Galenum, Hippocratem, Avicennam ex antiquis; Paracelsum, Fernelium, aliosque plures ex recentioribus, quorum operâ & consilio utimur ad morbos præcavendos, aut profligandos; Nec id prohibet vel reprehendit

 Sapien-

Sapientia cælestis; in eum enim finem & creavit remedia, creatque quotidie de terra, Deus; in omnibusque locis excitat Medicos sapientiâ, & morborum curationis dexteritate celebres: Sed unum deest, idque maxime necessarium, & Medicis & Ægris: nempe fide & gratitudine; Falluntur hi, fallunt illi; hi ab illis mercedem exigunt eâ arte meritam quam ægri amant; ægri solvunt mercedem arte ipsis amica meritam; Tales sunt amores mundi; tales sapientiæ humanæ fructus; Non sic delirant saltem apud ægros Medici, vel apud Medicos ægri; sed omnes passim hominum ordines: Summi, medii & infimi, spirituales & seculares. Nihilque est humana sapientia nisi tenebricosum chaos: quàm anxietas spiritus; quam perpetua animi fatigatio. Quousque infantes sumus non mirum est quòd tractemus ætati illi congrua, arduorum vel seriorum incapaces; Sed Viri facti, & titulos sapientum affectantes, vel dignis invidentes, in puerilibus hærere, non cessamus; nec nos pudet alienam sapientiam laudare, sed omni destitui; ab aliorum semper dependere authoritate, opinionibus peregrinis fulciri, nunquam propriis inniti. Quamvis si vellemus omnes morbos curare, omnia dæmonia fugare, imò & mari, & ventis, & spiritibus imperare possimus, superque omnem vim principis seculi hujus dominari; vel si non omninò dominari hic, tamen affectando id, futuræ dominationis certi & indubitabiles reddi. Sed quamdiu in scholis humanis, vel penes communem vitæ modum continuaverimus, impossibile erit nobis nos adversum dæmonia nobis cohabitantia tueri, multò minus ea ex corporibus ægrorum propellere, atque sic obsessos ab obsessione liberare. Atque id nos docet Christus inquiens, ut à nobis exordiamur, quod in aliis perficere proponimus; sive nos ipsos exoneremus dæmoniis, citius quàm ad ea ex aliorum corporibus abigenda accingamus. Durus admodum labor, sed maximè necessarius; non potest enim cœco cœcus dari dux, absque periculo lapsus amborum; Ita

æger, vel à dæmonio obsessus medicus, non potest obsessum ab obsidione solvere, nisi ipse liber fiat primum. Sæpè quidem contingit quod & cæcus feriat scopum præter spem & propriam & aliorum; Sic sæpè curantur morbi à personis nihil minus quam illius rei gnaris; ideo non ipsis sed soli Deo acceptum ferendum est.

SECTIO X.

Audivimus in scholis juventutis nostræ de dæmoniis, quod nec cœca sint, nec surda, nec muta, ratione sui, sed tales saltem effectus in corporib⁹ obsessis producāt. Qui autem nos ita de dæmoniis sentire docuerunt, illis Natura eorum non satis fuit cognita; nec eorum proprium scire, sed aliorum saltem recitarunt, ipsi eo destituti; nobis de natura dæmoniorum talia dictitantes. Verum scias, Christiane Lector, quod sicuti lux ita & vita gemina est; Lucis una species est cœlestis & æterna; Altera tenebrarum soboles, mutationibus obnoxia. Vita quoque alia est vita vivificantis spiritus; alia mortificantis; Uterque quidem eorum vivus est, sed unus alteri collatus mortuus est. Inter vivificantes innumeros unus saltem est summus & maximus; Qui à nemine recipit quod habet, sed omnes sub titulo vitæ comprehensi & magni & parvi totum quod habent ab uno summo. Ita quoque inter spiritus mortuos unus princeps est, penes quem solum est mortis aut mortificationis robur, ex eo communicativè fluens in alios inferiores, magnos & parvos. Inter hos autem minimi dicuntur mortui tantum. Sed inter magnos, plurimi sunt mortificantium ordines: ita ut alii septenarii sint; alii centenarii, alii millenarii, alii iterum legionarii, & legionaribus superiores. Omnes tamen sunt abscissi & in æternum exclusi à communione spirituum vitalium, vivorum & vivificantium, quicunque sub titulo mortis à Divina Sapientia nobis fugiendi pro-

ponuntur. Mortuos appellat Scriptura Sacra homines omnes, ab ipſo conceptionis momento. Quamvis autem mortui ſimus omnes, quia nos mortificarunt carnales concupiſcentiæ, vel Leges peccati; Non tamen ſimpliciter tales ſumus, ſed aliqui noſtrum & mortificantibus comparari poſſunt; Nam ſicuti ſuperior ordo inferiorem excellit quoad virtutem vivificantium vel mortificantium eminentiam inter nos; ſic quoque diſcrepant & dæmonia in ordinibus ſuis: Scena enim hæc ſenſibilis imago ſaltem eſt rerum menſuras mundi hujus excellentium; Nihilq; eſt in nobis, quod non acceperimus ſupernè vel infernè; Mortuorum inter nos ſunt ordines plures ab invicem valde diſcrepantes: Quamvis autem omnes mortificati ſimus à dæmoniis, attamen ſunt aliqui inter nos quoque mortificantes; atque horum iterum alii majores, alii minores: Mortui infimi ordinis ſunt illi, quibus & ſenſus deſunt: Secundus ordo complectitur homines animales quidem ſenſu & motu præditos, ſed ratione, judicio, libertate ſenſus & motus deſtitutos; quales ſunt recens nati & ægri. Tertius; habet homines fortes quidem & ad omnia animalia opera vegetos, ſed cognitione doctrinarum cœleſtium deſtitutos: Quartus; litteratos quidem ſive doctos, ſed incredulos. Quintus; credulos, & in doctrinis fidei exercitatiſſimos; ſed inobedientes & rebelles, ſceleratos, manifeſtisque ſceleribus inſignes. Sextus, Hypocritas, adulatores, extrinſecæ ſanctitatis ſpecie ſplendentes, relligioſos, bonarum operum ſtudioſos, quorum tamen animi ſtigmatiſati ſunt charactere formidinis. Septimus; Divinæ naturæ conſortes quidem, ſed captivos adhuc & libertatem affectantes. Confer hos ordines inter ſe, & patebit ad oculum, quinam noſtrum ſint mortui dicendi, qui mortificantes, qui majores, qui minores, qui parvi, qui minimi, inter hos aut illos; Creavit Dominus in principio inſecta omnis generis, ſic & piſces & aves; beſtias & pecudes, leones, tygrides, vulpes, lupos, canes, equos, oves, vaccas, ſues, atque ſic ſpiritus valde varios

rios, quorum singuli operantur diversa; Quot verò genera vel species creaturarum sunt in scena lucis, tot imò plures eorum ordines occultantur in tenebris; Eo modo revelandi omnes, quomodo revelati fuerunt hucusque aliqui. Qualia autem opera spirituum sunt sensibilia; tales sunt quoque & ipsi spiritus in profunditatibus suis latentes; Signaturæ externæ sensibiles, sunt saltem vestes spirituum, quibus se amiciunt aliquandiu nobiscum hic communicaturi; nec tamen ab ipsorum internis proprietatibus diffident externa, quamvis hæc umbræ potius rerum sint, quàm res ipsæ.

SECTIO XI.

Nullus nostrum vitam quam habet à se ipso habet, sed aliunde accepit & accipit; nam nisi cibulentis & potulentis materiis, suis quoque præditis qualitatibus, quotidie reficiamur, tum cessabit nostra cum mundo hoc comūnio; Non quidem reducemur in nihilum à mundi sensibilis communione divulsi, sed ab hinc sic communicabimus cum spiritibus cœlestis vel terrestris abyssi incolis, sicuti hic communicabamus cum mundi hujus incolis aliquandiu. Hic discimus illorum discrepantiam; & cum his aut illis coalescimus, in ejusdem naturæ communionem, per amorem & obedientiam legum, quas nobis in amicas elexerimus. Cum mortificis, mortis incommoditatum; cum vivificantibus, vitæ æternæ privilegiorum fimus participes, hic, mansuri in perpetuum semper & ubique illic. Si cum mutis conversaremur à principio vitæ nostræ, muti maneremus per vitam integram; A claudis inter claudos educati, claudicare quoque assuesceremus; Sed gallus inter anseres, vel anser aut anas inter gallinas & gallos educata, nunquam glocinabit, ita gallus non nisi cantabit. Sed homines liberiores habent Spiritus, quàm bruta; attamen non omnes, nec etiam singuli æque liberos, sed alii aliis docilio-

res

res vel ſtupidiores; nec quos vel quales vellet aliquis,alteri communicare poteſt,ſed diſpenſator omnium Deus,ſecundum beneplacitum ſuum, humano ſpiritui plures aut pauciores, hujus vel illius ordinis adjungit in vitæ præſentis ſocios; non ut dominarentur,ſed ſervirent nobis; noſtro itaque vitio, non autem Deo ſic diſponente, nos illorum mancipia, illi autem noſtri fiunt imperatores vel dominia; nec id per vim, ſed per voluptatum illecebras: Poſſumus enim nos ſuper in eos acquirere dominium, per ignorantiam amiſſum,ſi ſaltem ſtrenuè nos eorum deſideriis opponeremus; nempe pari promptitudine quali ipſis obſequi amamus vel ſtudemus. Id autem ſolum eſt, quod à nobis fieri quærit,& nos facere docet Divina ſapientia. Nullum cibi aut potus genus eſt, in quo nobis non inſidietur, ſuper nos dominium affectans dæmonium; occaſione neceſſitatis, pauciſſuma acquirunt quod volunt; ſed per voluptatem, omnia. Quare prohibuit Dominus Populo Iſraelitico eſum ſanguinis? Non certè ob ſimplicem ceremonialem ritum inter eos ſtabiliendum; nec ob implantandam eis aliquam ſuperſtitionem; qui per ſe in eos proclives fuerant; ſed ob arcendas ab eis ſpirituum beſtialium inſidias, qui in ſanguine cujuſque beſtiæ innumeri habitant; quam ob cauſam ſanguis quoque animæ titulum ſortitus eſt, qui non niſi ejus domicilium eſſe ſtatuitur; Nam ſicuti facilè dæmonia ex hominibus in beſtias migrant, ita quoque ex beſtiis in homines tranſmigrare amant, ut nobilius domicilium. Quanta ſit virtus in mineralibus corporeitatibus, antimonio, arſenico, cinnabari, mercurio,aliisque, ad homines opprimendum,excæcandum, dementandum; ſic & in elleboro, apio, opio, eſula,& aliis herbis herbarumque partibus, & tonſoribus notum eſt; Quid mirum igitur, quod homines ſæpè ab eis invadantur; & quamvis firmiſſimis vinculis conſtrinxerit eos Creator, aliosque aliis vel ſolvendis vel ligandis ordinaverit; tamen nullus adeò ſtrictè ligatus eſt, quem homo ſolvere non poſſit, laſcivientis ſuæ imagina-

gina-

ginationis æstu; nec etiam aliquis ita liber, quem vincire & subjugare non possit animus Divinæ Naturæ particeps, uti suo loco dicemus.

SECTIO XII.

Quo simplicioribus itaque cibis, & potus genere usus fuerit quis; tantò minus periclitabitur ab obsessione, quamvis omninò liberum nemo se custodire ab ea possit, hoc corpore vel tabernaculo terrestri vestitus. Semel enim statutum est omnibus mori; Mors autem nihil est aliud, quam spirituum in aliquo corpore individuo in unam rempublicam vel æconomiam coacervatorum aliquandiu, dissipatio & singulorum justis eorum ordinibus restitutio. Nam non omnes, qui in uno corpore habitant animali, secundum ordinationem Divinam congregati sunt, sed multi, imò plurimi contra; multi quoque legitimè quidem simul collecti, non tamen ex requisito voluntatis Divinæ sua administrabant; sed principes serviebant; serviles imperabant; vel servire Principibus nolebant; ideò dissolvi debet cætus eorum, & locus habitationis destrui, citius quam restauretur eorum res publica ad voluntatem summi Patris familias. Omnes formalitates sensibilium & sublunarium creaturarum mundi hujus, in propriis ordinibus spiritus sunt boni; sensibilium signaturarum totius universi authores, propagatores, & divisores justi; non posset enim sine his discerni à leone, canis, equus, sus, pavo, gallus, philomela, carpio, salmo, anguilla; & signaturis externis, & internis proprietatibus; quæ quamvis diversæ in singulis, & speciebus & individuis, valdè tamen bonæ sunt, & ad ornatum mundi hujus faciunt. Attamen omnes inferiores formalitates in homine, super hominem imperium vel dominium affectantes, sive per dolum sive per vim id fiat; spiritus fiunt mali, & dicuntur dæmonia; Spiritus infirmitatis, potestates inimici, & vincula

Z

cula Satanæ; Homo autem illis serviens, sive id faciat per ignorantiam, sive per industriam; sive per vim ab eis coactus, sive per astum eorum deceptus; mortuus eousque judicatur à Divina Sapientia, aut captivus eorum; quousque se ipsis opponere didicerit, sciverit aut voluerit. Animales quidem jam nascimur omnes & singuli, sive mortui, vel mortificati à Spiritibus nobis & Deo infensis, sed si mentem mutaverimus aliquando, ad quod nos exhortantur Divina elogia, & promissis & minis multifariis; tum victores evadimus victorum; & Domini imperiorum mundanorum; ad talia studia multum conducunt orationes & jejunia; quantum enim deperdimus ex numero animalium virtutum, cognitionum, & concupiscentiarum, hostiliter adversum omnes affecti; tantum lucramur cœlestium donorum; tantò elevamur magis, & de die in diem Deo appropinquamus ejus naturæ participes; hic tantum in internis affectibus, ab hinc autem & in gloria communicaturi.

SECTIO XIII.

Quo plures itaq; in nobis efficaces sunt animalitates, & inferiores nobis fuerint in nobis super nos dominantes spiritus, tantò durior & turpior est nostra servitus, diuturnior & periculosior pugna; sed si eis nos rebelles opposuerimus ad voluntatem Divinæ Sapientiæ, tanto celerior & gloriosior victoria. Ut autem scias, christiane Lector, quomodo hæc inter nos & Spiritus hujus mundi fiant, quomodo illi nostrum, vel nos eorum vel hostes fiant vel victores; uno atque altero exemplo illustrabimus. Nosti quod Scriptura doceat Deum omnia numerasse & ponderasse accuratissimè. Ideo accuratum & numerorum & ponderum examen nos erudire potest in mysteriorum cognitione; Et eorum videlicet, quæ à nobis occultari bonum Divina judicavit Sapientia; sicuti & eorum, quæ à cognitione nostra per invidiam

& iram

& iram Satanæ contra voluntatem Dei abſconduntur, ſcitu tamen & utilia & neceſſaria. Neſciunt cœci, ſurdi, muti, quod à dæmoniis obſeſſi ſint; Ægros ſe ſaltem nominant; & ſic nominantur quoque ab aliis. Neſciunt avari, immundi, ſuperbi; increduli, audaces, timidi, indociles, aſtuti, mendaces, ſe non ſuas patrare concupiſcentias, ſed Satanæ dæmoniorumque nequitias; quia hi æquè obſeſſi ſunt à dæmoniis quàm illi excæcati mente, ſicuti illi ſenſibus. Non putat ſe ægrum eſſe mœchus, ſed optime ſanum, ideò non dolet, ſed gaudet ob excellentiam affectus ſui; cum tamen periculoſior ſit affectus hic, quàm ſurditas, vel epilepſia, vel hydrops vel paralyſis. Nullum eſt ſenſibile, quod non ab inſenſibili intus agatur ſpiritu; Numeris ſunt ſubjecta omnia; ſed ponderibus deſtituta, ſenſibilium plurima. Ignem ab aere & aqua diſtinguere potes viſu, ſed abſque definitione ponderis ejus Lapidem, aurum, aquā, terram ponderas, ſed nequaquā id quod ſub eorum occultatur pondere: quod tamen numero externi ponderis quantitatem ſuperat. Magnetis attractiva vis nihil pendet in lapide, attamen eſt communicativa ſui extra lapidem, ita ut mille acus tingi poſſint illius virtute, quamvis lapidi nihil decedat de pondere. Sed vis magnetica acui implantata, eſt quidem efficax in ea; ſed incommunicabilis ſui. Sic ſe habent quoque res ſpirituales, vel ſpiritus ſenſibilibus ſignaturis immerſi. Dæmonium ſurdum vel mutum, mille excæcare vel mutos efficere poteſt obſeſſos; ſed cæcorum vel ſurdorum aut mutorum aliquis neminem amplius; Niſi legionarium ſit dæmonium obſeſſum obſidens; nam tale non ſaltem mortificat, ſed & mortificantem efficit patientem. Sed legionaria dæmonia non lædunt ſenſoria vel ſenſus, ſed ſoli ſpiritui humano infeſta exiſtunt, uti docuimus in Philoſophiæ Sacræ Tom. 1. lib. 4. Capite de obſeſſis à dæmonio.

SECTIO XIV.

HOmo lapsus in Paradyso non desiit esse quoad nomen & formam externam, quod fuit ante lapsum; Sed pudore & metu affligi saltem; à talibus plagis ante lapsum liber. Per ordines pulcerrimos dispertitus est Creator scenas mundi hujus, omniumque scenarum species specialibus & individualibus distinxit signaturis, sicuti unitas differt à binario vel ternario, vel novenario, uti hoc schema docet.

1
2
3
4
5
6
7
8
9

Hi characteres novem sic ab invicem discrepant & nominibus & formis sensibilibus, sicuti homines à brutis, bruta à piscibus, pisces à volucribus, volucres ab insectis, insecta à vegetabilibus, hæc à meteoris, meteora à mineralibus & metallis, hæc verò ab elementis. Quia autem cuilibet & speciei sensibili, & cujusque speciei individuo, impressit creator virtutem quandam occultam, sed vitalem, per quam externas rerum signaturas multiplicari voluit, eamque nominavit Animam, Spiritum, Semen; ideò plus recondidit sub hac essententia, quàm primū revelavit in sensibili cujusq; speciei individuo: sicuti patet ex schemate sequenti,

10. 100. 1000. 10000. 100000. 1000000. 10000000.

Quia autem est alia efficacia numeri, alia ponderis; ideò quoq; est magna discrepātia in rerum formis quoad eorum localem discrepantiā; Nam in hoc numero saltem exprimitur efficacia numeri

meri 10. vel numerationis solius differentiæ; sed in hoc $\left\{\begin{matrix}1\\0\end{matrix}\right\}$ ponderis: In hoc ordine valet hic numerus 10. Decem. Sed in hoc $\left\{\begin{matrix}1\\0\end{matrix}\right\}$ non nisi unum: Separata enim est nulla à nexu unitatis; hic; illic, unitati annexa. Et propter hanc ordinis efficaciam numerus ex duobus sensibilibus compositus, 12. vel 123. acquirit valorem majorem, quàm est in dispositione tali $\left\{\begin{matrix}1\\2\\3\end{matrix}\right\}$ hic enim enuntiat saltem ea, quæ sunt sensibilia, ille autem & plura insensibilia complectitur, sensibilibus majora. Nam ex nulla hujus ordinis 10. nascentur numeri sensibiliter distincti plures nempe 1. qui tamen sub nulla, locationis hujus,

2.
3.
4.

occultabantur, 10. hi enim characteres duo, tot Unitates complectuntur, quot illi quatuor; quamvis plures in illo appareant characteres numerabiles, quàm in hoc. Nec perit numerus rerum aboliitis sensibilium formis, sed saltem reducitur in ordines spirituales; ex quibus processit sensibilis primum factus. Ita, inquit Scriptura, mundum hunc sensibilem interiturum; cum tamen ejus interitus non nisi mutatio sit futura, sive reductio omnium in statum à sensuali cognitione spirituum animalium incomprehensibilem. Et tamen revera in æternum durabilem. Quia autem ordines creaturarum sublunarium omnes confusi sunt, quamvis pristinas retinuerint & formas & nomina sub statu confusionis, vel in ordinibus perturbatis; sicuti hoc schema docet 9 3 2 1 8 7 6 5 4. Ideò vult Deus ut homo, qui primus sic omnia turbavit; primus quoque suo ordini restitui posse affectaret, sive acquireret libertatem & dominium, citius quàm reliquæ quoque creaturæ suis ordinibus redderentur. Non potest autem

dominari omnibus homo nisi detrectet obedientiam singulis, scilicet omnibus illis dominiis quæ ei ignaro in turbato rerum ordine dominabantur; Nam unitas subjecta binario servit, atque ac subjecta novenario; turpior tamen est ejus conditio & durior servitus sub hoc 91. nexu, quàm sub hoc 21. vel sub hoc 9876. 1. quàm sub hoc 67891. Sed exordium dominationis acquirendæ facilius acquiret sub hoc nexu 21, quàm sub 67891. Quod si verò non sufficiens sit subigere binarium; certè impossibile ei erit subjugare 987654321. Facilius subjugare nobis poterimus dæmonem monasticum quam legionarium; sensoriis infestum, quàm sensibus; Vel per sensuum imposturas nobis insidiantem, quàm per animi superbiam aut fastum.

SECTIO XV.

Libra panis, libra carnium, libra vini, libra salis, libra antimonii, comprehendunt in singulis corporeitatib⁹ suis, grana aut guttas 7680: Sed granum unius ponderis singulorum, discrepat valdè; nam granum antimonii excellit integram libram imò & plures panis, carnium, vini, suâ divisibilitate, vel tincturarum spiritualium pluralitate. Nam si quis in corpus suum plures libras panis, vel vini ingesserit, illæ vel nihil omnino aggravabunt eum, sed unum granum antimonii plus & periculosius turbabit œconomiam spirituum ejus; Unde id? non à pondere, aut tali essentia quæ ponderari possit; sed à spiritu, vel insensibili essentia, cujus numerus excellit mensuras ponderis, ita ut omnino ponderari nequeat; sed saltem numerari oporteat. Talis essentia homini insultans, demonium dicitur, quamvis in ordine stans à Deo ipsi definito, Spiritus sit bonus, utilis, & ad majestatem hominis augendam necessarius. Sicuti ille major existimatur esse, qui aurum in thesauris suis habet, quàm qui ferrum aut plumbum. Ideo qui suis imperare scit sensibus, eo est superior qui

mille

mille imperat saltem bobus, aut brutaliter affectis hominib⁹: Sicuti unitas in hoc nexu major est 19, quàm inhoc, 12. vel 10. Puto me satis clarè depinxisse humanam prærogativam, in collatione Spiritus ejus cum Spiritibus mundi hujus. Sed instabit sine dubio aliquis, ut dicam unde antimonii grano uno tanta affluat ubertas virtutum, & eorum multitudine etiam libram unam, imò plures aliorum corporeitatum excellat? Nec id nos celavit Divina sapientia; nam hæc docet nos quod corpora centralia terrestris ponderositatis, in tot species sint divisibilia, in quot gradus vel numeros, vegetabiles & animales formalitates; Si igitur plures creaturas specie differentes & generare & nutrire debent hæc; necesse quoque fuit ut majores thesauri eis traderentur à Creatore, quàm creaturis numericis saltem corporeitatibus subservituris. Sunt & inter animalia quædam species, tali benedictionis Divinæ prærogativâ, aliis excellentes; nempe ceti pisces, ex quorum spermate non saltem fœtus excluduntur nominibus & formis parentibus similes, sed & plures alii à cetis & nomine & formis discrepantes. Non autem antimonium solum tam dives est vel communicabilium virtutum; sed plurima imò omnia corpora terrestria, mineralia & metallica; Nam certum est unum granum auri diti⁹ esse quoad virtutes suas spirituales, quam libra una antimonii vel arsenici; Verùm arctius ligatæ sunt virtutes in auro quàm in antimonio, ita ut difficilius in illo liberari possint vel dividi quàm in hoc. Nam si æquè facile dissolubilia essent vincula aquæ, lapidis, vitrioli, salis, quam nitri; tàm citò corrueret integri hujus mundi machina, sicuti violentiâ pulveris pyrii magna moles terrestris alicujus corporeitatis dissipatur. Sicuti autem spiritus terrestres, animales, vel naturales, per principatus & servitutes, sublimiores & inferiores invicem discrepant; Ita quoque cœlestes majestates, gloriæ, & superioritatis excellentiâ, in ordinibus suis diversi sunt. Humanus spiritus, quamvis omnes cœlestes excellat, omnibus tamen cœlestibus minor

minor est, & solus ex omnibus mundanis, collegio Judicum judicii æterni adnumerandus, Divinæ sapientiæ testimoniis & promissionibus, proclamatur. Si nempe hic mundanorum societatis, communionis, imperii, dominii, concupiscentiarum, cognitionum, virtutum, atque sic affinitatis pertæsus, cœlestium affectet, non verbis tantum sed omnibus animi sui viribus, amicitiam.

SECTIO XVI.

IN superioribus sectionibus depinximus dæmoniorum & Spirituum mundi hujus varietatem; sic & efficaciæ eorum inæqualitatem, per ordines sensiblium Creaturarum divisam & dispersam; jam superest, ut doceamus vel demonstremus modum & media, quomodo nempè vel per quid, obsessi ab obsessione liberari, dæmoniis exonerari, vel ad minimum se adversum eorum violentiam tueri & defendere possint; ut vel rarò, vel nunquam ab eis infestarentur; Certum genus demonii, non nisi oratione & jejunio abigi posse, docet Christus Dominus; Resistite Diabolo inquit Jacobus, & fugiet à vobis. Armamini armaturâ Dei, adversus imperia, adversus potestates, adversus mundi principes; Scripsit ad Ephesios Paulus. Hoc quidem remedii genus inculcatur quotidie in nostris scholis & templis; sed parum videmus proficere obsessis. Nam ægrorum ubique terrarum magnus est numerus; nihil nostris obsessis prosunt remedia ex scriptura petita; nihil preces, nihil jejunia, nihil nomen Christi, aut Jesu super eos etiam sæpius prolatum; Quare id quæso? An Sancti illi Doctores nos fallunt, & inutilia nos adhibere obsessis, consulũt? an dæmonia hujus temporis evaserunt pejora quàm fuerunt in elapsis temporibus? Vel quid causæ est quod nostris Rabbinis, titulis sapientissimis, sanctissimisque superbientibus, hodie obedire morbi & dæmonia recusent; cum tamen olim

lim piscatoribus & laicis parebant; Imò umbrâ saltem Petri inumbrati, ægri, vel à Spiritibus impuris vexati, convalescebant; Eamus ad scripturam visuri, an aliquid talis contigerit Prophetis, Apostolis, vel Medicis, elapsis temporibus, quo excusari hodie possent apud obsessos & ægros Doctores nostri: Johannes nullum omninò sanavit ægrum; Pater illius Lunatici accusat Discipulos Christi, quod non potuerint abigere dæmonium ex filio ejus. Imò vero inquit Evangelista de Christo Domino, quod nullum potuerit edere miraculum in Patria sua, quamvis fuisset ipse miraculorum Doctor. Quod igitur hodie pauci admodum obsessi ab obsidentium eos dæmoniorum liberētur molestia, cum tamen magna ubique reperiatur turba Theologorum & Medicorum; Interdum causa est in ægris, interdum in ægrorum amicis; interdum in ipsis Medicis, & Medicorum æmulis; interdum in omnibus; fatorum decretis se obstinanter opponentibus. Fuerunt in elapsis temporibus exorcistæ, sive medicam artem exercentes, circulatores Judæi, quibus dæmonia, vel spiritus improbi, obedire nolebant, qui tamen sudariis & semicinctiis apostolorum abigebantur; eandem ob causam manent quoque hodie multi morbi incurabiles; non quod superarent omnes humani ingenii vires; sed quod tum in ægris tum in exorcistis plurima sint obstacula, quibus prævalent dæmonia. Quamvis verò omnia offendicula aboleri omninò non possint, sed quædam & sanctissimis adhæreant mentibus; Tamen eâ saltem intentione, ut aliquibus saltem ægris prodesse possimus, si non omnibus; cautelas quasdam in Medicis legitimis requisitas hic notabimus, ex quibus si non ægris Medicus, attamen Medico ipsi innotescere posiit, an sit ad ejiciendum dæmonia, vel morbos curandos idoneus vel non. Non omnes illi idonei sunt ad curandum ægros, vel dæmonia abigenda aut liganda, quos recommendant tituli in scholis acquisiti, vel pharmacopæi, vel affines & amici eorum, vel fatuæ mulierculæ, vel ipsorum propria inso-

lentia & loquacitas, tales esse; sed quos Deus, sapientia, virtus, veritas, & bona cõscientia; qui non quærunt ægros lucri gratia, sed quos ægri; qui non sibi ipsis imputant eventuum dexteritatem, vel laudari amant: sed Deo; Sive omnes illi sunt tantum idonei prodesse ægris, & obesse dæmoniis, qui Naturæ Divinæ sunt consortes; Sive quos & principes dæmoniorum reverentur & formidant. Qui enim spoliare vult domum fortis alicujus; necesse est ut eo sit fortitudine superior.

SECTIO XVII.

Omnia dæmonia, Spiritus infirmitatis dicta, infernè in homines derivantur, sive ex familiis animalibus, vegetabilibus, mineralibus; vel ex scenis elementalibus, aeris, aquæ, terræ, per cibos, potus, sperma, sanguinem, & omnia sensoria in corpora humana transmigrant; & in locos ex quibus processerunt iterum vel redeũt, vel arte Divinâ aut humanâ relegari possunt & debent; quoties eis vel liberari, vel alios liberare volumus. Abyssus terræ genuina est eorum patria; Animi autem Cœlestes origine, vel affecti sicuti Christus affectus fuit; pedibus eos calcant, & hic; & ab hinc calcaturi sunt semper & ubique. De his, omnium Sanctorum privilegiis, plura in Philosophia sacra. Quia audivimus autem, sæpe dæmonia in corporibus humanis in elapsis temporibus ligata, & inde expulsa fuisse externis remediis, verbis, incantationibus, suffumigiis, inunctionibus, emplastris, orationibus, jejuniis, musicis modulationibus, balneis, amuletis, aliis denique intus exhibitis, vel extra admotis rebus; Ideò hic breviter inquiremus. Quis nam sit optimus & tutissimus omnes morbos curandi, abigendi, adversumque eorum insultus nos & alios præservandi, modus; Nihil comminiscemur hic novi, nihil superstitiosi, nihil vani, nihil falsi, nihil in Medicam Artem vel Medicos contumeliosi; Legimus in Scriptura dæmonium illud legionarium

à Domi-

a Domino impetrasse, ut ex homine in sues migrare possit; quod dum factum, duo millia circiter porcorum, à dæmonio illo, quod prius unum tantum obsidebat hominem, obsessa & uno impetu in mare præcipitata fuisse. Si igitur tale dæmonium princeps, poterat ex homine in porcos transmigrare, ut eo liberaretur homo; quid vetat quod eodem modo à gregariis sive monasticis liberari non possint hodie ægri, citra omnem superstitionis suspicionem; præsertim si constet Medicis quibus rebus, proximè homini, inhabitare gaudeant, abyssi profunditatem reformidantia, ex corporibus humanis migrare coacta dæmonia. Scholastica methodus externis affectibus corporis, vulneribus, ulceribus, contusionibus, tumoribus, excrescentiis, aliisque sensibiliter nos incommodantibus plagis, mitigandis, consolidandis, discutiendis, resecandis, multa docet parare, & applicare medicamenta, præparationisque & adhibitionis modos; Nolo hic judicium agere an Galenica Chymicis præripiant palmam, vel hæc illis: Sed saltem in hoc capite demonstrabo certitudinem, utilitatem, imo necessitatem curæ illius quæ fit per seminariorum morbificorum ex uno subjecto in aliud, superiori in inferius; præstantiori in ignobilius translationem; Sive de morborum transplantatione; Naturalirer ascendunt vel elevantur Spiritus ex scenis inferioribus in superiores, naturalis quoque est eorum ex superioribus in inferiores migratio; vel per Artem fient, supernè deorsum Pulsio vel Tractio. Per se, suâ spontè, vel absque omnis humanæ imaginationis concursu omnes essentiæ inferiores, tendunt sursum, sive affectant sensibilitatem, cujus extremitatem non assequuntur alibi quàm in corporibus humanis, nam ultra nullus datur eminentior locus, sed in homine terminantur omnium entium naturalium in lucem tendentium motus; Nihilque existit sensibiliter in homine intus vel extra, quod non præexstitisset in majori hoc mundo; sed modo à sensûali cognitione abscondito; uti suo loco clarius explicabimus. Quicquid

quid autem deprehenditur ab homine in eo ipſo, vel in aliis, aut ab aliis in alio; illud ipſum vel ſuâ ſponte redit in locum & formam præexiſtentiæ ſuæ; ſive inſenſibile fit, ſenſibilem relinquens formam; vel adjumento imaginationis & artis humanæ eò redigi debet aut poteſt, ut citius fieret quàm factum fuiſſet abſente humani animi concurſu. Atque hoc modo & in nos derivantur ex rebus extrinſecis virtutes, vitæ huic utiles, & requiſitæ; & inutiles vel noxiæ; ſic quoque ex nobis omnia in res inferiores & transplantari poſſunt vel debent; ſi nos libere ab eorum impedimento vivere deſideramus; aut alios ab externorum impedimentis vel vinculis liberare. In nobis quidem hærent leges peccati, ſive concupiſcentiæ animales, aſtutiæ brutales vel beſtiales, & virtutes elementales, meteoricæ, vegetabiles, minerales & metallicæ illæ excubant, ut nos ipſis ſubjugent; ſed noſtrum eſt vigilare, ipſisque præeſſe, ne vel per vim vel per dolum nobis evadere poſſint ſuperiores; quod ſi vero ipſorum aliquandiu fuimus mancipia, inſerviendo voluptuoſis eorum ductibus, ſub temporibus ignorantiæ noſtræ; tum mutare debemus animos, à Deo edocti de eorum cõtra nos doloſis machinationibus; & tam prompti eſſe poſt in eorum ſuppreſſione & odio, quam prius nos faciles præbuimus ad eorum obſequia, vel amorem.

SECTIO XVIII.

TRansplantio itaque morbificorum entium, de qua hic loquimur, eſt eorum in ſedes antiquas vel ordinem priſtinum translatio vel reductio. Beſtialium nempe in beſtiales, vegetabilium in vegetabiles, elementalium, mineralium, metallicarum in ſuas ſcenas reſtitutio. Talis transplantatio fit vel à Natura ipſa, ex neceſſitate legum fatalium; omnia enim mundi hujus entia certis locorum & temporum legibus vincta ſunt; vel à nobis legum fatalium conſciis. Hic transplantationis actus à nobis

nobis duplici modo fit; vel per Ligationem, vel Propulsionem aliquorum noxiorum in nobis, vel extra nos; Eorumque vel jam actu nos molestantium; vel in futuro, nisi præcaveamus, molestaturorum sive per symptomatum, aut causarum morbificarum ablationem. Ad symptomata mitiganda, aut differenda; multum conducit humana sapientia, ejusque doctrinæ, traditiones, experimenta; Sed ad ablationem causarum vel nihil, vel parum, aut falso; nam sublatis morborum causis, nulla unquam metuenda est recidiva; Sed relictis in corporis anatomia morborum seminariis, nullibi & nunquam tuti sumus à recidivis; nam ligati Spiritus à levissima occasione solvuntur à suis vinculis; non autem ita leviter nos externi lædunt, nisi per lasciviam nostram à nobis attracti, aut per vim externam inflicti; Sed vis externa hebetatur nostrâ ei in occursum armatâ imaginatione. Febriles paroxysmi sponte surgunt & cadunt; sicque se sæpe à sensu nostro occultant, ut nesciamus quo se receperint, nos relinquentes, aut unde in nos irruant, nos sensibiliter afficientes; Medicamenta sensibilibus ejus invasionibus opposita, & à nobis adhiberi consueta, aut parum proficiunt, aut saltem symptomatum mitigant vehementiam; si verò certis experimentis ligentur febrilia seminaria, ita ut ab ipsorum symptomatis aliquandiu immunes maneamus; nunquam tamen & nullibi à recidivis tuti sumus; ideo nec liberè edimus edulia omnia, nec bibimus potulenta, metu eorum; atque hoc modo fatemur ipsimet ligata saltem esse, attamen in nobis hærere morborum seminaria; sicuti hyemalibus diebus in terra occultabantur, in vere inde germinantia. Utrumque quidem est ægris utile, & à symptomatis liberari, & à morborum radicibus; sed hoc utilius; Illud sæpe fit sine concursu artis; hoc autem rarò; quamvis hujus beneficii in eos à Medicis collati patientes ignari, minus quàm deceret se ingratos adversum eos, vel Deum qui eis illam implantavit & scientiam & virtutem, exhibeant; Ita ut sæpè qui nullas meruit, maxi-

maximas; qui maximas verò, nullas referat à patientibus gratias. Qui Medicorum docent saltem circa sensibilia versari, vel per certas experientias, symptomatibus mederi; illi profitentur, se rerum causas ignorare; hæ enim insensibiles omninò sunt, vel in centris suis tenebricosis latentes, omninò innoxiæ. Non subsistendum itaque est Medico ablatis vel mitigatis symptomatibus, sed adversum recidivas muniendus æger, & illis abolitis; quod fieri nequit per intus porrecta vel accepta diaphoretica, aut catarctica, uti communiter fieri consuevit; vel per phlebotomiam ex venis superioribus institutam; nam hæc & similia non nisi mitigandis vel ligandis morbificorum seminariorum virtutibus, conducunt; Quamvis aliquæ sed leves & superficiales aliquorum symptomatum causæ hoc modo enerventur; Sed non Quartanæ, Epilepsiæ, Podagræ, Maniæ, aliorumque profundiorum malorum seminaria. His enim sola medetur radicum eorum ex corpore patientium evulsio; nec sola hæc, semper; sed eorum, in eis homogeneas & naturales scenas, artificialis reductio; Quam docet Magia, vel Miraculorum ars; Nec ea ars quem sciunt vel docent Spirituales mundi hujus improbitates; vel ab his instituti artistæ & doctores; Sed, quam Salomon recommendat, Sapientia; Carnales voluptates fugiens, & fugere docens Prophetica ars. Cujus hodie & Doctores inter Christianos valdè rari; & Doctorum, si quos quæ alit tellus, discipuli. Mundus opinionibus fluctuare mavult, quàm veritatis ductum ad quietem sequi. Qui peccata, vel peccandi leges sive carnales concupiscentias vitare sciverit, ille simul morborum fugit & effugit seminaria.

SECTIO XIX.

QUi autem transplantare morborum seminaria, vel ex humano corpore sublata, in corpora scenarum vel familiarum inferio-

Inferiorum reducere studuerit; ille necesse est, ut habeat seminarii morbifici in humano corpore hærentis exquisitam notitiam, ex quo nempe subjecto proximè in obsessum derivatum fuerit; Ita quoque, quâ occasione, si aliquandiu in patiente occultum hæsit, revelatum à suisque vinculis solutum fuerit; vel ubi innoxium hæserit, ut per intervalla quiescat patiente è symptomaticis doloribus immuni? De his omnibus, aliisque scitu necessariis, probè instructus Medicus, omnium morborum, & ex communiore opinione incurabilium dictorum, erit doctus & felix oppugnator victorque; ita ut plus hic præstare possit vilibus remediis, quàm sibi vel aliis promittunt Lapidis Philosophici, omniumq; panacæarum parandarum authores & Doctores. Interdum enim ex spermate surgunt Epileptici, Maniaci, Podagrici, Calculosi, Febriles, aliique continui vel intervallares affectus; Interdum ex sanguine; Interdum ex ejus excrementis gravibus, interdum ex levibus. Interdum ex vaporibus solis, interdum ex humoribus; interdum ex solidioribus contentis vel venarum, vel nervorum, vel ossium medullis; Ideò sæpè infantes teneri exercentur Epilepticis convulsionibus, in provectiori ætate ab eis immunes; sæpè septennes vel septimestres effecti, ægri fiunt; Aliqui demum secundo, tertio, quarto, quinto, sexto, septimo, octavo vel nono septenario menstruo vel annali sensibiliter affici à morbosis seminariis incipiunt, elapsâ ætate, à talibus symptomatibus omninò tuti; In quibusdam incipit contagium, in quibusdam desinit; Quidam continuò patiuntur, quidam solum per intervalla. Quidam ante, quidam post nuptias. Atque ex his, hisque similibus signis, vel circumstantiis, insinuant se nobis seminales rationes, entium in nobis hærentium, nos quocunquo modo infestantium; In nobis sunt idealiter omnia vel virtualiter, quæ extra nos sensibiliter existunt. Integrum mundum in nobis possidemus, & tamen ignoramus nos vel beatos esse, vel miseros, tam amplâ possessione. Ex terra nascitur, alitur, augmenta-

mentatur, vivificatur, mortificatur, in terramque, à terrestribus principiis reducitur,& resolvitur de terra natus homo: sive quæcunque de terra accepimus, terræ redduntur, nobis vel Spiritu nostro hinc ad tribunal judicis evocato. Nihil nobis influunt astra vel mali vel boni; Sed calores, frigora, humiditates, siccitates, sapores, odores, colores, pondera, aliæque signaturæ rerum externarum exuperantes mensuras entium nobis inhærentium, vel ligant vel solvunt aliquæ ocyus vel tardius horum, quàm factum fuisset, illorum absentiâ, vel remissiori virtute. Mortem corporis hujus effugere nemo potest,sed vitam ab omnibus morborum molestiis liberam ad extremum usque diem vivere possumus omnes. Quomodo morbi, vel morborum seminaria ex nobis in res externas transferri; vel in nobis hærentia ligari debeant, & possint, ut nobis innoxia in suis quiescant centris; in Capite de curatione morborum,aliquot trademus exempla,non in offendiculum illis qui sunt, vel esse se putant prudentiores, & hoc in opere experientiores nobis; sed saltem rudioribus; Doctiores nobis sua quoque non invideant.

SECTIO XX.

NE te offendant, Lector amice, verba nostra de morborum causis à consuetis scholasticorum Medicorum appellationibus dissona; nempe quod Spiritibus impuris vel dæmoniis ipsis imputemus, quæ plurimi Medicorum à Qualitatibus primis, secundis vel tertiis derivant; vel astrorum influentiæ, vel occultis qualitatibus imputant; nam qui has non causas catalogo causarum inseruerunt; Ignorantiam suam apertè confiteri noluerunt,sed hujusmodi eam involucris involvere,ut mitius appareat inscitiæ crimen. Non mirum est, hominem ab inferioribus spiritibus, concupiscentiis, scientiis, virtutibus deorsum trahi vel deprimi, depressumque aliquandiu premi vel omninò opprimi, nisi

nisi presso vel depresso supernè succurratur, citius quàm omninò oppressus fuerit, liberari cupiens. Cœlum neminem deprimit, multo minus aliquem premit aut opprimit, sed elevat, vel ab oppressione liberat omnes, qui sub onere terrestrium dominiorum pressi, prementibus vel opprimentibus se opponunt, & pro viribus renituntur. Qui latebras mundi hujus amant, vel ideò vivere & benè valere cupiunt, ut voluptatibus mundanis, curis, divitiarum, honorumque delitiis indulgere commodius possint; per me cuique licet quod libet, nos nec sanitatem ideò nec vitam speramus, sed saltem ut de die in diem & melius vivere & sapere discamus. Galenus & Hippocrates, aliique celeberrimi Medici, multa contulerunt beneficia in incolas mundi hujus, per eorum inventiones, statuta, dogmata & remedia; Sed multa plura & excellentiora dedit, dat, seque daturum promittit mortalibus Divina sapientia, omnibus ejus doctrinas audire & sequi paratis: Plures morbos curavit Christus ejusque Apostoli, quam Galenus, Hippocrates, vel alii & antiqui & recentiores, Medici quamvis celeberrimi; Omnia certe poterimus & nos Christiani, quæ ante nos unquam fecit Prophetarum aliquis, si saltem tantâ mentis promptitudine adhæserimus Deo, sicuti illi. Nam Deus mentem non mutavit, nec mutabit aliquando; nec fefellit vel fallet aliquem; Qui agglutinatur Domino, est unus Spiritus cum eo; Sonuit vox spiritus, ante annos mille & plures; Eadem sonat & hodie; Si itaq; in nobis idem fuerit affectus qui fuit in Christo, eadē & nos faciemus, quæ fecisse audimus illum; imò & majora, dixit dominus ipse. Non nisi homines fuerunt Moyses, Elias, Prophetæ denique & Apostoli omnes, quamvis mille sui temporis excelluissent alios; Et nobis fiet idem, si illis similia affectaverimus. Verùm quia pauci admodum sunt hodie Theodidacti; non in Deo causa est, sed in nobis illius defectus; pauci enim affectant à Deo doceri; omnes non nisi ab hominibus; non credimus enim aliquem à Deo immediatè doctum evadere posse, nisi id fiat

per media nobis cognita & consueta; Quia autem non credimus, ideò nec affectamus; Quid mirum itaque, quod Deus nobis invitis non offerat dona sua; vel ingratis auferat & ea, quæ majoribus nostris contulerat.

CAPUT V.

De Sanguine, ejusque Accidentibus.

SECTIO I.

De Sanguine in hoc capite philosophari constitui; Philosophari inquam, non autem aliorum opiniones de eo, hinc illinc consarcinare, vel dicta dicere; multò minus sententias virorum naturalium mysteria scrutinio occupatorum suggillare, & ex contemptu eorum gloriolæ, apud imperitum vulgus; vel pecuniæ non autem sapientiæ avidos, insidiari. Michaeli Watsonio ejusque farinæ hominibus id relinquā; Qui nempe sine aliorū scriptis nihil possunt, nihil sciunt, atq; sapientià vacui aliorum scripta allegant, ut habeant quod loquantur, quod scribant, quod rodant; quo, per vomitum quasi ejecto cibo, suos pascant auditores, discipulos, lectores; lacte sapientiæ titulos saltem tinctos extrà, non intus animos bajulantes; Inter suos garruli; inter sapientes magis muti quàm pisces, aut non nisi contradicere, sine ratione & judicio; vel calumniari, & malitiosè audita vel lecta interpretari, edocti. Ob defectum fidei intus, externis testimoniis & recommendationibus indigi, creperæ admodum, sed alienis pennis ornatæ corniculæ. Suspicor, quod ad talium judicum tribunal meum quoq; hoc præsens rapietur Scriptum; nihil tamen metuo talium vulturum rostra, harpygiarum ungues; prædonum uncos; Latrent itaque, rodant, rideant, contemnant, invideant, ut se & canes esse, & canibus

bus pejores demonstrent; Nos agemus, vel agere non cessabimus quod talium Spirituum irâ & invidiâ dignum est; Scilicet pergemus eniti, quo nos bestiales animi sequi non poterunt, multò minus assequi quod nos quærimus, & assecuturos speramus, jussibus & promissionibus Divinæ Sapientiæ suffulti. Sanguinem, dixit Moyses, esse animam carnis. Si igitur sanguis anima carnis est, tum omnes nos & singuli animalem vivimus vitam quousque in corpore hoc animali, sive carnis & sanguinis, concupiscentias animæ carnis exequimur; Nec alia sunt nobis speranda vel metuenda in vita hac, quàm talia qualia extra nos inter species animales fieri videmus. Nec est alia differentia inter affectus animales & humanos, quousque non mutaverimus animum sive per spiritum regenerati fuerimus, quàm externi corporis figura, sermocinationes & gestus; Nam quousque non nisi possumus, cognoscimus, concupiscimus, quod possunt, cognoscunt, concupiscunt extra nos animantia; tum eousque uno eodemque spiritu agitamur & illa & nos; nisi quod numerosiora per nos fiant, quia corpus hoc ex pluribus compositum est membris, quam corpora bestiarum. Sed nostram cum brutis convenientiam vel disparitatem alibi demonstravimus; hic tantum affectus sanguinis materiales, sive in omnibus & singulis nostrum semper præsentes examinabimus. Unde videlicet & ipse generetur, & ea, quæ in eo generata, per actum digestionis ejus ordinariæ & extraordinariæ ex ejus anatomia indesinenter excernuntur, vel excerni postulant, ne longius in nobis retenta nos offendant, gravent, lædant; sensus & sensoria molestent, vel omninò destruant, atque sic conversationem nostram cum rebus mundi hujus turbent, vel aboleant. Multa quidem & varia commentarunt de sanguine Gentiles Philosophi, Physici & Medici, scitu non inutilia; Verùm quia nulla est certior doctrina vel scientia, quàm quæ docetur in schola Prophetarum, etiam de rebus sonans mundanis; ideò nunquam acquiescemus in authoritate præce-

ptorum juventutis nostræ, sed sæpè recurremus ad scripta Prophetica in scrutinio naturalium, ut nos non probabilia saltem, sed & vera dixisse & scripsisse velle sciant horum lectores.

SECTIO II.

UNde Sanguis generetur in nobis, ubi, & quomodo, docuimus in Fragmento Spagyriæ nostræ. Hic & illa repetemus, & alia recensebimus scitu, præsertim Medicis, utilia, imò & necessaria; Nam qui Sanguinis mysteriorum ignarus est, illius scientia nulla est; Ex sanguinis enim substantia, tanquam ex abysso, scaturiunt infinitæ saporum, odorum, colorum, calorum, frigorum, humiditatum, siccitatum, ponderum, motuum in nobis varietates; Sanguinis quidem substantia homogenea est; sed mille heterogenearum formarum, utilium & inutilium ferax. Est quidem domicilium animæ; sed præter animam infinitas complectitur virtutes per intervalla animæ ministrantes, & rebellantes: molestas & inimicas; scilicet vegetabiles, minerales, meteoricos, metallicos spiritus, ultra quam quod animalibus concupiscentiis & astutiis abundet. Per universum quidem corpus dispersus est, attamen omnibus membris eorumque substantia valde distinctus; & nomine & officiis; aliquando enim post desinit esse, quod fuit prius; nam caro fit, quod prius sanguis fuit; Ex non sanguine sanguis factus. Vasa, quæ eum sub sanguinis forma & nomine custodiunt, venæ sunt & arteriæ, eorumq; propagines capillares, sensim in carnes & cartilagines, tendines, ossa, membranas, ungues, pilos desinentes. Quamvis autem venæ & arteriæ, vasa sanguinem solum continentia dicantur; non tamē omnes omnium rami, sanguine proprio sic dicto, semper turgent, vel referti esse debent; Multi non nisi vaporibus solis distenduntur; vel sanguine vacui esse debent homine benè habente. Arteriæ enim asperæ propagines per pulmonem dispersæ, ab ipso cordis imo hepatis parenchymate, non nisi à vaporibus exsan-

ex sanguine surgentibus venoso & arterioso, attolluntur & deprimuntur; Periculosus est admodum affectus ille, vel sanguinis motus, qui sanguinem ad prædicta vasa vel venas attollit; uti in sequentibus sectionibus demonstrabimus. Ita quoque vasa, venæ emulgentes dictæ, vel seminales; ex trunco Iliaco, non sanguine, sed sero, vel vapore infœcundantur; secus si quid fiat, & sanguis sincerus ad renes, vel vasa seminaria protrahatur vel prolabatur, symptomatici sanguinei motus est indicium; multorum gravium & periculosorum affectuum parens; Nam hinc gonorrheæ bubonesque pestilentes & cneni trahunt originem. Sanguis arteriosus à venoso differt subtilitate, & motus, & substantiæ. Nam arteriosus fortius ebullit quam venosus; hicque illo gravior est, fæcum quoque graviorum ferax; Sed arteriosus vaporum: Venosus, uti gravitata quoque falsior est arterioso; in motuque tardior; Ideo in corporibus brutalibus in ungulas desinunt, propagines venarum pedes contingentes; sicuti in humanis, in callos & ungues. Quantum discrepet sanguis à carne, cujus anima esse dicitur; et inde liquet, quod Deus vetuerit Judæos vesci sanguine, & eorum animalium, quorum carnibus vesci permisit; Sanguis vivit sine carne, sed caro non sine sanguine: ideo à sanguine, omnium animalium, magis periclitamur quam à carnibus eorum derivatis; quia in carne determinarunt, jam suas virtutes, spiritus cujusque animalis, ad quas determinandas destinati fuerant à fatis; sed in sanguine in quieti manent, donec per carnem quietis suæ ultimum contingant punctum. Nervi omnino ex sangnes sunt; Intus medullares, & non nisi subtilissimorum vel spiritualium vaporum capaces, quorum intermedio inferiores spiritus cum superioribus communicant; sicuti vitales cum carnibus, mediante sanguine. Effuso Sanguine exanimatur caro. Sed interrupto ejus motu, vel sublatâ in & exspirationis libertate, suffocatur sanguis; sive aboletur internorum spiri-

tum ni cum externis communio; atque sic utroque modo vita carni subtrahitur, non autem spiritui; nam sanguis in carne, vita carnis est; Sed spiritus vivunt in sanguine, & elapsi ex corpore; sive membris sensibilibus ad sensibilia opera requisitis destituti; Sed vitam spiritualem, in corpore ipsis homogeneo. Sed de his in Philosophia Sacra.

SECTIO III.

Quomodo sanguis differat à sanguine, non saltem in singulis individuis unius speciei; sed etiam in quolibet individuo diversis temporibus à seipso; demonstrare ad oculum non possumus; sicuti anatomici varias membrorum conformationes, tam internorum quàm externorum dissectione artificiali docent. Sanguis enim ex quo innumeræ heterogeneitates nascuntur, quoad substantiam suam, indesinenter manet homogeneus. Attamen ut aliquatenus saltem demonstrare possemus, quod de sanguinis variatione, in diversis individuis diversis temporibus fiente, dicere volumus; Ponemus pro exemplari cujusque individui vitam, per suas ætates & in membris externis, & internis, & concupiscentiarum, actionum, virtutumque modis variantem. Infanti recens nato quoad numerum membrorum ad vitam requisitorum nihil deest; attamen si os, alvum, & penem excipias, externorum ejus membrorum nulla est utilitas, pro præsenti; Sicuti autem in infantibus sensim augentur officia membrorum, ita quoque multiplicantur & concupiscentiæ, & vires, & motus interiorum; Sed in senibus vel ægris hæc iterum deficiunt. Attamen omnia ex sanguine in membra derivantur, & in excrementa, eo non nisi homogeneo semper permanente, attamen in heterogeneitatem indesinenter fluente. Quamvis verò [illegible] in vasis suis hærens; tamen & il- [illegible] continuat, jā levior jam gravior, jam den-

densior jam rarior, jam diffluens jam confluens, jam vaporosus, jam humidus factus vel fiens; tales mutationes ab internis vel externis, sensibilibus vel insensibilibus causis admittens, faciens vel patiens. Sanguis enim quamvis anima sit; non tamen à se ipso habet quod habet, sed tum fatis, tum externis quoque principiis subordinatus est; atque sic vitam communicat carni, vel à fœtu, vel ab extrinsecis infœcundatus principiis; ab his vel illis destitutus, cum nomine sanguinis, & vitæ sensitivæ officia relinquit. In infante recens nato, animalibus officiis promovendis destinatus primùm per integrum corpus, massa est indigesta; arteriosu venoso, hicque illi par, imo & ipsorum nervorum medulla tunc adhuc sanguinea est; ideò si externorum membrorum, vel intestinorum substantias excipias, vel continentium vasorum conformationes; contenta omnia sanguis sunt, vel sanguinea. Sed sensim omnia mutari pergunt, sanguine novi individui officia obeunti; ideò partes sanguinis aliquæ in se ipsas contractæ ad manuum & pedum extremitates labuntur, illicque unguium rudimenta ponunt; aliis in futuro officiis subservituræ. Quibusdam contractis, aliis membra superiora distenduntur à vaporosis; sicque aures ad audiendum, oculi ad videndum de die in diem aptiores redduntur; donec ad pedes sufficiens toti fulciendo corpori graviorum sit coacervata mensura; atque tunc infantes & gradi possunt; sensim ad externa officia facundiores redditi, sicuti sensim sanguinis substantia defæcatur. Et quamvis spiritus plurima simul inchoent; non tamen omnia simul absolvunt simul inchoata; sed alia ocyus alia tardius; Primùm inchoata, longius durant; Ultimà, primis citius intereunt. Pulchro admodum sibi succedunt ordine omnia in corporibus nostris, & insensibilium conformatione, & in republica spirituum imaginativorum; nam sensibus, succedunt judiciorum maturitates; sicuti ex semine germen, ex germine calamus, ex calamo spica, ex spica grana nascuntur; Non citius autem

tem maturitatem assequitur granum, vel maturum nominatur, quam ab involucris suis spontè cadere possit. Sic homo non citius assequitur maturitatem judicii, quàm sibi ipsi prodesse in vita sufficiens sit inserviendo aliis: Non illis quidem qui ipsi servire destinati sunt, animalibus scilicet concupiscentiis, improbitatibus, & virtutibus, Sed Divinæ Sapientiæ legibus; per quas ipse omnium mundi sensibilis creaturarum Imperator & Dominus ordinatus est; quibus nisi parere quis sciverit aut voluerit, æterni judicii reus erit. Alii homines ocyus alii tardius assequuntur maturitatem ultimam vel sensoriorum, vel sensuum, vel judicii; alii in ipso hujus vitæ ingressu à fatis ad tenebras revocantur; alii tardius; In aliquo sanguine animales excellunt spiritus; in aliquo minerales, vel vegetabiles; ideo homines alii aliis sunt dociliores & stupidiores; aliqui in prima, secunda, vel tertia ætate in melius vel deterius mutantur; secundùm internos vel externos affectus. Sanguis enim est oceanus vel receptaculum omnium spirituum, ex scenis inferioribus in nos ascendentium, vitam carnis promoventium, incommodantium, vel corpus destruentium.

SECTIO IV.

Nullus fœtus humanus nascitur ad omnia officia vitalia fæcundus ab ipsius nativitatis exordio; quamvis omnibus numeris quoad sensibilia membra absolutus. Quæ ad ornatum externum corporis, & commoditatem quotidianam faciunt, eorum aliqua ocyus, aliqua tardius subnascuntur. Hic non nisi de dentitione aliqua monebimus; quæ videlicet eam vel proxime præcedunt, vel comitantur, vel sequuntur. Ex dentium numero & signaturis judicant coloni de ætate ovium, boum, caprarum, equorum; aliorumque pecudum: Ita quoque circa dentitionis tempora quædam fiunt notatu digna; futurorum vitæ com-

tæ commodorum vel incommodorum indicia. Dentes in aliquibus individuis, vel eorum rudimenta, quadragesimo nono die erumpunt, à nativitate; rari dentati nascuntur. Aliqui demum septimo mense dentire incipiunt, sive, septimanâ vicesimâ octavâ; alii quadragesimâ nonâ; tardius pauci; sic quoque alii quarto anno dentes mutant, alii septimo. Circa autem singula dentitionis tempora peculiaris sentitur in sanguinis motu, ejusque excrementis, atque sic vel membrorum signaturis, vel internis animi affectibus mutatio. Citius quam eruperint dentes, vel brevi post, aut in ipsius eruptionis tempore, varia patiuntur infantes, non saltem in gingivis, sed & interioribus intestinis, capite, & thorace; pro diversitate salis ex homogenea sanguinis substantia egressum molientis; Non tota substantia Salis in sanguine efflorescentis in dentes desinit, sed aliqua ejus portio & ad nervos pertingit, & ad intestina defertur; Ideo infantes ebullitionem salinorum principiorum extraordinariorum patientes, alii à symptomatibus epilepticis exercentur; alii gibbosi fiunt, manibus, vel cruribus contorti; alii fluxus alvi patiuntur; alii aliis vexantur plagis; alii herniosi fiunt, vel calculosi; aliqui exanimantur tabe; aliqui convalescunt ocyus vel tardius, salis ebullitione terminatâ vel interrupta, aut à fatis aut ab arte. Imputantur quidem effectus tales in patientibus conspicui vel reliquiis menstrui, vel lacti; sed falsò; Nam si à menstruo in patientem derivarentur; aliqua eorum indicia in matre apparerent, quæ fiunt in infante; nec adeò diu occultari potuissent, uti communiter fit, ita ut ad annum usque septimum lateant multa in sanguine infantis toto illo tempore innoxia. Sed plurima ex utriusque parentis semine, aut alterutrius pejora, in infantem transplantantur, justis temporibus efflorescentia. Ita ut ex illis quæ septimâ septimanâ in infante fiunt, de futuris in septenario menstruo vel annali, à prudentioribus fieri possit judicium. Nam ordinario, à qualibus principiis inchoat natura motum suum,

ſive ordinarium, ſive extraordinarium, in talibus cum quoque terminat, aut ei maxime affinibus: Scilicet in ſuo motu retrogrado; eorum autem quæ infernè aſcendunt, ſive ex inferiori familia in ſuperiorem elevantur formæ, materialiter alibi ſubſervituræ; eſt alia ratio. Quæ vero aliquandiu materialiter ſerviebant, ſed hanc conditionem relinquunt, formalemque induunt, illæ in corporibus humanis ſenſim deorſum labuntur; & ad priſtinam revertuntur formam, de die in diem mineralibus corporeitatibus appropinquantes magis; donec membra animalibus officiis exequendis inepta reddant.

SECTIO V.

SAnguinis in arteriarum & venarum canalibus, earumque ramis majoribus & capillaribus contenti ſubſtantia, ſenſibilis eſt & homogenea, quamvis ſapor ejus à colore, odore & pondere, calore & motu realiter differat; hæ enim formæ ſunt ſibi invicem ſubordinatæ, ita ut omnes ſub forma viſibili complecti poſſint; Heterogeneum autem dicitur propriè id, cujus partes à toto ſeparatæ, ab eo non ſaltem formis ſed & nominibus diſcrepant. Excrementa autem ſanguinis à ſanguine differunt variis & formis & nominibus; quoque longius à ſanguine abeunt, tantò magis quoque ab eo diſcrepare pergunt. Sanguinis ſubſtantia rubet & in venis contenta, & extra venas earum diſcontinuatione progreſſa; Sed excrementa ſanguinis, ut bilis omnis generis, pituita, ſputum, urina, ſudor; ecce quantum à ſe ipſis ſingula, ita & à ſanguine diſcrepant omnia; non quidem in eo adhuc occultata, ſed ex venis per digeſtionem egreſſa. Quamvis autem hæc ad oculum, in corpore adhuc hærentia, demonſtrari nequeant; quia viſus noſter adeò ſubtilis non eſt, ut tàm profundè pertingere poſſit; attamen ex externis rebus ratiocinatur mens noſtra de internis; quæ enim extra nos fiunt, ex iiſdem cauſis, eodemque modò fiunt,

fiunt, quæ in nobis. Indefessus est sanguinis motus, arteriosi quidem vehementior, sed venosi tardior in ramis supra iliacum truncum ascendentibus; sed infra descendentibus, æqualis; Ideò arteriæ pulsant illic, non autem hic; in Superioribus membris motus sanguinis arteriosi per systolen & diastolen arteriarum, cordis, pulmonumque elevationem & depressionem, aerisque expulsionem & attractionem, divisus est & sensui manifestus; unde ratio infert, sanguinem arteriosum parte aliquâ in vapores dissolvi, aliquâ autem, quod per vapores ei subtractum fuit, ex venoso restitui. Sicuti autem vapores ex sanguine arterioso per sensibiles meatus foràs egrediuntur, subsecuturos novi aeris attractione ad egrediendum trahentes; Ita quoque excrementa sanguinis venosi solidiora, per manifestas vias & sensibilia emunctoria ex venis labuntur ad communia intestina & ureteres; quantumque substantiæ sanguinis decidit per excrementorum ejectionem, tantum ei iterum accidit, per diapidesin ex nervorum medullis; Novi autem ex spiritibus potulentorum & esculentorum satiantur, sive ex vaporibus omni pondere, sapore, colore, calore destitutis; ita ut in ordine nutritionis primi sint spiritus; tum sanguis; Ultima autem membra: Nam cibi quo pondere ingressi, eodem quoque egrediuntur; quod autem in cibis fuerat formale, id inde à spiritibus attractum, hos satiat, sanguinem autem restaurat; ideò subitò satiatur animal, sed sensim pinguescit. Quod ex cibis primum abit, maxime est volatile vel spiritibus affine; residuum in stomacho post exhalationem spirituum gravat nos, non autem sic cibi, adhuc suis spiritualitatibus prægnantes, & primum in stomachum ingesti. Incisâ venâ, homogeneus inde effluit sanguis. Ita quoque extraordinariò ebulliente intus sanguine; vel per os ejicitur syncerus; vel per intestina cacatur, vel per ureteres mingitur; Ad vasa seminaria immoderatiori veneris lascivæ exercitio protractus, putrescit & gonorrhæas causatur, pluraque pejora mala, nisi maturè ejus talis prolapsus præcavea-

tur. Hiant enim interiora ſanguinis emunctoria, ut & excrementis egreſſus, & aeri digeſtioni ejus neceſſario ingreſſus ſit facilis; ſecus ſuffocaretur ſanguinis motus compreſſis emunctoriorum orificiis. Ab hiantibus autem emunctoriis venarum in hepate concentratis egredientia excrementa, ab hiantibus quoque orificiis inteſtinorum ventris excipiuntur, atque ſic reliquiis ciborum permiſta uno impetu ad monoculum deferuntur; ſicuti orificia arteriarum cordi infixarum ab orificiis hiantibus aſperæ arteriæ excipiuntur, & hinc vapores vel excrementitias exhalationes ex corpore evehunt. Interdum autem per cordis emunctoria ingens copia ejicitur bilis ad canales pulmonum; ſæpè ſanguis ſyncerus erumpit magno impetu; ita ut fallantur & ægri & Medici, exiſtimantes per os ejecta, ex ſtomacho proceſſiſſe; quæ tamen ex arteriis vel venis propriè vehementius ebulliente vel hic vel illic ſanguine protruſæ ſunt. Hinc dyſenteriæ, colicæ, cardialgiæ, bilioſæ & ſanguineæ vomitiones, aliique innominati affectus originem trahunt. Nulla eſt tunc ſtipticorum utilitas, imò magis noxia adhibitio. Repercuſſiva hic efficaciſſima ſunt, ſanguinis æſtum & ebullitionem mitigantia: Nam compreſſis emunctoriis externis, ad interiora fit ſanguinis impetus; Phlebotomia hic quoque adhibenda, nam detractâ ſanguinis quantitate aliquâ, ſubſidet ejus immoderata ebullitio; quamvis à metu recidivæ non liberet patientem, niſi ſal ſuâ diſſolutione ſanguinem attollens, à ſanguine ſeparetur, repercuſſivis vel decuſſivis; ſive diureticis vel diaphoreticis. Ex fervente interdum ſanguine copioſiores tantum vapores ad caput ſublimantur, ſubſtantiâ ſanguinis nihil diffuſa; & prout vapores illi in ſaporibus ſuis variaverint vel conſiſtentia & colore, ſic quoque variant capitis affectus, alii ad aures irruunt, & tinnitus efficiunt; alii ad oculos pertingunt, viſumque variis ſpeciebus coloratis turbant; alii vertiginem cauſantur, alii ſternutationem; alii hæmorrhagiam arroſis venarum capillarium filamentis; alii depilem verticem capitis red-

reddunt: alii innoxii evanescunt, in somno per insomnia dispersi & discussi.

SECTIO VI.

HI affectus ex sanguine in superiora impetum faciente orti; non saltem per se molesti sunt & periculosi, sed futurorum pejorum quoque prænuntii; Vani quoque sunt motus ejus in ramis trunci iliaci descendentibus; Vel collateralibus; Collaterales ramos, voco venas emulgentes dictas; Et vasa spermatica; Hæ enim venæ exsangues sunt, vel esse debent, animali benè habente; Urereres enim sali evacuando, vel sero sanguinis salso seu urinæ, sunt dicati. Vasa autem spermatica in pueris & puellis junioribus sanguine vacua vaporibus non nisi distenduntur; quousque sperma generari incipiat, iisq; salsis sed per penem & matricem exspirantibus. Nonnunquam autem sanguis mingitur, ab utroque sexu, vel grumi sanguinis instar carunculæ granulatæ cum magno impetu ex membris genitalibus excernuntur; Atque hæc symptomata ab iisdem causis derivantur, à quibus biliosæ, vel cruentæ vomitiones; Extraordinariâ scilicet sanguinis digestione, vel ab interno astro sanguinis, vel ab aliis externis causis irritata. Puellæ minorennes, septennes vel novennes hoc affectu afflictæ, magnos sentiunt dolores, quasi menstrua prorumpere vellent; attamen symptomaticus est talis sanguinis fluxus; cessat enim, sanguinis digestione fortiori sopitâ; nec est pro naturali habendus, ante annum quatuordecimum etiamsi sæpius recurrat. Ab hoc principio in adultioribus derivantur gonorrheæ, & spermaticæ pollutiones, alba vel biliosa menstrua; cum suis speciebus. Interdum sanguinis motus vehementior in venis inferioribus ad truncum iliacum non pertingit, sed in venis femoralibus subsistit, & per venas ani suas exonerat fæces; unde varii quoque surgunt affectus nominati & innominati. Interdum adeò grave est

ſal venarum inferiorum, ut ultra genua non aſcendat, ſed infra per ſpaſmos ſe manifeſtet patientibus. Imò quandoque adeò acre eſt, ut ruptis venis pedum copioſius effluat; Vel niſi hoc modo evacuetur ſalſis ſuis tincturis carnem vicinam in tumores, vel ulcera attollat; Sed talibus affectibus ſalinis obnoxii, quamvis infra doleant, ſuprà tamen ſunt ſaluberrimi, & adverſum contagiones extrinſecas tutiſſimi: Niſi inferiora ulcera ſponte vel quocunque modo conſolidata fuerint, tunc ab eis & ſuperiores venæ inficiuntur, tanto periculoſius quantò plures tincturæ ſali inhæſerint infernè ad ſuperiora attracto vel propulſo. Sal enim ſolus eſt & voluptatum & dolorum parens; Nam ſicuti ſuaviter titillat, mitis; ita furit & urit, à quacunque cauſa exaltatus. Cruenta itaque minctio non oritur à vena rupta, uti ineptè loquuntur Medicorum quidam; Nullæ enim ſunt venæ ureteribus adnatæ; vel ſi aliquæ tales eſſent; quomodo poſſet ſanguis ex vena rupta effluens in ureterem influere, niſi hic quoque ruptus eſſet; Et quamvis hoc contingeret, per quam rationem potius ſanguis ex vena ureteri influeret, quam urina ex uretere in venam. Quæſo Domini Medici examinate verba veſtra citius quam aliqua loquamini, nam non tantum cum rudi plebe, vel fatuis mulierculis vobis res eſt; ſed ſæpe cũ viris ſapientibus; qui auditis veſtris vanitatibus, quamvis taceant, de vobis & de Arte veſtra turpius judicant; Satis eſt, quod nobiliſſima Ars, à Regibus ſolum exculta olim, hodie à circumforaneis aliiſque eis ſimilibus impoſtoribus proſtituta de die in diem vileſcat magis. Subſtantia venarum & arteriarum differt; uti Anatomicis notum eſt: Et quamvis ſanguis quoad nomen & colorem in utriſque idem eſſe videatur, tamen revera multum hic ab illo diſcrepat, & ſapore, & pondere, hasque formas comitantibus ſignaturis; Ideò alii affectus à venoſo, alii ab arterioſo derivantur. Non ſine cauſa diviſit Natura ramos à trunco iliaco aſcendentes in venas & arterias; ſed deſcendentes venoſos ſaltem reliquit; Ita

motum

motum ſanguinis arterioſi in ſuperioribus partibus, diſtinxit à motu venoſi; ſed ut nos doceret diſcrepare quoque eorum officia & principia, ſubſtantias & excrementa; Venæ & arteriæ exonerant ſe ſuis fructibus & excrementis per venas emulgentes & vaſa ſeminalia. Sed per hepar venasque ei infixas non niſi venæ, vel ſanguis venoſus; Per cor autem & pulmonis canales, potius arteriæ quàm venæ. Quæ verò à trunco Iliaco per venas usque ad extremitates unguium pedum diſperſas aſcendunt vel deſcendunt, ea venoſi magis ſanguinis redolent naturam infra; ſed ſupra, utriusque communicant; Igitur in omnibus affectibus & ſuperiorum & inferiorum membrorum Phlebotomia in extremitatibus pedum inſtituta, ad curam & præſervationem eſt accommodatiſſima; Quamvis è ſuperioribus venis, urgente neceſſitate inſtituta, ſuâ utilitate non deſtituatur; Interdum cucurbitulæ ſine, vel cum ſcarificatione, extremitatibus; manuum vel pedum admotæ, multum quoque conducunt.

SECTIO VII.

Sicuti per ſedes & urinam ſæpè varia excernuntur cruenta, bilioſa, purulenta, ultrà ordinarias fæces; Ita quoque per os multifaria redduntur; Non ſaltem ex ſtomacho per œſophagum ſed & aliunde præcedentia. Nam jam cibulentæ & potulentæ materiæ redeunt; jam clyſteres ab infra injecti; jam menſtrua; jam bilioſi humores; jam ſanguis; jam purulenta; jam mucoſa; jam & ea, quæ præſtigiis dæmonum patientibus injecta dicuntur: de quibus varia fabulatur Medicorum vulgus: Ita ut quidam pulmonis, imò ipſius jecoris parenchyma hoc modo ejici exiſtiment, patientibusque perſuadeant, omni ratione deſtituti: quamvis ſuos quoque inter Practicos talium erroneorum judiciorum habeant patronos. De rei veritate nullum eſt dubium; nam in quotidiana praxi plurima occurrunt hujus rei exempla

xempla; Pulmonis autem vel hepatis parenchyma aliquando per os ejectum fuisse, commentum est delirorum & ratione omnis destitutorum. Quomodo cibi, potus, vel clysteres ad stomachum vel ad os usque regurgitent, ad oculum demonstrari potest. Sed quomodo menstruus sanguis, vel fœminis, vel sæpè syncerus in viris, ad os derivetur; vel biliosus humor, & alia per vomitum quandoque egredientia; difficilioris est indaginis & profundioris scrutinii. Omnia per easdem vias excerni vel ad os deferri est impossibile; nam nullus datur sensibilis processus omnium indifferenter ad os; nec etiam omnia per œsophagum ejiciuntur, sed ciborum saltem reliquiæ & clysteres, vermes, & [illegible] norum inferiorum stomachique contenta; biliosæ dejectiones, cruenta vel purulenta; per asperam arteriam ad os deferuntur & ex arteriis plura quàm ex venis eo derivantur. Sicuti per canalem ani non tantum stomachi & intestinorum fæces, sed [illegible] narum, per mesaraicas eò delatæ, excernuntur. Quia autem sensibilia, humida & ponderosa sunt omnia supernè effluentia, [illegible] per sensibiles quoque meatus ferri debent usque ad locum egressus sui: hiat autem orificium œsophagi & arteriæ asperæ, ita ut sine omni impedimento egredi possent quæcunque ab in[illegible] impetibus eo propelluntur. Sanguis quidem uterque, & [illegible] riosus & venosus, est in motu perpetuo; sed motus ejus sæpe [illegible] riat, ita ut jam vehementior sit jam remissior, in venis, aut [illegible] teriis, & plures interdum vapores ex arteriis; vel excre[illegible] tios succos ex venis, excernat, & foras protrudat. Non ex [illegible] cho vel per gulam, ascendit biliosus humor, qualem sæpè v[illegible] ægri valde copiosum; sed ex sanguine ebullit eoque [illegible] & per guttur ad fauces defertur; non nunquam virtute [illegible] mentorum violentiorum, sæpe ab intrinsecis principiis [illegible] to sanguine. Ideò sæpè lypothymias comites habet, & [illegible] culosissimos affectus, cum singulari virium & subita p[illegible] ne: per eosdem quoque canales erumpit sanguis sæpè, in [illegible]

Bene

ficis; vel fœminis menstrui obstructionem patientibus. Sæpè à tali arteriosi sanguinis ebullitione exanimantur ægri; ita ut non in ipsa mortis hora, sed demum aliquot post mortem vel horis vel diebus, & biliosus humor, & sanguis per os & nares copiosius erumpat. Cujus eruptionis causam, interno apostemati vel vomicæ ruptæ, imputant cum vulgo ratiocinantes Medici: Motus sanguinis, eorumque causas ignorantes.

SECTIO VIII.

DE motu Sanguinis, ita & de vasorum sanguinem continentium, arteriarum nempe & venarum conformatione, situ, aliisque sensibilibus discrepantiis tum continentium vasorum, tum eorum contentorum philosophantur, pro & contra Medici; Nos hic saltem de illis philosophabimur, quæ à paucis in controversiam trahuntur, sed sine omni falsitatis & erroris suspicione à doctoribus docentur, & discipulis discuntur, sub communis opinionis authoritate. Affectus ille, qui fluxus hepaticus dicitur, Germanis Lungen und Leber stechen; Quoad nomen quotidianus est; sed falsissima illius nominis deductio; Dicitur enim, tali affectu afflictos, pulmonis vel jecoris paréchyma supernè vel infernè dejicere; quo nihil poteſt à Medicis fingi, & ægris persuaderi falsius; si saltem illi⁹ affectus periculum tali appellatione depingeretur, sufficeret hoc modo errasse; sed quia re vera ita fieri docetur & creditur; turpior est dolus vel error & Medicorum & ægrorum, quàm ut excusari possit. Quod parenchymata interiorum membrorum, hepatis, cordis, pleuræ, pulmonis, lienis, renum, multifariis sint obnoxia affectibus, qui in ea, à variè illic affecto sanguine derivantur, libenter concesserim; sive quod in prædictis membris scirrhi, ulcera, vel vomicæ, aliusque generis inflammationes nasci possint, imò & quotidie tales ægri ubique terrarum deprehendantur; de eo nullus dubito; Sed quod ali-

qui ægrorum, absque evidenti continuitatis læsione aliquid de pulmone vel jecore per screatum vel secessum ejecerint; id est falsissimum; Intestina sæpe in scrotum prolabuntur, vel ex ano à flatibus vehementioribus propelluntur quidem; sed parenchymata supra nominata, vel eorum aliquas particulas extra corpus propelli posse, nisi dissecto vel rupto corpore; manifestus est vel error vel dolus. Venæ enim vel arteriæ per pulmonem & jecur dispersæ nullibi hiant, nisi in extremitatibus suis, quæ ab aliis intestinis vel eorum orificiis excipiuntur; non se autem tantum simpliciter contingunt, sed unius substantia alterius est continuatio; ita ut nulla exspirare possint, intus contenta; multò minùs extrinsec⁹ aliqua sensibilia illabi. Sit ita quod in pulmone vel jecore tumor adsit aliquis, vel vomica, vel ulcus, substantiam ejus arrodens, & in purulentam convertens consistentiam; nequaquam tamen id, quod in parenchymate eorum est extra venas, in venas intrare, & per eorum canales alio deferri possit, nisi substantia quoque alicujus venæ intestino illi infixæ, perforata sit, quæ aliunde influens pus, excipere possit; rupta autem alicujus venæ continuitate, sanguis effluendi potius acquireret occasionem ex vena; quàm aliud quid extrinseci in venam influendi. In sanguinis enim substantia impetus est motus; non extra in carnibus, quibus venæ obvolvuntur. Ideò à sanguine membra infici possunt, sed non sanguis ab externorum membrorum ulcere vel vulnere. Hepar vel pulmo plumbea glande trajectus, consolidatur; nisi aliqua venula illic, vel hic arteria læsa sit; horum enim minima discontinuatio lethalis est. uti suo loco docebimus. Qui Urinam non mingunt, sed sanguinem syncerum aut urinæ permistum; in illis nulla vena rupta est; nam ex rupta vena prosiliens sanguis non posset in vesicam ferri, sed in concavitatem ventris labi oporteret; nam venæ emulgentes spinæ adnatæ sunt, atque unâ sui facie versus spinam, alterâ versus intestina obversæ; ita si ab hac parte eorum continuitas læsa esset, in

cor-

corpus; si ab altera, versus spinam stillaret sanguis; non autem in vesicam; Et continuus esset sanguinis fluxus à rupta vena derivatus, non autem periodicus; atque lethalis, nec convalescerent ægri à tali affectu; cum tamen facilis sit ejus cura; extra annos climactericos scilicet.

SECTIO IX.

STillant sæpè sanguinem nares; sæpè inde ac ex canaliculo quodam effluit, Venarum ramis ab acrimonia intrinseci salis, vel externarum causarum violentiâ ruptis; sed quamvis interdum diutius continuet fluxus ille, & patientem valde molestet vel debilitet; tamen per os uno impetu plus ejus quandoque erumpit, quam per nares longius continuato fluxu, cumque patientis singulari molestia & periculo. Ita ut si non aliunde, ex his tamen indiciis investigari possit illius tàm copiosæ eruptionis causa & modus; Nulla enim vena etiam omninò abscissa, tam multum sanguinem simul & semel ejicere potest, quantus ille interdum ex ore per vomitum prosilit, syncerus & homogeneus, nulli omninò humore permistus; & sic concrescens in grumos in vasis quasi per phlebotomiam extractus fuisset: libras tres, primo & uno impetu juvenem annorum viginti, evomuisse vidimus; secundo, circiter libram unam eadem die; tandem nunquam adeò copiosum, sed quotidie sputum cruentum & purulentum; donec tandem non nisi purulenta subsequuta fuissent, ad ultimum usque ægri spiritum; corpore sic emaciato, ut non nisi sceleton membranâ involutum videretur mortuus. Affectus ille per septem integros menses continuavit, ab exordio ad finem usque vitæ patientis, cum luna ingravescens & remittens; Hæc enim est salis proprietas in corporibus humanis contenti; maris fluxum vel reciprocationem imitari; atque circa novi & plenilunia intumescere magis: Illæsâ pulmonis substantiâ sæpe imò pluri-

plurimum exoriuntur ſanguinis eruptiones largiores,in ſubjectis iracundioribus; nam à ſale affectus animi acuuntur, & reciprocè ab affectibus animi ſal in ſanguine hærens ad motum extraordinarium irritatur, ita ut ſe in vaſis ſuis ordinariis continere non poſſit, quamvis, citra talem occaſionem, ſatis commodè & citra omnem moleſtiam,illic moveatur. Emunctoria arteriarum verſus pulmonem hiantia, non ſanguinem ſed vaporem ſpirant, qui ab arteriis pulmonum exſanguibus identidem excipiuntur,& per fauces exſpirant, tantumque aëris reddunt cordi, quantum prius vaporum acceperunt inde; fit tamen ſæpe, quod pluribus vaporibus refertum ſit cor, quàm quod uno exſpirationis actu eis alleviari poſſit, ideo in periculo ſuffocationis eousque eſt patiens, quousque vel cor per exſpirationem exoneretur, vel ebullitio ſanguinis plurium vaporum ferax ſubſideat. Quamdiu pulmo nihil à corde recipit præter vapores ordinarios, nihil quoque excernit præter vapores; ſi verò ex corde receperit ſanguinem purulentum,vel ſyncerum; talem quoque per os ejicit cum magna moleſtia reſpirationis, & patientis periculo. Interdum ramenta ſanguinis in ventriculis cordis hærent ex arteriis egreſſa, atque illic hærentia putreſcunt,ſive colorem ſanguinis ſenſim relinquūt, & purulentum vel pulmoni ſimilem induunt, fibris concretis ſtriatum; ita ut tali ſuà ſpecie imponat rudioribus,pulmonis ſubſtantiam ſimulans; cum revera ſanguis ſit; Violentioris concuſſionis extrinſecæ, vel acris ei inhærentis ſalis impetu ex arteriis pulſus. Ideò ictu extrinſeco mactatorum animalium cordis ventriculi ſanguine replentur,ita & ſuffocatorum, citra hanc occaſionem à ſanguine vacui. Cui libuerit communem ſententiam de hoc affectu ſequi, per me cuique licebit; Mundus vult regi opinionibus, imò mavult falli probabilibus, quam duci veris; Qui verò rationes cum rationibus conferre ſciverit, deprehendet, quantum diſtent æra lupinis. Hoc tamen certum eſt, quod hæmorrhagia frequens; aut rara, ſed largior, ex

par-

partibus superioribus, tabis vel hydropis sit brevi subsecuturæ certissimus index.

SECTIO X.

NOn autem solus sanguis arteriosus vaporosus, sed & venosus, talis est; attamen plures vapores spirat arteriosus; Venosus autem plura excernit ponderosa, sive crassiora; ideo hic per jecur eique insitas venas ad intestina communia suis excrementis vel superfluitatibus exoneratur; Arteriæ autem per cor & pulmonem. Sanguis nunquam suo destituitur motu, sed interdum fortius turbatur, ita ut extraordinariò plures & vapores spiret, & humores excernat copiosiores; quorum exspiratio difficilior, largior alvi, urinæ, sudoris eruptio, sunt fructus; & extraordinarii sanguinei motus indicia indubitabilia; nec opus est ut pulsum tangamus his indiciis præsentibus, nam & pulsus, & supra recensita, unius radicis germina sunt: atque cessante uno cessant omnia; quamvis pulsus arteriosi sanguinis, ita & sudores; sed urina & alvi fluxus parcior aut largior, venosi motus sunt indicia. In arteriis quæ sunt aut fiunt ea sunt periculosiora reliquis; quamvis in venis quoque hæreat sæpe atrox malum; sed hoc illo tardius est. Lipothymiæ, earumque comites animi deliquia, & biliosæ vomitiones ex arteriosi sanguinis ebullitione derivantur; Alvi autem tormina, fluxus immoderati, dysenteriæ, lienteriæ cum suis speciebus, à sanguinis venosi procedunt excretionibus; quæ sæpe sic acres sunt, ut etiam aquæ fortis nominatæ, saporem æmulentur, imò & excellant; Solent autem interdum à lapsu, vel capitis contusione, cruentæ vel biliosæ sequi excretiones, quæ communi opinioni, de rupta vena, patrocinari videntur. Sed nos illius falsitatem jam aliquoties demonstravimus. Abjiciatur vas humorem continens supernè deorsum, ex ejus orificio superiori prosiliet humoris intus contenti

aliqua portio, etiam vase continente illæso; Idem quoque sæpius contingit in corpore nostro, nam lapsum ab alto, vel ejus concussionem sequitur vomitus, vel sanguinis, vel urinæ subita eruptio; In laqueo strangulatis sanguis quoque erumpit, non quidem per os sed per nares; ita quoque infernè vel stercus vel urina; Compressis enim vasis continentibus vel concussis, humor contentus orificia quærit; sed talis eruptio cujuscunque humoris non est adeò periculosa ac ea quæ ab interno surgit principio, absente omni externa causa. Quod verò patientes non saltem in ipso lapsus momento, sed aliquantò post sanguinem spuant, inde non sequitur venam ruptam esse, sed sanguinem in cordis ventriculos per concussionem corporis elapsum illic contineri, atque irruentium in eum ex venis vaporum impetu sensim excerni. Quod dum fit, omnia se intus bene habere, ad oculum patet; quod si autem à lapsu vel urina, vel excrementa alvi vel sanguis nullus exeat; tum certum est Vasorum internorum aliquod ruptum esse atque inde effluentem humorem in concavitatem corporis labi, atque patientem certò moriturum esse: quia id quod effluxit semel, vel tandem fluere non cessat, in corporis concavitate coacervatum, evacuari nequit, sed suo pondere opprimit patientem; vel putrescens variè incommodat, ad vitæ usque finem. Ideo sanguinis eruptio à lapsu per os conspicua, vel urinæ, est res boni ominis: Animali scilicet superstite post lapsum relicto. Sed subitò exanimato; alia est ratio.

SECTIO XI.

SAnguis arteriosus à venoso ex colore dignosci nequit, uterque enim rubet; sed ex motu & pondere alter ab altero dijudicari potest; nam arteriosus adhuc in vasis suis hærens fortius movetur semper; Venosi motus est tardior; hic quoque illo crassior & gravior est; ideò ex hoc humores varij excernuntur, sapo-

sapore, odore, colore, pondere discrepantes; ex illo saltem vapores halant, & per pulmonem exhalant; quamvis & hi interdum suliginibus variis vasa per quæ exspirant inquinent; à quibus variæ quoque molestiæ in pectore sentiuntur, sed non adeò periculosæ ac è sanguine fortius ebulliente, & à principiis salinis intrinsecis inflammato. Sanguinis quoque motus non est in omni subjecto æqualis, sed pro diversitate subjectorum & salium sanguini inhærentium in singulis variat; Imò nec in eodem subjecto in æqualitate graduum continuat, sed jam intensior fit jam remissior, ita ut cum Luna crescat & decrescat; non quod Luna ei aliquid influat; sed ea est salini principii constitutio, quod semel motum inchoavit, scilicet cum Luna variari. Existimo autem ego quod propè unguium radices, & in manibus & in pedibus, coalescant rami arteriarum & venarum, atque ex utrisque simul vel amborum excrescentiis ungues sua capiant incrementa; Ex excrementis autem utrorumque in locis prædictis putrescentibus, nascuntur pterygia sæpe, & alia eis similia ulcera, vel in exulcerationem desinentes tumores, valdè molesti & periculosi patientibus. Anthraces, petechiæ, vomicæ, exanthemata, in pedum extremitatibus uberius quàm alibi propullulantia, perniciosissima & periculosissima sunt, quāvis pedes inter ignobilissimas recenseantur corporis partes: præsertim si æger in principio morbi de dolore pedum conqueratur citius quam decubuerit; Cadente autem morbo, vel convalescente ægro; in pedibus efflorescentiæ aliquomodo conspicuæ, tali periculo destituuntur; quamvis omninò innoxiæ non sint, præsertim si subitò evanescant, semel natæ: Nam ab infra fiens, periculosissima est sanguinis utriusque infectio; Igitur sæpius ungues resecandi ut novi succrescant, & per eos fæx & venarum & arteriarum ex corpore propellatur.

SECTIO

SECTIO XII.

NOlo hic agere perſonam hiſtoriographi, & recenſere exempla ad rem præſentem facientia; Vel imitari eos Medicos qui per Empiricas curas, effectus varios medicamentorum ſuorum divulgant; cauſas reticentes, vel ignorantes. Nec etiam philoſophari ſicuti philoſophantur, vel ſe philoſophari exiſtimant, illi, qui rationes aliorum allegant, propriiſque deſtituuntur; aliorumque ſcripta ſugillando, apud imperitum vulgus laudari affectant; nihil laude dignum agentes. Nihil quidem ad me quomodo quis tractet ſua; verùm quia à talium canum rinctu & latratu ſæpius infeſtor, neceſſe eſt ut quandoque baculum calamo permutem; ut ſciant me nequaquam metuere eorum faciem, nec latratus eorum expaveſcere. Reperient ſpero brevi quod quærunt; ſimiles nempe ſuis labris lactucas, ut habeant quod rodendo dentes fatigent. Tu autem Chriſtiane Lector ſic lege & judica mea, ut ea Philoſophum legiſſe & judicaſſe ſentiam, non Watſonium. Hæc mihi furiæ illæ extorſerunt; & extorquebunt invito plura; jam ad Sanguinem examinandum revertemur. Sanguis indeſinenter movetur quouſque homo vivit; ſed motu non locali, nec circulari, ſed motu digeſtivo, ſicuti muſtum, & quivis ſuccus vegetabilis recens expreſſus, movetur citius quam corpori noſtro alendo idoneus fiat. Movetur inquam ſanguis uterque in vaſis ſuis, & venoſus & arterioſus; ſed hic illo rarior & levior eſt; Ille autem hoc & craſſior & gravior. Arterioſus per aerem extrinſecus attractum ſubtilizatur, ut vapores novos vaporibus egreſſis per pulmonum lobos ſubſtituat, cui tantum iterum à nervis inſtillatur vaporum vitalium, quantum excrementitiorum per exſpirationem demptum fuit. Venoſus autem ab arterioſo reſtauratur, quantum nempe illi per excrementa ad inteſtina ablegata, vel ad unguium extremitates

præ-

præcipitata, deceſſit; Non carnes, vel pinguedo, vel membra torpent deſtituta ſanguine; ſed ſpiritus ſunt primi qui defectum cibi & potus ſentiunt, primi qui eſuriunt & ſitiunt; primi qui cibulentis & potulentis materiis ſatiantur & quaſi reviviſcunt; poſt hos vapores, poſt hos ſanguis, tum caro & oſſa, demum pinguedo vel adeps. Urina & ſudor ex vaporibus ſubtilioribus utriusque ſanguinis, ſed bilioſus, bituitoſus, melancholicus humor, ex vaporibus coarctatis & pondere veſtitis trahunt originem; quæ gravia in Venis fiunt ea ad ungues præcipitantur, & immota ad radices eorum quieſcunt, donec ſenſim in ungulas, in beſtiis & pecudibus; in homine autem in ungues, calloſque concreſcant: certo & illic deſtinata uſui, quousque ponderoſitatibus veſtita quieſcunt. Quodſi verò illic putruerint, tum vapore ſuo omnia vaſa ſanguinea, & arterias & venas inficiunt.

SECTIO XIII.

Quia autem ſupra ſcripta à nobis, aliunde deſcripta non ſunt, ſed ratiocinatione mentis meæ ſaltem elaborata; ideò ſemel adhuc ea repetere quæ dixi volo; ut quamvis nova & inconſueta lectoribus apparuerint, certis tamen & firmis rationib⁹ ſuffulta eſſe demonſtrentur. Qui ea recipere volet, recipiat; qui nolit, mea mihi relinquat; nemini ideò ſuccenſebo; qui verò ea firmis rationibus refutare ſciverit; nec ille mihi eſt ingratus futurus; ſi ſaltem philoſophum ſe eſſe comprobaverit, & non momum. Arterias venasque diximus eſſe vaſa ſanguinem continentia; attamen non omnes ſic nominatæ ſubſtantiæ, tales ſunt; ſed quædam venarum & arteriarum propagines exſangues eſſe, Anatomia, vel artificialis membrorum corporis humani ſectio, docet. Inter exſangues venas primæ ſunt; Venæ Meſenterii, vel Meſaraicæ dictæ, ex hepatis concavo verſus inteſtina propendentes; Hæ venæ, ſicuti & communis fert ſcholarum ſententia,

non ſunt dicatæ ſanguini, ſed chylo aut chymo, ex ſtomacho ad hepar ferendo, illicque in ſanguinem commutando; Conſentiunt itaq; hic nobiſcum ſcholæ; quamvis in alio ſenſu à nobis valde diſſentiant, de contentis nempe venarum earum; Nam ſcholæ docent ſuccum cibulentarum & potulentarum materiarum, per dictas venas ſurſum rapi ad nutritionem futuram neceſſarium; ſed nos ſentimus per venas illas omne excrementitium ex omnium venarum anatome per eas vias ad communia inteſtina labi, & cum ſtercoribus ſtomachi ad monoculum usque, & ſic ex corpore propelli & elabi. De uno ramo illarum venarum, qui ductus biliarius dicitur, idem quoque ſtatuunt ſcholæ; Vident enim bilem ex hepate ſenſibiliter illic ad inteſtina ferri; ideò hic quoque ab invicem non differimus. Verùm quia frequenter admodum etiam ſanguis valde copioſus per monoculum vadit, aliis ſtercoribus permiſtus; jam ex ſuis rationibus demonſtrent illi, per quas nempe vias ſanguis ille ad inteſtina prolabatur; Senſibilis enim eſt ejus ſubſtantia, ideò per ſenſibiles quoque meatus eò deferatur oportet: Exulceratio inteſtinorum quamvis violentiſſima, ſanguinem nullum generat, multo minus adeò copioſum quantus ſæpe ex inteſtinis erumpit; Inteſtinorum enim ſubſtantia quoque exſanguis eſt: Venæ, hæmorrhoides dictæ, per ani orificia diſperſæ, multum quidem interdum ſanguinem vomunt, ſed absque inteſtinorum & præcordiorum moleſtia; ſed in fluxu ſanguineo per inteſtina; in inteſtinis ingens ſentitur dolor, totiusque corporis inquietudo magna, omni ſomno deſtituti patientes, & ſæpiſſime in mortis periculo conſtituti; Atque ex his indiciis concludimus nos, ſanguinem ſyncerum per venas meſaraicas ad inteſtina propelli, nullus enim alius eſt meatus per quem eo ferri poſſet, quàm canales prædicti; Affectus autem ille & infantes ſæpè affligit, atque communiter mortis proximè imminentis prodromus eſſe ſolet: Et tamen aliqui convaleſcunt, aliquandiu fluxu illo divexati; Sicuti infantes varia ca-

cant,

cant, qui tamen nullo cibo vel potu unquam refecti fuerunt, fæcibus sanguineis ad intestina per easdem vias prolabentibus; idem quoque fit in sanguineo per intestina fluxu. Quod contenta venarum Mesaraicarum, ea quæ hepati propiora sunt, sanguinei coloris sint, asserunt scholæ; Atque inde concludunt contentum id sensim sanguinescere; Nos autem dicimus excrementa sanguinis quo sanguini propiora ei quoque magis esse similia quàm actu ex emunctoriis exclusa; sive sensim sanguineam exuere formam atque cum forma nova & novum nomen acquirere, ex venis effluentia. Scholæ itaque suis nitantur authoritatibus; nos certis rationibus moti, diversam ab eis fovebimus de officiis mesaraicarum, earumque contentis, sententiam.

SECTIO XIV.

Ureteres quoque, & vasa seminaria, vasa vel venæ sunt quoque exsangues, sive contenta earum à contentis venarum aliarum valde diversa: Nam in ureteribus à renibus ad vesicam usq; , nullus est sanguis, sed talis humor qualis per penẽ effluit vel mingitur; In vesica enim nulla fit amplius feri mutatio, sed simplex ejus ex venis per renes & ureteres fluentis coacervatio; At tamen sæpe vel sanguis syncerus mingitur, vel urinæ permistus; sæpe quoque per penem carunculæ quædam excernuntur, cum magno mingentium dolore; sæpe & pus. Unde igitur illa? Sæpe pauca admodum Urina effluit; interdum nulla omninò per dies aliquot: nulla tamen in renibus sensibili præsente obstructione. Renes in talibus morbis affligi certum quidem est; sed non renibus imputanda est affectuum talium causa, nisi ex uno absurdo in aliud studiosè labi velimus. Substantia renum per ureteres mingi nequit; uti loquuntur aliqui Medicorum, de renum colliquatione fabulantes; nam nullus est meatus per quem renes in venas introferri possent; sed si daretur aliquando talis;

 cum

tum ſerum ſanguinis potius inde in ventris concavum laberetur, quam renum ſubſtantia colliquata in ureteres. Affectus itaque illi, nempe carunculárum, ſanguinis, puris ex veſica fluxus; ex ſanguine arterioſo vel venoſo filum trahunt, à ſalinis principiis in eo hærentibus in ſe ipſum contracto, vel dilatato: Frigus enim & calor talium affectuum comites, mutationis intrinſecæ ſalinorum principiorum ſunt indicia certiſſima. Diffluente enim ſale, augetur ſanguis, non in pondere ſed latitudine, ita ut & ad emunctoria excrementorum ordinariorum pertingat, imò quandoque & per ea profundius labatur, vel altius aſcendat, in eàdem forma in qua prius non niſi in venis continebatur; atque hinc ſurgit cruenta mictio; & durat quouſque ſal ſanguinis in ſe ipſum retractus fuerit; quo facto, reliquiæ ejus non ſubito abolentur in ureteribus vel veſica hærentes, ſed vel granulatim excernuntur ſimpliciter concretæ; vel ſi longius in ureteribus hæſerint in pus convertuntur, internis ſymptomatibus ſenſim decreſcentibus; ad puris quoque conſumptionem. Variante ſanguinis motu, variant quoque affectus hi. Quod verò urina interdum pauca interdum nulla fluat; ſæpè quidem obſtructio id efficit, vel in ureteribus, vel in veſica realiter præſens; ſive calculi, ſive alterius alicujus excrementi; ſed non ſemper: Nam alvi fluxus laxior ſal per urinam ordinariè evacuari conſuetum ſecum rapit; ſive ſal aliò delatum ſuos naturales canales relinquit; ſed alvo compreſsâ vel obſtructâ, ad communes ſui fluxus ductus revertitur. Ideo in dyſſenteria urina auctior, illum affectum ad terminum ſuum feſtinare docet; ſed utrinq; erumpens, nempe & per ſedes & per urinam, periculum mortis patienti minatur, mox ſubſequuturæ. Vaſa ſpermatica, exſanguia quoque ſunt, attamen ex ſanguine arterioſo & venoſo ſuum quoque rapiunt nutrimentum, contentorumque ſuorum augmentum & detrimentum. Quomodo autem ex ſanguine fluxus ſpermatici, & gonorrheæ ſurgant; diximus ſupra; conferat ami-

amicus Lector prædicta cum his, & ad oculum ei patebunt talium affectuum causæ.

SECTIO XV.

VEnas exsangues recensuimus; Jam & arterias tales dari, demonstrandum erit: Sunt autem arteriæ exsangues, rami illi arteriarum, qui per lobos pulmonum dispersi, in asperam arteriam desinunt, & per bronchos ad guttur usque & fauces ascendunt. Homine enim bene habente, nullus in prædictis canalibus est sanguis, sed saltem ex arteriis per cor halantes vapores, hisque egressis per pulmonum compressionem, eorum latitudinem distendens & pulmones elevans aer; atque vaporum aerisque continuâ reciprocatione, & per pulmones peregrinatione, motus sanguinis utriusque & venosi & arteriosi sustentantur, ad vitam corporis hujus necessarius. Sicuti autem venæ mesaraicæ sæpè sanguine replentur, vel ureteres; idem contingit quoque pulmoni, per ejusque substantiam dispersis arteriis; Quando nempe sanguis inflammatus à sale ebullit, & ex vasis suis propellitur, ad fauces usque & palatum. Menstrua, sæpe per os ejecta, fatentur Practici; Non satis autem est hæc dixisse; sed necesse est ut & demonstretur processus illius sanguinei fluxus, quomodo nempe vel per quos canales sanguis infernè in altum ascendere, ad palatum usque pertingere, atque sic per os effluere possit; An nempe per easdem vias progrediatur in suo motu sanguis, per quas cibulentæ & potulentæ materiæ, vel clysteres infernè injecti, vel fimus intestinorum ad fauces regurgitat; vel an id fiat per vias alias. Nam non nisi duo sunt meatus in faucibus patuli, alter gulæ, alter asperæ arteriæ; ideò per alterutrum horum sanguis egredi debet per os redditus. Quæ per penem exeunt ex vesica; ea in vesicam per ureteres influxerunt. Sed quæ per os in corpus intrant, eorum alia per gulam vel œsophagum demittun-

tur; alia per asperam arteriam pulmoni, post cordi, & per cor venis, arteriisque communicantur. Sed sanguis in fœminis menstruatim per venas uteri evacuari consuetus, si per os ejiciatur, per quos canales eo ascendit? Non per œsophagum, nam ille nullibi hiat, ita ut in eum sanguis ex venis ingredi posset; nec etiam venæ hiant, ut aliquis inde effluere possit, præter ordinaria ejus emunctoriorum orificia; Qui autem dicit, sanguinem menstruum per os ejectum; ille, si vera se dixisse demonstrare vult, obligatur ad demonstrandum canales illos, per quos sanguis ad os sensibiliter ferri possit: ut ei credatur; vel ut sciant Lectores, eum non dicta aliorum repetiisse, sed per experientiam propriam inventa divulgasse. Non enim omnes scriptorum lectores, vel dictorum auditores æquè creduli sunt, ut primis instantiis acquiescant; in causas rerum inquirunt aliqui, & demonstrationem postulant quæ audiunt vel legunt, prudentiores.

SECTIO XVI.

Quod per os sæpè & sanguis evacuetur, de eo nullum est dubium; nec hic quærimus nos sedulius, an id fiat; sed salterem quare, & quomodo ille fluxus procedat? Videmus aquam subjecto igne ex olla quamvis semiplena ebullire; sed in corpore nostro nullus sensibilis est ignis, à cujus æstu sanguis ex venis suis vel ex arteriis propelli possit; Quando autem id fit in corpore humano, unde illa sanguinis ebullitio, & vel violenta ejus syncera eruptio, vel alterius alicujus humoris biliosi vel amari vel acidi per os ejectio? Sine dubio est aliquid in sanguine, quod sine flammæ vestigio æstum tamen ignis æmulatur; Id autem in sanguine aliquandiu occultari potest, ita ut nec sentiant ægri, nec sciant Medici materiam adeò divisibilem, in activo & passivo modo, sanguini inhæsisse, citius quàm certis se prodat indiciis, vel à suo proprio spiritu, aut externis occasionibus ad talem actum à quo ex-

irritata. Exiguæ quantitati scobis alicujus, metallicæ vel mineralis corporeitatis, superfusus humor salsus, vitrioli, vel sulphuris spiritus, vel aqua fortis, subitam & magnam excitat ebullitionem, ita ut nisi pateant orificia externa vasis, in quo talis mistio fit, atq; sic ebullienti humori liber exitus; tum ab impetu vaporum dissilit vas. Idem quoque in corpore fit humano; nam si scateat sanguis materiis salinis vel divisibilibus, tum in periculo est continuo subitæ dissolutionis, patiens tali præditus sanguine; Nam non saltem à se ipso sal sæpè inflammatur, & in dissolutionem festinat; sed vel nimiâ irâ, lætitiâ, aut Venere, timore vel ingurgitatione vini occasionem arripit subitaneæ dissolutionis, cujus & effectus & comes est largior sanguinis ex vasis suis eruptio. Sanguis dissolubili sale, vel valde divisibili destitutus, minus periclitatur ab irâ, vel subita consternatione. Sed sale tali abundans, à levidensi causa ad ebullitionem cogitur, valde periculosam & molestam: ita ut sæpè à communibus emunctoriis avulsus, ad alias transferatur sedes; sive ab utero & ramis venarum inferiorum ad superiora vaporum & excrementorum propellatur emunctoria; & vel per venas mesenterii ad intestina, vel per ramos arteriarum per pulmones dispersos ad fauces ascendat, & inde violentius prosiliat. Per os quidem fit ejus effluxus ultimus; sed ad os nec ex stomacho per gulam, nec ex rupta vena faucibus vicina prosilit, sed per arteriarum canales ad pulmonem, & per pulmones ad asperam arteriam fertur, donec prosiliat.

SECTIO XVII.

PRæter prædictos sanguinis fluxus, est adhuc unus valde mirabilis, Nempe ex cadavere etiam longius exanimi manans, violentâ morte perempto, homicidâ præsente; In septimanæ Macrocosmi lib. 5. Sanguinem post mortem hominis interfecti ex cadavere fluentem dixi, à Spiritu vindictâ contra homicidam æstuan-

æstuante propelli; sed non placuit sententia hæc auriculis Watsonianis, crassiori & vulgari philosophandi modo adsuetis; Sed nihil moramur censuram hanc Watsonianam ejusque similium; Imitetur ille, & qui volet, cuculum; nos cum philomela ad alium appellabimus Judicem. Vox Sanguinum fratris tui clamat ad me de terra, dixit Dominus ad Cain fratricidam. Nemo tamen fuit, qui audisset clamorem illum, nempe sanguinum Abelis, præter solum Deum; Clamans tamen exspiravit Abel, adversus fratrem suum, & quamvis nemo fuit, qui clamantem eum audisset in agro à fratre vim patientem; clamantem tamen eum exceperunt manus Dei, ut cum Watsonio loquar, & clamantem custodiunt hucusque, clamorem ejus audiente ex nobis nemine: Sed non credet Watsonius, eum adhuc clamare vindictam adversus homicidam fratrem; non audit enim clamorem ejus; tinniunt aures Watsonianæ doctrinis Aristotelicis, ita ut capaces non sint aliud quid audire, quam quod sonant clamores Aristotelici. Clamant vindictam animæ hîc interfectorum, in cœlo sub altari sepultæ; Sed id non credet de Animabus illis Watsonius, quia non docet Aristoteles; nec etiam os vel linguam habent illic mortui; sine quibus membris nullus rationalis clamor fieri potest; Absurdum est, aliquid scribere vel sentire, quod dissentit à sententia Watsoniana, & ejus Philosophiæ synopsi; quia antiquam veritatem non sapiunt; ideò nimiæ signum est impudentiæ, contrariam Aristoteli statuere; secundum decretum Numinis Watsoniani; Qui igitur metuit tonitrua hæc de pelvi ejus tonantia, trahat manum de tabula; Nos nec tantillum moramur censuras ejus, sed parati sumus, ad omnia ejus commenta respondere, si nos legitimè invitaverit; experturi, an ille sua, vel nos nostra melius defendere possimus. Quomodo scit magnes adesse ferrum, cum tamen videre nequeat? Quis instruit virgulam metallicam, ut demonstret certi alicujus metalli præsentiam & se vertat sinistrorsum vel dextrorsum? Quis significavit

Regi, Manus illius Divinæ ſcripta, vel ejus contenta, ipſi ſoli fuiſſe ominoſa? quod ille ſolus conſternatus fuerit ad illius conſpectum, & nemo præter eum alius? Ex quibus indiciis agnoſcit quis adeſſe felem quamvis nec eam audiat nec videat, & tamen ob ejus præſentiam animi patiatur deliquium? Quis docuit Aſinam declinare Angelum ei obvium, cum tamen Propheta ignoraſſet præſentem? Hæc & ſimilia nos doctius erudiunt in myſteriorum cognitione, quam Synopſis Philoſophiæ Watſonianæ; Clamant itaque Spiritus hominis interfecti vindictam contra homicidam, ſanguinis ex cadavere fluentis indicio, quamvis non cadaver, ſed cœlum, ipſius à communione mundi hujus divulſi, ſit domicilium. Ita ſæpè ſudant ſanguinem lapides, arbores, fontes, aliæque exſangues creaturæ; & ſanguinem ſudando, minantur ſanguinis largam effuſionem ſubſecuturam; Non autem à ſenſibilibus hæc ſurgunt prodigia cauſis; Sed à ſpiritibus futurorum præſagis & prænuntiis. Sed hæc materia profundior eſt, quam ut tribus lineis omnia ejus myſteria comprehendi poſſint; ideò eam ad alium locum differemus; Si Watſonio placet peculiari ſcripto eam explicare prolixius; ſuo exemplo nos quoque ad idem agendum invitabit, ad ſcrutandum talia promptiſſimos.

SECTIO XVIII.

Citius autem quàm caput hoc de Sanguine concluſerimus, neceſſe eſt, ut quæſtionem de Sanguificatione adhuc ſemel examinemus, an nempe ſoli hepati illa ſit imputanda? Sic quidem nos docuerunt Præceptores noſtri; nec aliter hodie adhuc in ſcholis docetur; Sed unanimi Medicorum ſcholaſticorum conſenſu hepar apud omnes pro officina ſanguinis habetur; atque ſuper hoc fundamentum proceſſus curationis plurium morborum conſtruitur. Satis quidem prolixe opinionem hanc refu-

tavimus in Fragmento Spagyriæ nostræ; & certis argumentis huic contrariam construximus; quia verò tractatus ille ad manus tot lectorum non perveniet sicuti hic; igitur adhuc semel eandem repetere, utile judicavimus. Sanguificatio actus est Spiritus Animalis, eorum unus quorū sensus, donec sunt in fieri, capax non est; sed qui ratione & intelligentiâ mēsurari debeat, alioquin omnem cognitionem nostram effugientes; Qui igitur docent de hepate, quod id sit officina sanguificationis; illi talibus argumentis muniti ut sint necesse, per quas rationi satisfieri posset; sensuum testimonia hic sunt inutilia; sed sola authoritas præceptorum non sufficit ad assecurandam rationis certitudinem; nisi aliquis pari modo decipere velit alium, quali ipse deceptus est; scilicet superstitiosâ credulitate. Quod contenta venarum Mesaraicarum hepati viciniora, sanguini similiora appareant, quàm ab eo remotiora & intestinis propinquiora; Inde probari nequit Chylum vel Chymum ad Hepar sensim adscendentem in sanguinem mutari; sed æquè id, quod nos statuimus; nempe, Sanguinem sua excrementa per dictas vias ad intestina excernere, quæ eâ parte quâ sanguinem contingunt, similiora ei sunt, quam eâ quæ intestinis illabitur. Nec video causam, quare potius illis quàm mihi credatur, ex hoc principio; Si autem sanguis solus generatur in hepate, ab ejus insita id agendi proprietate; quis erit qui produceret bilem, aut pituitam, aut serum; nam hæc non nominibus solum, sed & formis & saporibus & coloribus, inter se & ab invicem valdè discrepant; ita ut ab uno, in uno & ex uno simul nasci nequeant omnia; Nisi dicatur sanguinem solum, quoad nomen & formam talem, in, & ab hepate generari, alios autem humores ex inde nasci; sicuti in uberibus nascitur lac; sed lacte emulso demum cremorem & coagulum & serum ab invicem separatur. Si vero ex sanguine secernitur bilis in ipsius generationis exordio; uti ad oculum apparet, in vesicula hepati adnata; unde & quando secernitur ab eo pituita, vel per quas

quas vias? ſerum ſanguinis quod per renes & canales ureterum vadat, concedimus; ſed hoc, in venis emulgentibus ſupra renes adhuc colore ſanguinis tinctum eſt; extra renes, vel in ureteribus, urinæ formam habet; atque inde probari poſſet, urinam ſerum á veſica ad renes aſcendere, & illic in ſanguinem mutari; ſicuti de contento venarum meſaraicarum id docetur, ad confirmandam ſanguificationem ejus in hepate; Vel quæ ratio, quare urina dicatur excrementum ſanguinis, vel ureteres emunctoria; Quod idem de venis meſaraicis eorumque contentis dici non debeat? Venæ meſaraicæ enim æque ſunt pendulæ verſus inteſtina, ac ureteres verſus veſicam; Et ſicuti ſæpè ſanguis mingitur, ita quoque & cacatur, & vomitur ſyncerus; talis nempe, qualis in venis continetur, & per phlebotomiam extrahitur; Serum ſæpè & per inteſtina fluit, ita ut urina vel pauca vel nulla per ureteres ad veſicam vadat; per quos igitur canales ſerum à renibus in inteſtina derivatur? an per ductum biliarium? aut alium aliquem hiatum innominatum? aut per inſenſibilem tranſpirationem, & renum, & inteſtinorum ſubſtantiam penetrat, ſine divulſione eorum continuitatis? Si ſanguineæ generationis proceſſus ad oculum patet? Certè excrementorum ſanguineorum actu ſenſibilium nulla poteſt dari inſenſibilis tranſpiratio: niſi tota invertatur Natura: Si ſanguinis venoſi generatio ad oculum demonſtrari poteſt, quod nempe fiat in hepate, ſimplici chymi in ſanguinem mutatione; ſine dubio talis quoq; erit, & ſanguinis arterioſi generationis exordium; ſed aliud illius fientis membrum; nam in hepate generari non poterit uterque, hic ab illo valde diſcrepans, ſcilicet & pondere & ſapore & motu, ita ut excepto colore nullatenus conveniant. Nec dicere aliquis audet, exactiorem harum rerum cognitionem eſſe inutilem ad exercendam praxin; quoniam æque illi, qui hæc ignorant, ac qui ſe ea ſcire autumant, plurimos morbos curare feliciter poſſint; ſi ſaltem medicamentis, experientiâ comprobatis non deſtituantur. Ita quidem eſt,

 quod

quod ſæpe & cæci ſcopum feriant: ad quid igitur oculorum utilitas, ſi his, vel viſu deſtituti, interdum plura poſſint quàm videntes? In ultimo hujus tractatus capite talium contradictionum futilitatem demonſtrabimus; Hic hoc theoremate ſectionem hanc concludemus; nempe, quod venæ meſaraicæ dictæ, ſint ſanguinis venoſi emunctoria; Eorumque contenta, ejusdem ſanguis excrementa; Cuicunque libuerit nobiſcum de hac materia prolixius agere; illi nos promptos objicimus; hàc tamen cum conditione, ut neglecta authoritate peregrinarum opinionum, libere philoſophemur utrinque.

SECTIO XIX.

Quæ naturaliter in venis & ſanguine fiunt, ſive ordinariè fiant ſive extraordinariè; breviter recenſuimus; Jam quædam monebimus quæ ars in eum molitur, morborum præcavendorum vel abigendorum aut mitigandorum intentione, per venarum, ſanguineorum vaſorum apertionem, ſectione inſtitutam, vel inciſione: qui modi pro arbitrio Medici, vel Chyrurgi conſuetudine adhibentur. Quod utilis interdum imò & neceſſaria fit ſanguinis per artem evacuatio; de eo nullum eſt dubium, Sæpè enim per nares ſanguis ſpontè erumpit; interdum per ſedes, interdum per urinas, interdum per os, interdum ex eroſis in cruribus venis, largius emanat; ſed nullus ejus fluxus vel effluxus tutior eſt, quàm qui per nares fit, vel ex venis crurum: Alii ſunt periculoſi, vel ad minimum valdè moleſti. Ideo ars horum incommodorum conſcia, ſuadet phlebotomiam, ut minori periculo & moleſtiâ, majus præcavere poſſit. Ob ſolam Plethoram, vel ſanguinis abundantiam quoad vires & quoad vaſa dictam, minuendam; Innoxia quidem eſt Phlebotomia, ſed ideo nequaquam utilis; multò minus neceſſaria; Nam ipſa inedia aut ciborum, potusque partior uſus ejus vitio medetur, tutius quam phle-

phlebotomia. Quæ vero per inediam vel abstinentiam à cibis tolli vel mitigari mala nequeunt; illis utiliter succurrit sanguinis per sectam venam diminutio. Nam sanguis multus, sed absque omni violentiori motu in venis contentus, nihil incommodi habet nihil periculi; Sed ordinario vehementior motus ejus & pro præsenti molestus est, & in futuro majus præsenti molestiâ minatur periculum, nisi vel per phlebotomiam vel alio aliquo modo præsens compescatur incommodum & futurum præcaveatur. Nam extraordinarius sanguinis arteriosi & venosi motus index est peregrinorum ei permistorum seminum, quæ vel à sanguine secerni, vel secreta per ejus emunctoria excerni nequeunt, atque ideo sanguinis massam inquinant & molestant, sicuti vetus fermentum massam novam attollit, quæ eo absente quievisset immota. Ideò sicuti sæpe conducit irritare sanguinis motum tardiorem calidioribus medicamentis, quo commodius se suis superfluitatibus exonerare possit; Ita quoque sæpe conducit vehementiorem ejus motum frænare & mitigare, ne cum inutilibus excrementis & id quoque quod salutare est foras propellatur. Tanta enim sæpe, ex sanguine perturbato vehementius, surgit vaporum copia, ut una exspiratio eos evehere, nec inspiratio ponderositatibus exuere possit, sed in periculo sit patiens subitæ suffocationis, nisi maturè eis eatur obviam, sanguinis per sectam venam diminutione, aut refrigerio. Atque in tali casu festinandum phlebotomare, sine omni ætatis, aut temporis respectu. Quamvis nullæ adsint plethoræ alicujus indicia; Vaporum enim copia gravat naturam, non autem sanguinis pondus, aut quantitatis excessus, in tali affectu. Obesisque est periculosior quàm macilêtis, quia in his latius distendi possunt venæ quàm in illis; Sæpè enim adeò distenduntur à vaporibus venæ, ut videantur plurimum continere sanguinem, quæ revera vix tertiâ sui parte plenæ sunt. Atque tunc perinde est quam secueris venam, vel in manu vel in pede, si saltem vaporibus exonerentur; Ideò

 san-

ſanguis fortius erumpit ex vena tunc aperta, & altius proſilit, quam in ordinario ejus motu; A tali caſu, ſæpè ſubitò exanimantur multi qui liberari à morte potuiſſent, ſi mature vaporibus contraventum fuiſſet.

SECTIO XX.

INterdum autem ingenti quodam ſtupore afficitur ſanguis, atque in ſe ipſum contrahitur, ut nulla planè relinquantur ejus motus extrinſecus indicia, vel admodum exigua; patientes enim jacent quaſi mortui, ita ut nihil ſentiant, nihil audiant, nihil videant, imò nihil edant vel bibant, etiam per plures dies, eo videlicet affectu afflicti; Affectus hic dicitur Coma, vel Caros; & eſt epilepſiæ, vel apoplexiæ valde affinis. Sæpè autem adeò profundè ab eo captivantur patientes, ut ne reſpiratio quidem reſidua maneat, ſed omninò mortui videantur, quia ſunt mortuis per omnia ſimiles; Novi tympaniſtam qui menſtruatim hoc affectu affligebatur per integrum biduum; & ad ſe reverſus æquè vegetus fuit ac prius; Tali affectu correpta cujusdam Medici uxor, tempore peſtis graſſantis, in cella ſubterranea ſuper ſtramen jacuit ad quintum usque diem, metuebat enim maritus mortem ejus divulgare, exiſtimans eam peſte peremptam fuiſſe; quamvis nulla peſtis indicia in corpore extra apparuiſſent; ideo obitum ejus occultare voluit dilatione ſepulturæ; ſed dum ancillæ accurriſſent ad eum, dominam revixiſſe clamantes perterritus ipſe & peſte correptus, tertià die exſpiravit; Uxore ſuperſtite relicta. Affectus tales, quamvis ſanguinis motum ſupprimant; nequaquam tamen omninò patientes exanimant; nec propriè in ſanguine hoſpitantur eorum ſeminaria, ſed ſolum ſpiritus animales in ſe ipſos contracti, communionem cum ſanguine ſuſpendunt aliquandiu; interea ſanguinis motu interrupto, attamen non abolito; Et quamvis tunc ſanguis omnino frigidus ſenſui appa-

appareat, fluxilis tamen eſt, & motui recipiendo aptus: In mortuis autem nullam habet fluxilem ſubſtantiam, ſed omninò in venis concretus, eſt: Tales affectus non ex ſanguineis principiis ſurgunt omnes; ſed ex ſpiritibus in ſanguinem derivantur; ſicuti extra nos non venti ab aquis, ſed aquæ à ventis afficiuntur. Affectibus ſubitaneis exanimatis vel exanimatis ſimiles redditorum, ſi differatur ſepultura ad diem usque ſeptimum, ſingularis prudentiæ opus erit; Nam multos ſepultos in ſepulchris ſuffocatos fuiſſe, ex certis indiciis, recitant hiſtoriæ fide dignæ; quarum veritatem illuſtrat res Coloniæ geſta inter veſpillonem & fœminam in tumulum reconditam; quæ nequaquam inter commenta humani animi eſt recenſenda.

CAPUT VI.

De Calculo, Hydrope, Odontalgia, aliisque ſalinis affectibus, in varias ſpecies & gradus diſtinctis.

SECTIO I.

PRomiſimus in hujus tractatus titulo, nos non niſi de Salium variis in corpore humano reſolutionibus acturos; non etiam aliter hucusque egimus, vel poſthàc agemus; quamvis in capitibus duobus nomen ſalis interdum ſuppreſſerimus, & de affectibus morboſis ſub communi titulo egerimus; qui tamen affectus non aliunde quàm ex ſale trahunt ortum. In hoc capite iterum ſub titulo ſalis, de corporis humani variis affectibus, lentis, gravibus, & periculoſis loquuturi ſumus. Ignoſcant nobis Doctores Medicinarum, quod novis & inconſuetis terminis noſtra hæc ſcripta involuta divulgemus, & noſtra theoremata novis rationibus ab eorum diſſonis ſuffulciamus; Non enim id agimus in contumeliam aut deſpectum alicujus

jus Medici, tali titulo digni; sed in confusionem omnium eorum qui temerariò hucusque nobilissimam illam Artem, turpis saltem quæstus causâ, prophanarunt, ut sunt Anus, Chyrurgi, Pharmacopæi, Circumforanei, atque id genus hominum in perniciem & ægrorum & Medicorum natum; His adnumerandi sunt quoque illi, qui Chymicos se appellant & artistas, multa ex mineralibus vel metallis artificiosè componentes Medicamenta, & plura promittentes quàm aut sciunt aut possunt defendere verbis; multò minus præstare manu. Chymia ars est nobilis; sed sine theorematis & methodo scholastica, ad medicandum potius noxia quàm utilis; quia nullam habet aut docet causarum morbificarum, imo nec corporis humani constitutionis cognitionem; Tempora quietis morbificorum seminum ignorat, ita & locos; imò præter medicamenta quædam, nihil habet scitu digni. Unum hic recitabo exemplum ut scias Lector me vera dicere, ex quo tanquam ex panniculo, de talium Medicastrorum ratiocinatione facile judicare possis, sive de eorum integra purpura. Improbat insignis quidam Chymicus, in scripto suo Furnus Philosophicus nominato, Sulphuris usum intrinsecum; Causam reddit; quòd à nobis digeri non possit, quia aqua fortis, quæ tamen omnia metalla dissolvit, ei dissolvendo non sufficiat; Sed bonus ille vir incōsideratè hæc scripsit; vel tantus non fuit Artifex quantum se esse putat; nam Sulphur commune à mitioribus menstruis, sed ejus naturæ similibus, mitigatur & dissolvitur, nempe à lixivio tartari, & quovis oleo: uti suo loco clarius hæc demonstrabimus. Corpus hoc Animale ex Atomis omnium extrinsecarum creaturarum est compositum, qui tamen aliquandiu, carnem & ossa dissimulant humanam, intus nihil minus existentes eorum quorum formas extrà gerunt: Nam definitis temporibus, antiquas in nobis induunt formas, & fiunt quod fuerunt extrà nos, si non statim quoad nomen & pondus, attamen quoad virtutem: Hæc vera esse, ex solius urinæ signaturis demonstrari potest.

Uri-

Urina enim in nostris omniumque animalium mingentium corporeitatibus, nihil est aliud, quàm Salis fons, in cujuslibet animalis speciei individuo certum scaturiens salis genus, ejusque mineralis. Mirum certe, quomodo tam varia salia ex unius cibi potusque materia generari possint, quot quotidie hoc modo nasci videmus. Nam capra, ovis, vacca, equus, cervus, lepus, uno eodemque pabulo alti, sive fœno & avenâ; eodemque fonte poti, tamen & fimum & fæces excernunt valdè dispares. Sic singuli homines qui iisdem vescuntur cibis, & potus genere utuntur, diversam tamen mingunt urinam, non numero solum sed & pluribus signaturis discrepantem; Imò idem homo diversis temporibus aliam, vel saporum, vel odorum, vel colorum signaturis hæc ab illa discrepantem. Jam citream, jam spiceam, jam vitellinam, jam æruginosam, jam cruentam, jam loturæ carnis similem, jam aqueam. Ideò nullum animal tot morbis est obnoxium ac homo; nam in sola humana specie tot varietates salium deprehenduntur, quot extra hominem sunt Animalium species. A primis vel secundis qualitatibus, urinarum tam multiplicem varietatem derivare velle; etiamsi singularum atomos atomis permiscueris, tamen erit impossibile; Nisi tot qualitatum sensibilium statuantur species, quot in animali familia, vel speciei humanæ sunt individua; atq; hinc reciprocè qualitates ob homines, vel homines ob qualitates discrepabunt, ut nemo certus esse possit an homini an qualitati in tali subordinatione debeatur primatus.

SECTIO II.

QUo plures in quo individuo humanæ speciei habitaverint inferiorum familiarum spiritus, tantò major quoque signaturarum in urina ejus deprehendi poterit discrepantia. Quod uni individuo plures accolas attribuam spiritus, id nemini lectorum insolens, multò minus falsum videatur; nam mecum sen-

tiunt omnes antiqui Doctores, vel Philosophi; ex recentioribus autem de hac materia sic scribit Fernelius, inter omnes hodierni seculi Medicos disertissimus. Non pugnat uni subjecto plures assignare formas, si una tantum sit omnium domina, reliquæ ministrantes. Et Aristoteles ipse inquit, quod ex pluribus constat, sic est compositum, ut universum sit unum, non ut cumulus, sed ut syllaba vel verbum. Non itaque à mistione elementalium qualitatum proficiscitur signaturarum externarum varietas, sed à formis seminalibus cujusque individui, sive à spiritibus ipsis, & substantiis insensibilibus, quæ Divinæ cujusdam naturæ sunt participes. Nam quamvis sensibilia justis temporibus desinant esse quod fuerunt; nunquam tamen rerum formæ pereunt; sed aliquandiu saltem sub statu servili & facie tenebricosa occultantur, ut non appareant esse id quod sunt. Nihil autem fit sensibile quod non fuerit citius in tenebris quam in luce exstitisset. Mensuræ mutantur vel facies tantum entium, non autem entia ipsa, vario generationis & corruptionis modo. In omnibus & singulis hominibus urina fons est & rivulus scaturientium in nobis salium, taliter variantium qualiter & ipsa salia variant in majoris mundi scenis; Vel sicuti variant fontes extra nos scaturientes. Animalia quæ rarò, imò nunquam bibunt, copiosissimam tamen urinam mingunt, multò copiosiorem quàm ea quæ sæpe bibunt, vel humidioribus pascuntur; vide lepores, cuniculos, mustelas, mures, aliaque plura ejus generis animalia, quæ sine aqua annum integrum aluimus, & tamen urinam frequenter & multam fœtidam & acrem minxerunt. Indeque videre est quod urina copiosa non tantum ex largiori potu nascatur, sed etiam hoc absente ex cibis quoque siccioribus, pro varietate discrepantium spirituum seminalium. Vidi homines non ægros sed optimè valentes, nec interdum sed continuò, minxisse urinam nigram, similem aquæ in qua vitriolum dissolutum est. Iterum alios rubram, crassam & turbidam. Visa narro non ex aliorum scriptis aut dictis compila-

ta-

ta. Ex cujusdam nobilis adolescentis toparchæ filii, urina, salem extraxi simplici calcinatione, vitriolo Cyprino non dissimilem. Sed non hic adsum ut historias texam; demonstrare saltem volo, variam salium in humano corpore varietatem. Non ubique ob varietatem cibulentarum & potulentarum materiarum variantem, sed ob seminalis formæ constitutionem. Canum alii sunt glabri, alii villosi, tamen nec hi minus mingunt nec illi plus, quod in aliquibus urina in pilos rapiatur; Cuniculi & lepores hyeme pilosiores sunt quam æstate; attamen plus mingunt hyeme quam æstate. Ideò illa ratio quæ communiter reddi solet, quare aves non mingant, nullius est momenti.

SECTIO III.

QUare autem urina in illis subjectis quæ ad mingendum naturaliter disposita sunt, interdum vel omninò supprimatur, vel rarius & parcius fluat; In causas inquirere hic nobis proponemus. Ex communi opinione urina supprimitur vel ab obstructione renum, sive ea fiat à calculo vel aliis fæcibus tartareis & mucilaginosis, renibus vel ureteribus, vel vesicæ orificio, vel peni infarctis. Id quamvis à talibus causis sæpe fiat; attamen semper fieri credendum non est; Nam sæpè & renibus, & ureteribus, & vesica ab omni obstructione liberis existentibus, urina tamen vel nulla vel admodum pauca effluit, ita ut sæpè ab ea sursum regurgitante exanimentur patientes: interdum aliqui talis obstructionis periculum longius perpessi, restituantur tamen. Non audita ab aliis narro, sed quæ mihi in mea praxi contigerunt sæpius bonâ fide repeto; ut adjumento illis sim qui Praxin Medicam exercere volunt. Quod interdum alteruter renum, à quacunque tandem materia vel sicciori vel duriori obstrui possit; id est extra omnem controversiam; obstructum autem renem urinæ esse impermeabilem, certum quoque est. Sed utrumque renem, & ureteres

 ambos

ambos ab utroque latere obstructos esse in omni urinæ suppressione, falsum est. Ideò urina supprimi omninò non potest, uno saltem vel rene vel uretere obstructionem patiente; nisi ambo simul obstructi sint; Uno autem patente, liber erit urinæ ad vesicam meatus. Atque in tali affectu quod latus an dextrum vel sinistrum obstructum sit, demonstrat dolor sensui manifestus. Quid autem sit quod urinam supprimit omninò, & renibus & ureteribus ab omni obstructione immunibus, atque sic minctionem per dies etiam quatuordecim interrumpat, sine omni tumoris vestigio, & vitæ periculo: Id non ita manifestum est, ut oculari experientià, vel corporis dissectione artificiali demonstrari possit. Nam si sanguis nullum salem excernat ad renes, sed saltem ad extremitates manuum vel pedum propellat, vel ad interiora venarum & arteriarum emunctoriorum orificia, pulmonem nempe & jecur; tum necesse est ut & ureterum suspendantur officia, & in vasis per quæ sal evacuatur salinarum tincturarum deprehendantur signaturæ; atque hinc varii dolores in hepate sentiuntur; & lingua sæpe variis fuliginibus obvoluta faucium meatus coarctat, & ad respirandum inhabiles reddit. Alii in sudores diffluunt; alii variis scabiebus & scabritie externorum membrum affliguntur; in aliis ulcera, cancri, fistulæ oboriuntur; pro diversitate salium in singulis individuis & specialium & gradualium tincturarum multitudine variantium. Hæc mala quamvis à naturalibus causis per naturalia media determinentur in corporibus ægris, attamen à fatis dirigi ad fines suos certum est; nam cum omnibus naturalibus causis Divina concurrit Sapientia; & qui ab illis captivantur; hujus judicia scrutari capaces non sunt. Nam omnia citiùs sunt in fatis, quam revelentur nobis, alias fallerent Divinæ de rebus humanis futuris prædictiones. Si enim Deus omnia ordinavit ut sint, atque justissimis ponderibus & mensuris dimetiatur etiam citius quam fiant; certe nec morbos aliasque mortalium plagas à sua exclusit ordinatione, ut aliquæ for-

fortuitò nos premere aut opprimere possent. Ignoratio humana causas finxit & fingit fortuitas; Vel non causas, inter causarum nomenclaturas recenset.

SECTIO IV.

URina non tantum supprimitur in corporibus humanis, à Spiritibus morbificis, sed & interdum copiosior & frequentius propellitur: cum majori vel minori patientum molestia, dolore, aut vitæ vel mortis periculo. Citra voluntatem patientis, vel eo invito effluens; Incontinentia urinæ dicitur: Homini dormienti & vigilanti infesta; tales affectus senes potissimum infestare solet, ob salis urinæ inhærentis acrimoniam, quam vesicæ musculi pati nequeunt, senectute relaxati. Interdum non sapor salis urinarii, sed solum pondus gravius est, quàm ut id vesicæ fundum tenere possit. Interdum non ab humoribus salsis, sed à vaporibus solis, vehementius in vesicam irruentibus, procedit urinæ incontinentia; Utrinque autem, scilicet tàm per vapores, quàm per humores infliguntur patientibus plures affectus valde acuti, continui vel intermittentes; ut sunt ischuriæ, dysuriæ, stranguriæ, urinæ stillicidia, per varias species & individua, gradualesque differentias, iterum varie ab invicem discrepantia. A Vaporibus sæpè supprimitur, sæpè quoque pellitur urina; sæpè autem in vapores dissolvitur in sanguine serum, citius quam in urinam desierit, ita ut affectus ille non possit nominari urinæ suppressio, sed ejus generationis impotentia, vel defectus: Hic autem affectus omni suppressione vel obstructione est periculosior, plurium morbosorum affectuum parens, ita ut anginæ variæ species hinc saltem suum trahant ortum. Non nunquam urina vel serum in venas regurgitat emulgentes, & per truncum iliacum superioribus venis & arteriis insinuatur: Unde fluxus hepatici surgunt; atque millesariè in nobis ludit vel furit

ſal, à locis affectis affectuum varians denominationem, cum unus idemque ſal in pluribus hæreat membris. Ab urina autem jam generata varii quoque naſcuntur affectus; ſed nulli partium ſuperiorum; Inferiorum ut veſicæ, ureterum, penis, & ſeminalium vaſorum, varii. Nobilis quidam fiſtulam habuit in podice per annos aliquot; hac obturatâ ingentem ſitim paſſus, ita ut incredibilem quantitatem cereviſiæ Mindenſis exhauſerit quotidie, ſiti nequaquam remittente, ſed urina indeſinenter eo & vigilante & dormiente profluente; Poſtquam autem fiſtulæ orificium iterum externis fomentis primum, poſt ſcalpello patulum redditum fuiſſet, remiſit quidem ſitis aliquantum; ſed urina nullo modo cohiberi potuit à continuo fluxu; Hoc affectu per ſeptimanas quatuordecim afflictus æger, ſub finem ſubitaneâ lipothymiâ correptus, interiit; De nullo ſingulari interea conqueſtus interno dolore; ſed profundam ſenſit debilitatem, alvo officium faciente; quotidie autem ei carnes faſtidienti, contuſam in mortario pulpam gallinæ vel caponis primum aſſi, calidæ cereviſiæ permiſtam ignaro quid hauriret exhibui; aromatibus mediocriter conditam; an autem hujus virtute, an verò naturæ ipſius propriæ viribus, tam periculoſi affectus adeò longè ſuſtinuerit impetus; Judica Lector.

SECTIO V.

QUam varii ſurgant affectus in urinis à ſalium diverſitate, vel ab humoribus & vaporibus ſalſis, recenſuimus; jam nos ad calculorum generationis cauſas examinandas conferemus. Spiritus animales nō generant pulveres vel calculos, ſed carnem, oſſa, ſanguinem, cornua, pilos, ungues, ungulas; Nec vegetabiles ſpiritus calculos producere poſſunt; quamvis calculoſæ ſæpe ſignaturæ in eorum quoque deprehendantur fructibus; non tamen à Spiritibus vegetabilibus tales; ſed ab elementalibus vel minerali-

ralibus. Nam quæ calculos generandi virtutibus prædita sunt causæ, eæ non inter animalia, vel vegetabilia, vel elementalia entia recenseri debent, sed inter mineralia solum; Nullus tamen Spiritus alicubi reperitur alicujus concupiscentiæ, cognitionis vel virtutis author, qui non in homine sibi similem habeat socium, vel unius naturæ participem. Ideò inquit Fernelius, quod nusquam mali aliquid est, quod in homine non esset. Non posset enim homo microcosmus dici, nisi in eo omnia reperirentur quæ extra ipsum sunt, sed proportionaliter hæc illis comparata. Quod spiritus ab invicem discrepent virtutum internarum excessu vel defectu, ita ut alii millenarii, vel legionarii sint, alii non nisi centuriones, decurii, vel monastici sive gregarii, demonstravimus supra; Talia quoque sunt corporis nostri contenta, tam variorum & variantium Spirituum domicilia. Et nisi id esset, nulla posset fieri generatio vel entium sensibilium multiplicatio, nisi ita ab invicem discreparent seminales rerum rationes in centris suis tenebricosis. Igitur quæcunque in corporibus humanis proveniunt nova, hominibus grata vel ingrata, utilia aut noxia, vitalia vel mortifera, omnia in nos derivantur à spiritibus inferioribus, nobis per intervalla servire promptis, & per intervalla dominari attentantibus. Quæ verò scimus, concupiscimus, vel agimus quotidianis sublimiora, sancta & Divina; illa nobis non infernè communicantur, sed supernè in nos delabuntur, ex spiritibus quibus cum rebus mundi hujus nulla intercedit communio vel affinitas, Quando igitur in nostrum aliquo generatur calculus, vel aliquid calculo affine, nempe limus aut arena; Talia non fiunt in nobis à Natura vel Spiritu nostro proprio; sed ab aliquo minerali, cujus naturæ proprietas est humores & vapores coarctare, coagulare & congelare, vel immobiles & indissolubiles reddere ex mobilibus & fluentibus. Si audiremus lapides & saxa vocem sonare animalem aut humanam; Miraculum id esset; Dum autem videmus inferiorum creaturarum signaturas in corpori-

bus

bus animalibus propullulare; morbus est, non miraculum; inferiores enim spiritus, sive virtutes terrestres, tacere vel servire debent spiritibus seminalibus scenarum superiorum; hoc ordine inverso; proveniunt innumeræ calamitates, anxietates, dolores, gemitus in scenis vel individuis illis, quæ talem patiuntur vel admittunt confusionem. Non itaque ex tartaro cibulentarum & potulentarum materiarum; nec ex pituita acri, salsa, viscosa, proveniunt calculi, tanquam fructus ex suis seminibus; Sed spiritus terrestres & pituitam salsam, acrem, viscosam, & calculos generant. Non potest generari homo in homine absque humano spiritu; Ita nec canis ex cane sine cane; Nec tartarus, limus, sanguis, caro vel os, absque suo singulari spiritu. Sensibilia quidem à sensibilibus destruuntur sensibili modo; Sed generationis processus rerum omnium multò est occultior, quàm ut ipsius modus investigari sensu possit, donec est adhuc in fieri; factus & absolutus, sensuum relinquitur mensuris. Insensibila enim sunt rerum sensibilium principia; ex profundissimis & sensu impervestigabilibus essentiis, scaturiunt rerum mensuræ. Externa trahuntur & coguntur in obsequium interiorum; nihilque generari potest ex his sensibilibus ex propria eorum propensione huic vel illæ formæ viciniori; Sed omnia præsupponunt internum formæ sensibilis authorem. Nam quamvis aliquis quotidie deglutiret plurimum salis; nequaquam tamen exinde calculus generaretur, absente spiritu virtute formali generandi prædito. Si ex salsis materiis solis generarentur calculi, tum magis vexarentur à calculis, vel humoribus salsis illi, qui salsamentis frequenter imò indesinenter cibantur; Cum tamen morbus ille æquè divexet eos, qui quotidie recentibus & insulsis vescuntur; In quo subjecto spiritus lapificus suas vires exercet, in illo & subtilissimus spiritus vini, à nullo extrinseco frigore etiam vehementissimo coagulabilis, in arenas & lapidem concrescit.

SECTIO

SECTIO VI.

UBicunque igitur vel quando nascitur calculus, vel calculo affinis corporeitas in humano corpore, id nulli cibo aut potui formaliter imputari potest, sed materialiter sine discrimine omnibus esculentis & potulentis. Qui autem tartaros vel calculos generat, spiritus est, vel essentia ex inferiori eaque minerali scena in nos pulsa vel attracta; quæ in nobis sub specie servili aliquandiu latuit, & semper secundùm ordinationem primævam Creatoris latere debuit, imo & latuisset, nisi eam vel parentes nostri, vel nosmetipsi, lascivientis in illis vel nobis concupiscentiæ nequitiâ, solvissemus. Quod aquæ omnes in mare prolabentes in cænum, limum, arenam, lapides concrescant naturaliter & quasi motu successivo; id est extra controversiam; nam omnia extra nos redire debent in locum ortus sui primordialis, sive fieri quod fuerunt, & non esse quod sunt; Sed homo semel de terra formatus nunquam mori oportuit, nisi sponte mortem attraxisset, eam sibi magis amicam ratus quàm Deum; Et sic quotidie à nobis omnibus & singulis fræna laxantur spiritibus malignis mundi hujus, ut in nos non saltem ascendere sed & nobis in nobis imperare dominariq; possit. Et motus varii & calorum frigorum aliorumque signaturarum materialium species, gradusque multifarii exstiterunt, citius quam nos fuissemus; Sed unde ea in nobis quæ extra nos? Quis prior in nobis exstitit, an motus, an calor? an motus calorem, vel calor motum genuit? Vel an ambo à tertio, nec calorum nec motuum legibus subordinato principio surrexerunt? Sine dubio; nam motus & calor cum suis differentiis sensuum judiciis subsunt; Sed aliæ sunt essentiæ, quæ sensuum mensuras excellunt, quæ tamen per sensibilia indicia nostræ se insinuant cognitioni, quod fuerint nempe etiam citius quam nos ea revera fuisse agnovissemus. Calculus propriè nec frigoris nec caloris fructus est, imò nec causæ; quamvis tales

formas comites habeat, præter pondus & duritiem, quibus ſolis dolores vel paſſiones efficit in ſenſu eorum, quos obſidet. Nec in momento tantæ molis naſcitur, quantâ moleſtat poſt patientes; ſed atomus atomo corporeitatis ejus agglutinatur non ab exteriori ſed interiori ejus ſubſtantia, ſicuti pomum in arbore augetur, donec matureſcat. Non enim omnia ſic ſubito in nobis coagulantur uti fulmen in nube; vel diſſolvuntur, ſicuti pulvis nitrarius; quamvis interdum & quædam ſimiliter quoque fiant, & eſſe deſinant. Et quamvis calculus jam actu generatus in nobis, vel medicamenti virtute, vel aliorum in eum irruentium vaporum impetu, ex loco generationis ſuæ propulſus fuerit, ab ejusque moleſtia patiens liberatus; nequaquam tamen tutus eſt ab alterius ſucceſſione; ſed quousque ſpiritus lapidificus in ſanguine alicujus hominis habitaverit, eousque calculi generatio continuabit; ſi non in uno eodemque loco, tamen in aliquo; jam hic jam illic; jam in hepatis parenchymate vel venis; jam in pulmone, jam in renibus, jam in manuum vel pedum extremitatibus; Nobilis quidam Bohemus per annos aliquot, ſingulis ferme menſibus ex utriusque manus articulis interdum unius digiti, interdum plurium, lapillos eruebat ſcalpello; non nullos minores, aliquos & fabæ magnitudinem exæquantes, eosque valde duros; ſed in principio illius morbi poroſiores. Nec id rarum eſt in Bohemia, ſed ditioribus valde familiare malum. Quod ſi autem aliquis inde arguere velit; occaſione cibi vel potus t[illegible] in regionibus illis naſci in corporibus humanis morbos; Ille malè concluſit; Nam ſi inde derivaretur malum in aliquos, quare non in omnes? Nam tot ſunt apud nos morborum ſpecies, quot in Regionibus à nobis quoque remotioribus; Et hic, quot apud nos. Nullibi autem aliqui proveniunt niſi per laſciviam humanarum concupiſcentiarum in patientes derivat[illegible]. Nullas enim arbores vel arboreos fruct⁹, nullas herbas vel gramina, creavit Dominus in morborum authores; atque ut Sapiens

Ille-

inquit inferorum dominium super terram non ordinavit Dominus; sed voluptatis occasione, ex una familia in alteram, inferiori in superiorem promoventur virtutes inferiorum seminales, ut fructus suos ferant, ubi non nisi steriles esse, vel sterilescere debuissent. Epileptici affectus, febriles, hydropici, aliique omnes, æque ac calculosi & Podagrici infernè in nos ascendunt, quamvis iisdem vescamur omnes cibis, diversis passionibus afflicti; Atque si ex cibis, vel potu orientur morbi; qui eisdem cibis aluntur, iisdemque morbis quoque affligi oporterent: quod tamen rarò contingit. Ideo non hinc varietas vel identitas affectuum morbificorum surgit; sed ex similitudine potius affectuum animi: Ita ut qui declinaverit, sed maturè, voluptates imitari aliorum; & adversum affectus eos, quibus vexantur voluptuosi, liberiorem se custodire possit.

SECTIO VII.

NOn saltem in provectiori ætate, sed & in infantibus sæpe generantur calculi; de quorum molestia nunquam vel pater vel mater conquesta fuit; Unde igitur illi? An ex solo lacte? si hinc, quare non omnes infantes ex iisdem parentibus nati non sunt calculosi, sed unus saltem ex pluribus; vel plures; uno vel altero à calculo semper immuni permanente? Quod interdum ex parentibus cum semine deriventur morborum aliquorum seminaria in liberos; id libenter concedimus; sed quare ex non calculosis, ex non podagricis calculosi vel podagrici nascuntur? vel ex talibus parentibus, sani tamen fœtus. Nihil quidem sine seminali ratione in nobis existit sensibile; vel sensibile fit nisi ab insensibili principio in nos derivetur; attamen multa habemus singuli in nobis, quæ nec ex traduce accepimus; nec per cibos, potus vel aerem attractum extrinsecus hausimus; quamvis multa hoc modo quoque in nos deriventur, sed materia-

rialiter saltem omnia nulla verò formaliter, sed quod in nobis formales induant rationes, materialiter saltem in nos ingressa, nostræ ipsius imaginationis vitio id fit, si in malum; sed virtute, si in melius vergant. Nam sale acuto & subtili infectum semen ex quo generatur fœtus, in alio morbificorum in alio certe salutarium affectuum author est, prout in possessore excultum fuerit, externæ educationis beneficio vel vitio; Nam qui frænare didicerit vehementiores impetus lascivientis salis, illi tantum acuent ingenium, quantum læsuri fuissent membra patientis, si sine fræno crevissent; ita qui fœtus acutioris ingenii educatus fuerit inter homines stupidos & tardos; illius acumen ab animo derivatum, membris fiet noxium, tantasque passiones dolorificas causabitur illic, quanto subtilisasset animum magis, si naturæ suæ homogeneis succrevisset auxiliis. Ex obscuris sæpe familiis ingeniosissimi surgunt viri; ab ineunte ætate variis vexati calamitatibus; Sed magnorum virorum filii noxæ fiunt, vel fatui, parentum & præceptorum indulgentiâ. Sic quoque semina inferiora in nobis reddũtur & meliora quam fuissent futura à se ipsis, & pejora, secundum quod nos eis rebelles vel obsequiosos, duros vel faciles habuerint. Terra per se nec avenam nec hordeum feret, nisi alterutrum seminatum fuerit in eam prius: nec avena ex tritico nascetur, vel triticum ex avena, sed semini cuique suo germanus fructus. Si tamen defuerit vel pluvia, vel sol, vel aer, ad seminis fructificationem requisitus, quamvis non sterilescat omnino, stramen vel gramen inde proveniet tamen, ut recenseri non possit inter individua speciei sui. Ita in homine non nascetur calculus vel epilepsia, vel febris, absque vel calculi, vel epilepsiæ, vel febrili semine. Potest autem enervari eorum fructificatio, subtractis vel negatis ad cujusque fructificationem requisitis; Sed tales non sunt cibulentæ vel potulentæ materiæ, ad vitam necessariæ; sed quæcunque citra necessitatis legem ingesta fuerint corpori; maximè autem ea quæ lasciva concupiscentia, citra

omnem

omnem necessitatem vel utilitatem à nobis extorserit, vel intus porrigi, vel extra agi. Ab iisdem cibis & potibus epilepsia augebitur à quibus calculus communiter oriri vel augeri docetur, si in homine Epileptico voluptas sine fræno lascivierit; Ita in calculoso calculus; nisi sibi à voluptate temperare voluerit calculosus. Multos novimus qui abundantes divitiis valetudinarii fuerunt, sed pauperiores redditi, saluberrimi; quamvis per intervalla antiquis fuissent infestati doloribus: quorum seminaria intus latebant sed sterilia aliquandiu, castratis animi lasciviis; sive qui mutarunt cum fortuna animos; qui verò post æquè ac prius lascivierunt, illi destituti cibis antiquis, tamen ab antiquis vexabantur morbis; nihil ipsis profuit mutatio cibi vel potus, uno modo semper affectis animis. Ex infantibus interdum vel eorum affectibus judicia fieri possunt de parentum futuro statu; qualibus nempe morbis vexari debeant in ætate provectiori illi; quamvis prius illos non sensissent, nec agnoscere potuissent, nisi in infantibus se certis indiciis prodidissent.

SECTIO VIII.

NOn tantùm calculos generat spiritus salinus, vel semper; sed sæpè à vaporibus acribus, & mordacibus suam exorditur tragœdiam, quam tandem vel calculi generatione, hîc aut illic terminat; interdum humores salsos gignit & ad extrinsecas corporis partes propellit, tumorum variorum vel ulcerum parentes; interdum & vaporosâ & humidâ specie communia venarum & arteriarum emunctoria, illisque vicinas partes, divexat, eas inflammando, inflando, arrodendo, imò & sphacelando; nisi ipsi maturè contraveniatur vel à natura, vel ab arte, & fructus ejus ex corpore expellantur, vel ille ad quietem redire cogatur; Sæpè quidem occasione cibulentarum, & potulentarum materiarum occasione ad motum irritatur salinus spiritus; sed sæpe iisdem

quoque mediis vel remediis sopitur; ita ut non saltem innoxius hæreat in matrice sua, verùm omninò insensibilis occultetur, per menses vel annos aliquot. Non potest tamen inde argui, patientem omninò ab eo immunem esse quia eum, vel ejus molestias, suo sensu non assequitur; Nam levissimis occasionibus excitatur & redit ad membra quæ reliquerat; Calculusque in aliqua parte corporis relictus à spiritu suo formali, vel sponte ad dissolutionem abit, sicuti cadaver in putrefactionem; inde tamen non sequitur, quod cibus vel Pharmacum materiam illam mortuam ex corpore pellens, calculi generationem impediat; Nam aliter postulat mortificari vel enervari ipse spiritus lapidificus, aliter fructus ejus jam absolutus dissolvi & expelli: Hoc agere bonum est & ægro conducibile; sed illud multò melius: nam ejecto calculo non ejicitur simul spiritus calculosus, sed priori remoto alium substituit, si non molestiorem, primo tamen similem; Præsertim circa annos clymactericos periculosus admodum est motus ejus; Et quamvis per artem ejus vis coagulativa, vel calculi formativa enervari possit, ita ut à calculo nullam sentiant molestiam ægri, aliis tamen modis vexat patientes in corpore furiens, ita ut calculi dolores excellant tormina à spiritu calculoso proficiscentia. Non itaque artis solum, id est requisitum, calculi generationem impedire, sed adversum omnes molestias & pericula calculosi spiritus munire ægros. Qui autem Medicus ignorat locum quiescentis spiritus, dum benè habent ægri, sive non sentiunt se tam malignum in sinu suo fovere hospitem; ille non potest patientem tutum reddere adversum periculum recidivæ, quamvis promittat; nam diæta ipsa id præstare nequit, nec etiam aliqua diuretica, vel specifica adversum calculum dicata medicamenta. Sed sola id potest Phlebotomia; uti suo loco docebimus. Mingunt interdum ægri urinam ab initio claram & lympidam, cujus sedimentum paulo post fit vel limosum vel arenosum, rubens aut pallens; ex quo sedimento judicant uromantes, hominem illum

calcu-

calculo laborare, & circa lumbos gravem sentire dolorem; sed hic non à calculo surgit; verùm à vapore solo gravi, denso & obtuso, qui interdum quidem in calculos desinit; sed sæpe per ructus oris, vel crepitus ventris dissipatur; nec calculi propriè, sed salini spiritus præsentiæ index est & comes. Si fœmina prægnans talem emiserit urinam, non tam de ejus, quam de fœtus futura conditione inde peti possunt indicia.

SECTIO IX.

SEptimo septenario vel hebdomadali vel menstruo, circa quæ tempora dentium rudimenta sentiunt infantes, salium quoque variorum in sanguine hospitantium se produnt indicia, cum magna infantum molestia & inquietudine, imò sæpe & vitæ periculo. Singulare sal, singularibus se prodit signaturis, aliis nitrosum; aliis aluminosum; aliis vitriolaceum. Et quamvis nemo sit adeo prudens qui judicare posset de occultis, sive in centris suis latentibus salibus; citius quam se per sensibiles prodant effectus; Hoc tamen est certissimum omnes dolores & inquietudines tenerioris ætatis à sale solo scaturire, eoque non tantum ponderoso, sed & actu sapido, ideoque vel calente vel frigente nimis. Caloris enim & frigoris species vel gradus, vestes sunt spirituum salitorum ex tenebris in lucem ascendentium; vel ex luce ad tenebras redeuntium; Oculi nostri penetrare non possunt ad interiora [illegible], vel judicare de internis sicuti de externis; attamen [illegible] sensus internorum docent proprietates; Sic gustandi officium vel sapores discernendi linguæ proprium est; & tamen tactus suis quoque mensuris mensurat, quæ mensurare lingua nequit, nempe saporum discrimina; nam non soli sapores salium sunt indicia, sed & calores & frigora, & varii cruciatus doloresque cum suis differentiis; Interdum urit, interdum alget sal; interdum divellit, pungit, dissolvit constipat, coagulat, interdum suavius

vius titillat ſal; Et quamvis nullum membrum præter linguam ipſius poſſit manifeſtare ſaporis diverſitatem; tamen alia quoque membra ſuo modo id faciunt ſingula, quæcunque ab ejus vel vapore vel humore afficiuntur; quædam vero corporis partes omninò & mortificantur à ſale ita ut nec motus nec ſenſus aliquæ eis relinquantur micæ, vel in priſtinum vigorem reſtitutionis ſpes; Nam externi æſtus & frigoris vehementiam æmulatur ſal in humano corpore contentus, ipſumque fulmen motus vehementiâ; Nam & oſſa penetrat, medullaſque eorum conſumit, ſine continuitatis læſione; Interdum nervos & tendines contrahit, ſine omni doloris ſenſu, vel tantâ celeritate ut non ſentiant ægri ſe lædi vel læſos iri, citius quam læſi ſint. Virtutem hanc ſalinam, nominant ſcholæ venenatam qualitatem, quæ occultarum una quoque eſt; quia ſubito ſuam inchoat & terminat violentiam, non ſine clade ſubjecti ſui. Extremus calor & extremum frigus, indicia ſunt jam jam imminentis quietis ſalini motus; ſive mortis, ſive convaleſcentiæ ægri, & ſubitaneæ mutationis ſtatus ejus. Lingua à ſale vincta, ſaporum differentias dijudicare non poteſt; imo quandoque & motus liberalitate privatur. Sed membra reliqua, quæ videlicet guſtui deſtinata non ſunt, quamvis liberrima ſint, tamen præſentiam ſalis ipſis infeſti, non niſi ſolius caloris aut frigoris beneficio aut ſenſu, ſpiritui ſenſitivo repræſentant: niſi ab ejus acrimonia omninò ſphacælentur, ſive ab ejus communione totaliter divellantur.

SECTIO X.

A Locis affectis, vel pro varietate membrorum à ſalino vel vapore vel humore affectorum idem ſal variis nominibus à ſe ipſo diſcrepat; & in ſignaturis ſuis, & in ſenſu patientis; Diverſus enim eſſe apparet hic quam illic, quamvis idem ſit utrinque; Ad radices dentium devolutus, odontalgiæ nomen dat;

In articulis manuum vel pedum hærens, aut femora, genua, lumbos, hypochondria, intestina afficiens; varias chyragræ, podagræ, gonagræ, sciaticæ, melancholiæ hypochondriacæ producit Species; gradibus variis & illas ab invicem differentes. Et quamvis ad justum numerum reduci non possint omnes salium, vel salinorum affectuum varietates; tamen in gratiam eorum qui Medicinam exercent nos de omnibus sub gemino saltem loquemur genere, nempe salis humorosi vel vaporosi; ad quod omnes salini affectus reduci poterunt; salinis speciebus & specierum gradibus variè divisi. Sub titulo hydropis, examinabimus omnes salinorum affectuum proprietates, quæ innumeris nominibus ab invicem discrepant. In tres saltem species distinguitur affectus Hydrops dictus, in Anasarcam scilicet, Ascyten, & Tympanitidem. Tria hæc nomina, non causarum sed locorum saltem hydropis vel partium affectarum demonstrant varietatem, cum graduum saporis differentia. Pater hydropis cujusque, Sal est; sive is integrum corpus obsideat, sive ejus partes saltem aliquas, aut partium membra. Quod si vero pro varietate salium in hydropicis variantium, variare quoque deberent nomina affectuum, & speciebus & gradibus in singulis ægris diffidentium; tum non tres saltem darentur hydropis species, sed tot quot ægrorum sunt individua; nam paucos reperies hydropicos qui per omnia similiter doleant, vel æque periculosè afficiantur à sale quotquot unius speciei hydrope laborant. Nam omnes affectus hydrocæphalici, fistulares, scorbutici, diarrheæ, dysenteriæ, hæmorrhagiæ, fluxusque hepatici dicti, revera nihil sunt aliud quam salium fructus; vel mineralium salium in humano corpore, eam quam extra id habuerunt formam recuperantium; vel id in nobis sientium quod fuerunt in terra, citius quam vel vegetabilem vel animalem formam induissent. Ex terra sumus quod sumus; inque terram reverti debent omnia quæ ex terra processerunt; Solus spiritus hominis redit in locum ortus sui, scilicet ad Deum

qui fecit eum. Non subitò terra caro fit, sed varias mutationes patiuntur terrestres virtutes citius quàm caro humana fiant, & humano spiritui inservire apta; Sic quoque sensim, & nobis adhuc corpus hoc vel terrestre domicilium incolentibus, jam plura jam pauciora, quædam ocyus quædam tardius, pristinam sive terrestrem conditionem induunt; donec omnia nostro, vel nos omnium terrestrium subtrahamur commercio, in æternas translati sedes, & collegio immortalium creaturarum accumulati. Quælibet pars, aut membrum quodque corporis nostri, à certo salis genere, vel gradu, suæ conformationis trahit diversitatem; ita quoque diversum habet & saporem & odorem & colorem tam in quiete sua quàm in motu; Et sic variant omnia in nobis & formaliter & materialiter, sicuti variant excrementa, verba, gestus, crines, pili, ungues, & alia. Alius est odor vel fœtor putrescentis humoris, sanguinis, bilis, synoviæ, urinæ, ossis, alius carnis; alius hepatis, alius pulmonis, alius cerebri. Nam sicuti extra nos ita & in nobis mutationi subjecta sunt omnia, sed singula peculiari; quamvis omnia ex uno sale proveniant, sicuti ex una pluvia infiniti flores vel fructus. Durissima saxa extra nos scaturiunt fontes; E contra omnes fontes & aquæ in saxa abeunt in mari; primùm in limum, cœnum, aut argillam vel arenam commutatæ. Ex vaporibus generantur metalla & mineralia; In vapores iterum resolvuntur omnes metallicæ & minerales corporeitates; Pari passu ambulant omnia in aquis, in aere, in vegetabilibus, & animalibus scenis; ideò & in nobis; in nobis vapores omnis generis in carnem ossa & sanguinem convertuntur; Sed quæ aliquandiu fuerant caro, sanguis, medulla, os, post, quædam ocyus vel tardius in vaporem vel humorem convertuntur, novam induitura formam, & aliis subservitura spiritibus, sicuti prius nobis subserviebant. Sic quandoque calculi in nobis in vapores mutantur, sicuti vapores in calculos, vel humores, vel ossa. In vesicula bilis interdum vermis generatur; interdum calcu-

calculus non vermis. In ſanguine ſal interdum in humorem convertitur, interdum in vaporem, utrumque nobis ſaporis acrimoniâ magis vel minus moleſtum, utilem vel noxium, volupem vel dolorificum. Acrimonia ſalis non poteſt ſemper vel ubique impedire putrefactionem; nam acerrima ſalia ſunt quoque putrefactioni obnoxia, ac inſipida, quamvis ocyus hæc, illa verò tardius putreſcere incipiant vel deſinant. Excrementa ſanguinis, quæ ſenſim in ungues in nobis abeunt, ſicuti in animalibus in ungulas vel cornua; ſæpe quoque putreſcunt citius quam ex corpore egreſſa ſint; Atque hinc varia ulcera ſurgunt, valde acria & periculoſa; Quæ cōmuniter pterygia dicuntur. Nam ſal quo propius minerali naturæ tantò periculoſior ejus eſt in nobis fiens putrefactio; quia unum granum talis corporeitatis plures ſignaturas materiales occultat, quam libra integra ſanguinis aut carnis: Raphanus uterque, rapa, angelica, elleborus, aliæque radices amariores æq; putreſcunt, & vermibus ſcatent, ac ſyſer, paſtinaca, petroſelinum, vel fæniculum; non tutiores ſunt à putrefactione radices illæ acriores quam hæ dulciores. Aliâ tamen lege putreſcit vitriolum, aliâ nitrum, ſal commune, alumen, ferrum, argentum, aurum; Et quæcunque in corpore noſtro illis affinia ſunt, eandem quoque legem ſervant, in ſuis mutationibus. Spiritus lapidificus in nobis à ſpiritu noſtro in carnem vel oſſa mutatus, non mutat naturam ſuam, ſed ſaltem formam externam, ſuſpenditque officia ad definitum usque tempus; hoc inſtante ad priſtina officia redit aut redire feſtinat, atque pari modo vapores obvios ſibi in calculos mutat, ſicuti prius ſub ſervili conditione ipſe ab alio in carnes, vel oſſa, vel humorem, vel vaporem mutatus fuit.

SECTIO XI.

HUmores & vapores quotidiani, vel in omnium, singulorumque corporibus contenti, ut bilis, pituita, sanguis, sputum, urina, sudor, ichor, synovia, sperma; non sunt propriè salia ipsa radicalia; sed salium peregrinantium vehicula, vel vestes intermediæ, nobis se manifestantium. Nux non est revera id materialiter, quod in nobis caro fit vel sanguis, sed nucis spiritus, ex nuce in œconomiam spirituum corporis nostri translatus, materialem & servilem induit conditionem, ita ut cesset aliquandiu à suis insitis scientiis, nostræ subserviens seminali concupiscentiæ. Nec ex nuce, vel spiritu nucis nascitur frutex vel arbor; nam formales saltem spiritus sunt generationis alicujus novæ architecti; atque reciprocè invicem alii aliis subserviunt vel dominantur; sicuti spiritus humanus omnibus; omnes quoque ipsius corpori, sed spiritui humano nullus, præter ipse Deus; ideo Pater Spirituum dictus. Animales spiritus ex inferioribus, vegetabilibus scilicet, elementalibus, meteoricis, terrestribus, aquaticis, mineralibus, metallicis, salinis & sulphureis, suas sibi fingunt corporeitates; Moxq; vegetabiles vel metallici ex superioribus restaurant suas quoque; fitque cras aqua, terra, limus, quod heri caro fuit, os, pomum vel nux. Continua & indefessa est spirirituum naturalium peregrinatio; Solus humanus à tali peregrinatione liber est, & in quiete permanet post absoluta temporalis vitæ officia, nec revertitur in scenam hanc mundi sensibilem, semel ab ejus commercio dissolutus; nec reverti amat, aut potest hujus seculi amore captivus illic; uti hæc latius in Philosophia Sacra aliquoties demonstravimus. Non possemus scire causas quare homines pluribus morbis obnoxii sint, quam animaliũ species; Nisi scirem⁹ in uno homine plures reperiri concupiscentiarũ varietates, quam in aliquot animaliũ diversis specib⁹.

Nec

Nec ſcire poſſemus, qui nam ſint in nobis tam variorum dolorum authores; niſi extra nos ſapores, odores, colores, calores, frigora, pondera, aliasq; ſignaturas ſenſibiles adeo variare videremus. Nam nullus ſapor, vel color, vel calor aut frigus in nobis, niſi ab eadem cauſa à qua extra nos. Atque ſic mundi externi conditio nos in cognitione affectuum noſtrorum erudit. Cauſarum autem affectuum nos vel voluptuosè vel dolorificè afficientium cognitio, affinitatem noſtram cum mundo hoc nobis inſinuat. Externi frigoris occaſione vel violentiâ, quod eſt ſpiritus ad quietem terreſtrem & formas homogeneas vel tenebricoſas redeuntis, ſignum; concreſcit àqua in grandinem, nivem, glaciem; vapor in nebulam, rorem, pruinam, pluviam extra nos. Quare autem nullum tale in nobis frigus, quod ſanguinem vel alium aliquem humorem aut vaporem in nobis contentum coaguletin nivem, aut grandinem, aut glaciem? Nec id extra nos ubique operatur ſpiritus mundi, ſed in certis ſaltem climatibus; Attamen duriores in nobis proveniunt formæ, quam eſt vel grandinis aut glaciei corporeitas extra nos; ſicuti in his regionibus uberius metalla, in aliis mineralia, in his ſalia, vel fontes, in aliis ſaxa vel arenæ proveniunt. Formæ ſalium diſcrepant à ſulphureis corporeitatibus; hæ facilius mutantur, illæ difficilius. Calculus in noſtro corpore generatus ab iisdem cauſis non poteſt diſſolvi, à quibus glacies vel cera extrà nos. Ideò ſi non ſimiles ſunt formæ motuum, attamen quieſcentium ſeminum in nobis. Calculus non liqueſcet à calore in nobis, quamvis à frigido ſit natus ſpiritu. Nec humor aliquis in nobis in niveam vel glacialem transmutari poteſt conſiſtentiam; quamvis ſic frigeat intus, vel patientes refrigeret, ut nullus calor externus illius frigori prædominari poſſit; Nam ægrorum quidam, præſertim hydropicorum, etiam candenti fornaci aſſidentes, frigoris intrinſeci nullum ſentiunt ab externo calore allevamentum. Alii iterum etiam in glaciem ſepulti, mitigari æſtus interni violentiam non ſentiunt, vel frigidiſ-

ſima pota ſitis moleſtiam. Tàm varii & extremi ſunt ſæpe gradus ſalis in corpore humano ſævientis, ut & æſtum flammæ, & frigus glaciale excellant. Atque tales formas à quatuor humoribus vel externis qualitatibus derivare velle, certè Medico rationali eſt probroſum; multò magis ad qualitates occultas confugere; Lutum induratur æſtu, abſumpta per calorem externum humiditate; ſed non ſic vel à tali cauſa generatur in corpore calculus; vel tartarus in vino; vel cremor & coagulum in lacte. Sed ſicuti conchæ in mari, vel perlæ in conchiliis generantur, ſic quoque calculi fiunt in corporibus in quibus fiunt; ſinguli à peculiaribus principiis vel ſpiritibus ſalinis; Et ſicuti petræ ſolidiſſimæ & ſaxa duriſſima, in aquas & fontes diffluunt; ſic quoque ex carne & oſſibus, generantur humores, omniſque hydropiſis proveniunt ſpecies. Ille ſpiritus qui in mare labentes aquas in cænum, limum, arenas ſaxa convertit & coagulat; in nobis quoque omnia in carnes, oſſa, adipes, medullas mutat; Qui autem ſaxa, petras, metalla, mineralia in vapores & humores mutat extra nos; ille ipſe in nobis epilepſias, apoplexias, vertigines, aliaſque paſſiones cauſatur multifarias; eâ lege qua in mundo ſenſibili creſcunt & decreſcunt, multiplicantur & minuuntur omnia: Nec aliter differt externus ab interno, quam legionarius à monaſtico; vel princeps à gregario.

SECTIO XII.

NOn omnes convalles abundant aquis; nec omnes montes vel petræ ſcaturiunt aquas; nec etiam omnes ſcaturigines æquè multarum ſunt aquarum feraces; alii rivulos ſaltem, alii alveos ducunt; alii lympidas admodum aquas fundunt, alii turbidas, alii ſapidas, acidiores, dulciores; alii omninò inſipidas; Alii fontes, pinguedines ſudant, vel ſuccos ſicciores aut humidiores, magis vel minus inflammabiles. Et tamen quæ ex ſolidiſ-

ſimis

simis terræ centris proveniunt, spiritualium essentiarum fructus vel effectus sunt; suis quoque præditi seminalibus rationibus intus, sicuti extrinsecis signaturis discrepant; Talem ortum habent quoque & qualitates primæ dictæ; Alia enim est caloris generatio, alia calidi propagatio vel diffusio; Aliud est principium aquæ; aliud ejus fluxus continuatio. Disputant hucusque Physici de fontium origine, earumque aquarum varietate; Sed nondum constat de eorum generationis certo & formali principio. Hydropem autem, vel hydropicum humorem à frigiditate hepatis, & ejus sanguificationis labefactata virtute procedere, supponunt Medicorum Principes, & Medicinæ Doctores, suorum præceptorum rationibus persuasi; sed non propriis assecurati. Quodnam autem est principium id quod Hepar refrigerat, vel sic proprietatem ejus immutat, ut non sanguinem sed aqueum humorem generet; Nam si hepar generat aquam aliquomodo frigefactum; quomodo poterit generare sanguinem calidius, solius caloris beneficio; ex hoc argumento concludi posset imò deberet, hepar frigidius frigidam, calidius calidam generare materiã, non verò sanguinem; nam sanguis & humor hydropicus, multo magis differunt, quàm humor calidus à frigido; quis generat bilem, qui æque prope adjacet hepati, quam venæ mesaraicæ? an ductus biliarius vel vesicula fellis, diversam habebit ab hepatis officio generandi energejam; quod in hydropicis copiosior proveniat quam in bene valentibus; & frigore hepatis ejus generatio minimè immutetur, sed augeatur potius: Sunt hydropicorum multi, qui ingenti affliguntur intus æstu & siti; sed non omnes; aliqui frigent sed sitiunt; alii nec siti, nec calore, nec frigore nimio vexantur; solius saltem respirationis difficultate; in cæteris bene valentibus pares; alii suppressionem urinæ patiuntur, alii satis copiosam reddunt urinam, nihil deficiente sed quotidie proficiente pedum tumore, vel ventris, vel totius corporis; Alii laxiori alvi fluxu ad ultimum usque spiritum affliguntur; alii

tabe

tabe consumpti hydropici fiunt; Nec est possibile, ut omnes hydropis differentiæ enumerari possint, quæ in praxi quotidiana occurrunt. Sed affectus illos a sola hepatis intemperie, tanquam à causa hydropifica, derivare velle, tàm ridiculum quàm falsum est. Quasi aliquis diceret tartarum in vase, non ex vino, sed à vase ipso generari: Hoc certum quidem est, quod hepatis parenchyma varie à salinis vaporibus vel humoribus alteretur; sed quod aliquando ejus nativa proprietas sic immutari possit, ut loco sanguinis aqueum humorem generaret à solo frigore; nisi frigoris illius profundior adsit causa; stolidum est credere, multò magis docere: nisi certo & irrefutabili argumento fulciatur illa opinio. Docuerunt nos quidem Præceptores nostri, hepar esse sanguinis officinam; Nosque eam sententiam fovimus, quousque nos aliter de sanguinis generationis causis sentire docuisset Praxis; Et ex collatis dissentientium practicorum rationibus, Ratiocinatio. Pyrus non nisi pyra generat, canis canem, sus suem, in generationis liturgia; quamvis carnes à prædictis substantiis generatæ in alias se transplantari patiantur à superioribus seminibus signaturas. Quomodo autem possit hepar generare aquam ad sanguinis generationem à principio destinatum, causam nullam video. Quoniam sanguis & humor hydropicus non saltem numero discrepant, sed & speciebus. Nolumus hic esse prolixiores; satis est quod demonstraverimus, non ab hepate, sed à sale eoque minerali vel elementali, in nobis ad pristinam formam redeunte, humoris hydropici generationem procedere. Quamvis plurimas signaturas comites habeat in ipso suæ generationis exordio, & maturitatis termino; quæ nos docent ejus motus inchoati eventum & terminum, an nempe ab arte differri vel mutari, aut omninò impediri possit, vel debeat, aut non.

SECTIO

SECTIO XIII.

HYdrops itaque, vel hydropis author, ſpiritus ſalinus, unus eſt ex dæmoniis illis, quæ oratione & jejunio expelli poſtulant: cujus fructus ſoli medicamentis obſequuntur communibus, in quantum ſunt ſenſibiles; ſive humor aquoſus pellitur ex corpore medicamentis hydropicis, non autem illius humoris ſemen. Evacuato humore hydropico quo premuntur patientes, ſentiunt qualem levamen aliquod oneris illius, quod eos aliquandiu preſſit, & tantum non oppreſſit; ſed id breve eſt admodum & periculoſum; nam quamvis tumor corporis magnâ vel omni ex parte ſublatus ſit, expulſo ejus authore, tamen alia ſymptomata, ut ſitis, difficilis reſpiratio, totius corporis debilitas, manent in eodem ſtatu: ita ut ſentiant & ipſi patientes non ab humore ſolo; ſed ab aliis occultioribus principiis ſurgere eorum paſſionis cauſam. Præſertim id evidens eſt in illis ægris, qui manuali ſectione extracto humore, ſe convalituros ſperabant. Non nunquam, ſed valde rarò contingit, quod Hydrops ſuam tragœdiam terminet ſpatio ſeptem aut 14. hebdomadarum; & vel in aliud morbi genus mutetur, priori remiſſius vel pejus; vel in aliqua corporis parte, vel ope artis, vel ſine ejus ſubſidio, in exulcerationem abeat, unde ſpes aliqua apparet futuræ convaleſcentiæ, ſed ea fallax, vel admodum brevis. Interdum ſal in aliquo membro ſuppuraſcens, tumores antiquos tollit, ſed præterea nihil; Sæpe vidimus ægros, ſatis vegetos, uti ipſis, & aliis videbatur, inopinato à talibus caſibus exanimatos fuiſſe; quorum pedes non niſi tumebant, ad genua uſque, majori tamen ex parte ſphacælati, & ſenſu omni deſtituti; Aliquorum maculis primum pallidis mox nigreſcentibus conſperſi; nullo omninò dolore patientibus moleſti, niſi greſſus impotentiâ; qui tamen inter jocos & luſus exſpirarunt. Niſi labori & chartæ parcerem multa exempla talium caſuum recenſere

possem. Non nunquam tumor circa umbilicum erysipelatosus oboriens, hydropem solvit, patiente superstite relicto; interdum patientem cum morbo sustulit. Sæpe enim & per umbilicum suis se solet exonerare fæcibus sanguis, & illic apostemata producere, temporeque pestis bubones, ac sub alis & inguine. Qui per plures annos exercuit Praxin Medicus, in ea quæ ei quotidie occurrebant intentior, certè mecum fatebitur hydropis species non tres saltem, sed trecentas dari: quamvis ad placitum vulgi delirare sæpe ament Medici. Hydropis enim periculosissimæ species, extra annos clymactericos alibi proveniens, morbus est diuturnus, ideò quoad signaturas extrinsecas curatu facilior; quam in annis clymactericis; nam solis purgantibus facile abigitur; ita ut putent ægri & Medici, se morbum omninò evitasse & profligasse, symptomatibus ablatis; Sed in annis clymactericis repullulans malum, irritam facit & spem ægri & gloriam Medici; nam vel tumore antiquo simili, vel subitaneo vomitu & syncope exanimat patientem; Interea temporis nequaquam occultus, sed suis se quoque prodens indiciis. Sunt qui turpi quæstui inhiantes aut vanæ gloriolæ, præstantissima se experimenta habere prædicent contra hydropem, etiam inveteratissimum; sed ea quæ adhibent vulgaria sunt ex esula, ebulo, sambuco, elleboro, & aliis violentissimis catarthicis confecta; interdum humorem solum ex corpore, interdum & animum cum humore pellentia. Nonque tutiora sunt pharmaca talia, quàm extrinsecus adhibita incisio; Nam hæc & in extremitate pedum fiens, vel facta, patientem tertio vel quarto die de vita tollit, multo sensibili levatum humore. Sed quid non audet turpis lucri amor.

SECTIO XIV.

QUamvis autem hydropici affectus plurimi, præsertim circa annos clymactericos efflorescentes, sint valdè periculosi ægris,

ægris, & medicâ arte difficile superabiles; Tamen, de periculis eorum præmoniti patientes, à Medicis omninò deserendi non sunt, nec etiam temerariè tractandi; sed quousque permittit humana sapientia, & bona conscientia, talibus muniendi remedia: quæ si non spei & votis patientum, semper respondeant, tamen necessitati satis faciant, ut dolor partium tolerabilis reddatur. Nam multi hydropici tantis cruciatibus vexantur, quod vix [illegible] possint, ne sibi ipsis manus violentas inferant. Sal ex urina hydropici paratum, sæpius repetitâ dissolutione & coagulatione depuratum & quasi spirituale redditum, post usum catarcticorum sæpe ægris propinatum, cum vehiculis spiritualibus, diureticis vel diaphoreticis, in omni hydrope, arte humanâ curabili est præstantissimum. Idem sal mirabilia præstat in sanguinis omni profluvio, screatu, vomitu, à docto Medico doctè paratum, & justo tempore exhibitum. In sola sambuco plura & certiora sunt adversum invalescentem humorem hydropicum remedia, quàm omnia enarrari possint. Quod autem ejus causas [illegible] attinet; eæ profundius latent, quàm ut sensibilibus remediis enervari, & steriles reddi possint, vel patientibus innoxiæ. Si iræ, Veneri, aliisque carnis voluptatibus maturè obviam [illegible], arte tali studioque castrantur hydropis seminaria, & [illegible] in suis centris, ita ut minus patientes lædere possint; [illegible] enim & Veneris insolentiores efflorescentias suam præ[illegible] insinuant patientibus, citius quam hydropicis signaturis [illegible] membra. Novimus patientes, quorum integrum corpus [illegible] anasarcâ, imò & aliquos ascite, & tympanitide affectos, qui solius asari foliorum & radicis usu detumuerunt, seque omnimodè restitutos esse putabant; sed alii biennio, alii triennio post in eundem affectum relapsi, subitò perierunt, crebris [illegible] vomitionibus aliquandiu divexati; Atque inde, & ex similibus casibus liquet, quod cura hydropis absoluta non sit, solius hydropici humoris evacuatione; Nec etiam sufficienter mu-

nitus adversum ejus recidivam patiens, adminiculo medicamentorum hepati confortando dicatorum. Non enim hydropis cujusque seminaria, eradicantur humore copiosiori ex corpore elicito; sed quædam in corpore sic occultantur, ut ab oculatissimis Medicis vix agnosci queant adesse, citius quam erumpant; quæ tandem uno quasi impetu & erumpunt & ægros suffocant, non tam humorum quam vaporum abundantiâ, extremè acrium vel gravium.

SECTIO XV.

HYdropicos interdum vel longiori abstinentiâ potus, vel vulgaribus medicamentis, convaluisse, imò & aliquos spontè sine omni adhibito artis auxilio, non negaverim. Sed omnes eo modo convalescere vel curari, & ab hydropis periculo liberari posse; non concesserim: Nam sicuti externæ signaturæ ejus variant, ita interna quoque seminaria. Sitis interdum hydropicos nulla vexat, interdum tolerabilis; interdum adeò vehemens, ut eam nemo tolerare possit, nisi flammam ignis pati possit; nam sic sæpe æstuat sal intus, uti flamma ignis extra. Imò sunt quidam patientes, ob desiderium convalescentiæ, qui ingentem ferunt sitim sine potu, existimantes se eo modo humore hydropico liberatos iri. Sed nec hoc modo, nec aliis remediis etiam durioribus à peregrino hospite liberari nequeunt, sed & morbi ipsius & sitis molestiâ ad ultimum usque agonem premuntur, donec opprimantur. Quorundam intestina interni humoris acrimoniâ sic læduntur, ut ad vitæ munia obeunda omninò inutilia reddantur; quali modo læsa vel mortificata intestina, fæcibus & medicamentis fiunt impervia, ita ut alvi fæces, vel clysteres extrinsecus injecti, sursum ad os regurgitent. Quem affectum quidam Medici oriri putant ab intestinorum quâdam implicatione, vel contorsione; applaudentibus tali eorum sen-

ten-

tentiæ muliercularum fatuarum animis. Non nunquam sola colica passio, vel eam excitans salinus humor tam violens est, quod suâ acrimoniâ in momento sic intestina sphacelet, quasi in ferventissimam aquam immersa fuissent. In tali affectu præscriptus à me Clyster, & à Chyrurgo patienti immissus, altero demum die per os egressus fuit; Quamvis autem extracto à Chyrurgo clysteri ramenta intestinorum adhæsissent, non tamen id ominabar mali, citius quàm clyster per os egressus fuisset; sed hoc facto, patientem non evasurum prædixi, qui etiam die ab egesto clystere demum quarto obiit, morte admodum lentâ, & sine omni doloris sensu obdormivit quasi. Patiens is fuit unus è societate Jesu; Qui, ante diem unum quàm ad eum vocatus fuissem, dixit se perpessum fuisse vehementem admodum dolorem colicum, quasi candenti ferro intus adustus fuisset; sed hoc subito ad extremum usque halitum nullum sensit dolorem, præter solius alvi constipationem, & crebram vomitionem, per quam omnia nisi intestinorum contenta excernebantur. Pari modo extinctus fuit Nobilis quidam annorum 35. Nihil adeò periculosum [illegible] ntibus in affectu ejus amicis. Solent interdum per vomitum vermes ejici à tali affectu, scilicet hydropico, vel colico, [illegible] s ægris; ex quibus certò concludi potest, intestina alvi ad nulla munia omnino inepta esse; & patientem quasi ab infra [illegible], morti proximum.

SECTIO XVI.

HYdrops, calculus, phthisis, odontalgia, phrænitis, nephritis, pleuritis, podagra, apoplexia, paralysis, colicæ & iliacæ passiones hæmorrhagiæ, cum suis speciebus fructus sunt salinorum principiorum; pro diversitate ætatum & membrorũ variantes; ita ut unus in alium sæpe mutari possit, imò & transeat, vel sponte propriâ, vel externarum causarum occasione. Sal podagri-

gricum in ætate teneriori se manifestans, non afficit articulos pedum, sed indifferenter alia membra plura aut pauciora; Et vel in calculum desinit, vel hydropem, vel tabem, vel dysenteriam, vel fluxum hepaticum; Quamvis seminaria podagræ fœtui cum spermate communicentur, æquè ac calculi, vel aliorum morborum; quamvis maturitatem suam non assequatur nisi in adultioribus. Nam sal podagricum, vel quod arthritides & articulorum affectus per suas species distinctos, producit, ad medullas usque ossium penetrat; vel exinde in articulos derivatur, tantò magis ossibus & membranis quam carni vel musculis inimicum; dum in tumores inflatur; jam internus ejus ardor remisit; nec adeò affliguntur ab eo ægri, ac fit citius quam tumor aliquis in parte affecta sensibilis appareat. Non ossa sunt exquisitissimi sensus, & sentiunt dolorem à sapore, à quo musculi non nisi calore afficiuntur; Ex communi opinione vinosi & libidinosi videntur esse ad hunc affectum proniores; Et ita est; non tamen quod vel vinum vel venerea libido podagram generandi præ cæteris rebus potentiam habeat, sed quod illi in quibus podagræ vel salinorum morborum latitant seminaria, ad talia exercitia titillatione salis intrinseci stimulentur, & vel sitiant vel lasciviant magis, quam illi in quibus salia minus acria hospitantur. Ideò ex nimia ira, libidine, & potandi consuetudine, judicare possumus de futuris talium personarum affectibus morbosis; nam qui sal in juventute titillantes saltem halavit vapores, ille in ætate provectiori acriores spirabit; & qui saltem imaginibus exercuit mentem prius, post & salsis signaturis sensus & sensoria vexabit. Ex lasciviore parente natus infans, epilepticus erit in juventute vel calculosus; sed ex calculoso vel podagrico; iracundus & libidinosus. Si non in primo, secũdo tamen, tertio, quarto, vel septimo septenario. Nam nullæ salinæ tincturæ proveniunt in corpore, quæ citius non turbassent animum imaginibus. Voluptates juventutis, sunt indicia futurorum vel in provectiore ætate subsecutu-
rorum

torum dolorum. Plus itaque prosunt in juventute voluptatum fræna, ad præcavendas senectutis molestias; quàm optima quæque remedia adversum morborum jam præsentium plagas. Quod ad dolores externos eorumque tumores, & nodos attinet, podagricorum, illi non amplius imaginationis motui subsunt; sed pharmacis diureticis, diaphoreticis, & extrinsecus topicis diseu quibus mitigari & aboleri postulant. Quantùm ira & voluptas eorumque excessus, affinitatis habet cum calculo, hydropi & podagra, aliisque affectibus salinis; tantùm eos impedit metus & tristitia, ita ut & quandoque omnino infatuet, vel enervat; ideo multi podagrici subitá animi consternatione ab ingen[illegible] & podagræ plaga convaluerunt. Sed non sic hydropici vel calculosi; quia semen horum affectuum ab imaginatione longius distat, quàm podagræ; quamvis fructus quoad pondus nihil differant. Calculus cum podagra sæpe vices mutat, ita ut calculosi interdum evadant podagrici; & hi quoque per calculi successionem suis solvantur doloribus; Quidam & à podagra & calculo simul vexantur.

SECTIO XVII.

HOmo certè microcosmus est, sive cœli & terræ compendium, nam nihil est extra nos vel boni vel mali, vel vitalis vel mortiferi, cujus idea in nobis non sit; nihilque est quod nos alit, quod non alatur vice versa in nobis. Terra alit stirpes, herbas, gramina; hæc animalia; Animalium carnes, nos; Sed in nobis reciprocè vivunt & aluntur omnia, si non materialiter, attamen formaliter. Nam nihil habemus in nobis quæ non supernè vel infernè hausissemus; Amor cœli vel terræ in nobis prævalere, hujus vel illius naturæ præsentis indicium est. Jam cœlum terræ, jam terra cœlo prærogat. Quantò seduliores sumus in [illegible] Divinorum, tantò viliora sunt terrestria; sed horum

affini-

affinitas, inimicitiam conciliat inter nos & cœlum. De cœlo non nisi bona in nos descendunt omnia, nulla mors, nullus morbus, nullus dolor, nulla animi anxietas supernè delabitur; quæ talia sunt extra, vel in nobis; infernè ascendunt omnia. Qui ex humani corporis partibus, carne, sanguine, medullis, ossibus, adipe, remedia quærunt morborum; illi ignorant se ipsos; quod nempe in majori mundo omnia exstent materialiter vel formaliter, quæ in nobis sunt; non opus est igitur ut sæviamus in cadavera mortuorum, si in familiis inferioribus actu omnia adsunt, quæ in humanis quæruntur corporibus. Morbus enim nihil aliud est, quam dominium spiritus inferioris in corpore scenæ superioris; sive virtutis servilis, & materialis, in ordinem imperialem & formalem translatio. Nam sicuti spiritus cœlestis trahit inferiorem in comunionem sui, suâ affinitate; Ita spiritus inferior deprimit superiorem, iisdemque casibus eum reddit obnoxium, quibus inferiores subordinati sunt. Atque ex tali spirituum inferiorum cum superioribus illegitima confusione, trahunt originem omnes defectus in nobis, morbi & passiones dolorificæ, tàm animi quàm corporis. Elementa steriles sunt matrices seminum, Spiritus seminales sunt qui moderantur omnia, & motus & quietes rerum, & eorum varias tùm in quiete tum in motu signaturas: Concupiscentias, cognitionumque modos, & virtutum materialium specie, numero, gradibus differentes discrepantias. Non possent nos nutrire animales vel vegetabiles corporeitates, vel in nostrum sanguinem, carnem, sperma converti, simplici mutatione, qualem imputant hepati, sanguificationem ei soli attribuentes; nisi seminales & formales rationes sensibilibus signaturis vestitæ putrefactionis externæ corporeitatis eorum beneficio à suis liberarentur vinculis, atque sic sub forma spirituali nostrorum spirituum œconomiæ accumularentur; ideò tam inutile est nobis hordeum ad confectionem cerevisiæ, quam stramen; crudum scilicet, & absque præviâ illius corporis putrefactio-

factione; Ita cibi in stomachum ingressi, sed in mucilaginosam substantiam commutati; absque digestionis actu, pondere nos gravant, & ad nutriendum sunt inepti: sicuti talis sunt cibi reliquiæ in corpore post egressum eorum spiritum residuæ. Spiritus itaque soli sunt, qui negotiantur cum spiritibus; corpora eorum externa & sensibiles signaturæ, vestes sunt saltem eorum vel vehicula ex una familia in alteram peregrinantium. Piper, & alia [illegible] similia excitant quidem calorem quendam in sensu, vel caloris speciem, sed nullum in spiritu; Alia est virtus, quæ calore suo applaudit spiritibus, quam ea de qua judicant gustus & tactus; sive alia species ignei, alia spiritualis caloris. Alia focalis, alia astralis. Aliter urit ignis extra; aliter sal in nobis, quamvis hic virtutem illius æmuletur; Aliter æstuat sal febrile, aliter podagricum; aliter in Venere, aliter in ira, aliter in sensu, aliter in animo.

SECTIO XVIII.

NOn possunt omnia incommoda corporis nostri derivari in nos ab humoribus; sed aliter nos afficiunt humores, aliter vapores suis signaturis sensibilibus invicem discrepantes & decertantes, aliter ex vaporibus vel humoribus concreti fructus: sive aliter calculi porosi, friabiles, longi, rotundi, angulares, vel duri, aliter sicciores & immobiles materiæ, aliter fluxiles; aliter sal aluminosum, aliter vitriolaceum, alkali vel nitrosum. Sed nulla horum entium proveniunt vel nascuntur in nobis simplici mutatione accidentali, sed non nisi substantiali; scilicet à seminalibus rationibus illius speciei, cujus signaturas in suis ostentant signaturis, & à spiritibus meteoricis, mineralibus, vegetabilibus. Nam nisi inhæreret nobis spiritus calculosus, vel podagricus, vel epilepticus; nullus quoque in nobis nasci posset vel vapor vel humor sic nominatus; Omnes itaque & humores & vapores præsupponunt in nobis diversari spiritus eorum authores; Spiritus enim

nudi non possunt incurrere in sensus nostros, sed qualiter nobis aut prodesse aut nocere volunt aut debent, qui à fatis eo fine irritati, talibus se vestiunt corporeitatibus, illorum signaturis sensoria,& per hæc sensibus, per sensus autem rationi nostræ obvii, jucundi & volupes, vel horrendi & dolorifici. Calculum comminuere, vel comminutum expellere, humores & vapores sensibiliter nos afficientes, discutere aut contrahere; artis est nostræ; cujus intentioni subserviunt medicamenta communia, longiori usu & experientia comprobata. Sed generationem calculi prohibere, vel humoris podagrici, vel vaporis epileptici; majoris est artificii, quàm ut id comunibus mediis,& remediis patrari, inchoari vel perfici possit: Nam expulso calculo uno, succedit alter; Ita podagrico vel epileptico symptomate vix terminato, imminet aliud priori simile, vel remissius vel vehementius; non id quidem, secundùm opinionem nostram, tale redditum occasione vel cibi vel potus, vel medicamenti; sed pro varietate interni seminalis principii; Sapè qui inordinatè vivunt, parciùs & tardiùs ægrotant, quàm qui omnia meticulosè agunt. Multum desudant sed frustrà Medici; multas impensas faciunt, sed frustra ægri, spe convalescentiæ vel præservationis; Quia tam hi, quàm illi in secundis tantum hærent causis; ad primas autem non pertingunt; imò nec de illis sint solliciti; cum tamen ex illorum centris scaturiant sensibilia omnia. Desidiæ quidem & ignorantiæ Medicorum patrocinatur illud, quod audivimus in scholis; nempe, Medicum versari tantum circa sensibilia; Sed ex hoc principio concludi non potest, Medicos patientibus esse prudentiores; quia nec hi dolent, nisi à præsentibus jam morbis. Medici autem officium est, non solum symptomata mitigare actu molesta, sed à futurorum periculis liberare ægros; hoc autem fieri nequit, sine prænotione causarum, quæ communiter profundius latent, quàm ut sensuum scrutiniis indagari possint, nisi ratio nos ducat ad cognitionem centrorum earum tenebricosorum

tium. Sensibiles humores, ab insensibilibus derelicti causis, mortua sunt cadavera, solo pondere ægris infesta; sed non sic suis formalitatibus prægnantes; Magna est differentia inter aquam stagnantem & scaturientem; illa suis terminis cohiberi potest, hæc non; Ita quoque humores steriles sunt, qui sunt omnino excrementitii; sed qui vaporibus suis & spirituum œconomiam infestant, vel corpus integrum gravant, ponderibus tamen destituti; non sunt steriles, sed ab internis principiis informantur. Quamvis autem ars illa in scholis humanis non doceatur, scilicet illis, in quibus non nisi ethnicorum sonat sapientia; Tamen fuerunt olim multi, qui solis verbis mirabilia patrarunt, & multò celebriora quàm nos hodie præstantissimis & pretiosissimis medicamentis præstare possumus; Quod si à tali Medico institui cuperemus non à quali instituti fuerant antiqui illi Prophetæ & Thaumaturgi, sine dubio eadem ab ipso impetraremus & possemus, quæ illi potuerunt. Sed nos non quærimus sapientiam, soli inhiamus quæstui; igitur hujus quoque fatigamur impedimentis. Si vis, dixit ille leprosus ad Dominum, potes me mundare; volo, respondit illi Dominus, Fiat, & factum est. In comunionem talis virtutis non solum admittit Dominus nos homines, sed & invitat, promittens nobis se daturũ omnia quæcunq; ab eo petiverimus; ut non solum agere possimus quæ egit ipse, ejusq; discipuli, sed & illis majora. Abi ablue te in Jordane septies, dixit Elisæus leproso illi; Fecit id, & convaluit. Nisi obedivisset jussui Prophetæ, minimè convaluisset, quamvis vile admodum videbatur patienti præceptum Prophetæ. Ita sæpe & incredulitas & inobedientia patientum prohibet ipsos convalescere; quia vilis videtur in eorum animis methodus à Medico prudente ipsis præscripta. Sæpe vero Medici ipsi authoritate eâ destituuntur, ut eis obsequantur spiritus morbifici, quamvis putent vel jactent se singularibus medicamentis adversus hos vel illos affectus munitos esse. Attamen tales potius amant Medicos ægri, qui videlicet eis similiter deli-

rent, & loquantur quod ipsorum auditui suave, vel captui aptum est. Sunt quidem interdum Patientes convalescentiæ avidissimi, & quæcunque eis imperant Medici agere promptissimi, ita ut majori relligione horum mandata custodiant, quam Divina, sed ideò quod relinquunt Deum & confugiunt ad Medicos, frustrantur votis suis; & vel longius vexantur à spiritibus morbificis, vel gravius, donec ab eis omninò opprimantur. Si opus est prudentiâ & sagacitate Medicis in cura morborum; certè ea indigent in podagra & hydrope curando; nam horum symptomata non remittunt, sicuti epileptica, vel febrilia; sed & Medicis & ægris indesinentes pariunt molestias ab exordio ad finem usque cujusque circuitus; majores & periculosiores hydrops quàm podagra. Humore suo cupiunt exonerari hydropici, quo facto, satis putant factum ipsis; sed eos valde falli, vel sæpe, vel semper, tristes docent eventus.

SECTIO XIX.

IN hydropicis, colicis, calculosis & podagricis affectibus, ita & in dysentericis, intestina variis acribus alluuntur humoribus, substantias eorum arrodentibus & stimulantibus, ita ut quidam cum excrementis alvi, mucum ipsum lateribus intestinorum adhærentem excernant; atque huic periculoso admodum incommodo nullis commodius obviam itur remediis, quam injectis clysteribus, iisque anodynis & pinguioribus, per diem bis, ter, vel pluries repetitis; ut eorum beneficio intestina adversus humores corrosivos eorumque incommoda muniri possint. Nam sive alvus adstrictior sit, sive lubrica; in utroque tamen ejus affectu sua utilitate non destituetur clyster; in illo enim, suâ lubricitate humectabit intestina, & excrementis exitum commodiorem reddet; in hoc, salinorum vel vaporum vel humorum mitigabit acrimoniam; In colico affectu, à clystere illius symptomatis cu

ra est

ta est inchoanda, citius quam intestina extremitate acrimoniæ salis intrinseci sphacælentur, vel mortificentur; quod sæpè factum observavimus; ita ut clyster tardius injectus, vel intestinis jam sphacælatis, ad os regurgitarit. In calculo & hydrope non semper quidem solet esse adstricta alvus; attamen intestina in utroque affectu ab acrimonia salini vaporis vel humoris periclitantur. Hydropici non semper suppressionem urinæ patiuntur; nec etiam omnes copiosam æquè mingunt; alii pauciorem, rubram, carnis loturæ similem; alii cruentam cum multo simili sedimento; alii aqueam, pallidam, vitellinam; interdum aliqui indesinenter mingunt, dormientes & vigilantes, nec eam comprimere possunt, quia musculi vesicæ dissoluti sunt, orificium ejus comprimentes. Podagrici satis copiosam reddunt, & sanis per omnia similem; quia salis substantia gravis est, & solo pondere, vel sapore æqualibus mensuris extrema pedum affligit. Quam primum autem in talibus affectibus crepitus ventris mingentem comitantur; symptomatis illius circuitum solutum iri indicio sunt; In calculosis præter clysteres, balnea quoque consulenda sunt; & in omnibus affectibus in quibus urina suppressa est, laconica multum prosunt, ad symptomatum mitigationem & abbreviationem, sive ad causas secundas enervandas, quamvis ad primas nulla pertingat medicamentorum vis; sed sola patientis imaginatio si virtute cœlesti armata sit. Cathartica vehementiora valde sunt periculosa in omnibus salinis affectibus; quamvis vomitiva interdum calculosis non noceant; Ita quoq; podagrici, sed optime valentes, & ab omnibus insultibus salinis liberi, si interdum vomant, præsertim circa novi & plenilunia, futurorum symptomatum vehementiam mitigabunt. In Phthisicis purgatio omnis fugienda, & solis clysteribus emollienda alvus; nam sanguis violentiori cathartico turbatus, ad ordinarium suæ digestionis motum difficile reducitur, absque singulari patientis periculo: Plures enim vapores eructat ad Cor & pul-

 monem

monem fervens, quam illi uno exſpirationis actu foras propelli poſſint, ideo difficili reſpiratione poſt purgationem vexantur ægri, graviori quam prius; Ita ut quidam eorum ſic ſuffocentur à vaporibus in cor irruentibus, ſicuti alii ab humorum acrimonia exanimantur. Sed ſæpè patientes & à clyſteribus & à balneis abhorrent; Quid in tali caſu agendum ſit, ſuadere nemini audeo; Manum de tabula detrahere tutiſſimum eſſe judico.

SECTIO XX.

OMnes affectus ſalini ſunt valde periculoſi, præſertim qui à vaporibus ſurgunt, nam vaporum vehementià immediatè à ſpiritualibus principiis proficiſcitur: Atque hinc omnium acutorum morborum eſt origo. Humoroſi affectus tardiores ſunt, humores enim non moventur vel informantur immediatè à ſpiritibus, ſed per intermedios vapores. In acutis morbis nullum poteſt formari certum judicium de eorum eventu; ſed in tardioribus, per certa indicia de eorum augmentis vel decrementis erudimur certius. Et tamen nulla de aliquibus eſt ferenda ſententia etiam deſperatiſſimis quoad ſenſum & externa indicia; Nam ſæpè jam quaſi agonizantes convaluiſſe aliquos novimus, etiamſi pauciſſimos; præſertim qui aliquo affectu extra clymactericos laborabant. Sed in ſeptenarios vel menſtruos vel annales incidentes ſymptomatum ortus, & vehementiores ſunt & diuturniores, & periculoſiores; nullaque judicia certiora ſunt quam de affectibus clymacterico anno recurrentibus; Interdum ſalini affectus pernitioſiſſimi, non morte patientum, ſed membrorum plurium aut pauciorum contracturà terminantur; Ita ſunt multi per omnem ætatem vividi, & ab omni inſultu morborum immunes, quorum digiti in manu, una vel utraque, duo vel tres immobiles fiunt, in ſe ipſos contracti, ab humoribus ſalinis deorſum præcipitatis. Quid vetat quod nos Medici nequeamus tàm certa de morbis

morbis futuris formare consilia, sicuti Astrologi, de variis astrorum aspectibus, noviluniis, pleniluniis, & Ecclipsibus. Sed dixeris Astra moveri sine arbitrario motu, necessitate fatali; Homines autem libere; ita ut indifferenter ad hoc vel illud objectum proclives magis sint, non violenter tracti vel coacti, sed prout cuique visum fuerit. Attamen plerique, nempe omnes animaliter affecti, sic trahuntur ab internis affectibus sicuti bruta rationis expertia, ad iram, ad voluptatem, ad amorem, ad odium, ut nulla revera sit inter eos discrepantia & inter illas creaturas quæ sine sensuali cognitione agunt sua, vel fatali necessitate; ideo de talium affectibus futuris, æque certò judicare possimus, sicuti Astrologi de astralis motus variatione. Paucissimi sunt hominum qui libertate suâ secundùm legem justam utuntur, sive suis brutalibus affectibus imperant aut dominantur; Qui tales sunt, à communi de omnibus judicandi regula sunt excipiendi. Externæ occasiones, irritamenta, vel impedimenta humanarum externarum actionum, videntur aliquid necessitati obstare; attamen si rem acutius examinaverimus, externas occasiones à fatis quoque ad suos fines dirigi deprehendemus. Causæ enim primæ non moventur à secundis, sed has suis fatis adaptant; quamvis his imputent homines, quod non his sed illis imputandum foret.

CAPUT VII.

De Febrilium Affectuum Varietatibus, earumque Causis.

SECTIO I.



Eceptum est in scholis vulgare illud; Humani animi turpissimum vitium: Nihil dici posse, quod non dictum sit antea. Quia igitur de Febrilibus affectibus eorumque differentiis, & differentiarum causis, ante nostra

nostra tempora commentati sunt plurimi excellentissimi & celeberrimi per orbem Medici, quibus ego me nequaquam vel quoad acumen ingenii, vel quoad famam, vel quoad authoritatem, vel quoad experientiam, comparare volo nec possum. Ideò me quoque plurimi Lectores non nisi dicta dicturum, vel antiquitùs audita aut scripta repetiturum existimabunt. Alii dicent me à titulo libri longe vagari. Promisi enim in exordio me hic non nisi de Sale, ejusque variis in humano corpore resolutionibus, scripturum. Febres autem vel febriles affectus ab illis qui ex Sale, Sulphure & Mercurio omnia constare dicunt, inter sulphureos morbos numerantur. Quod ad priores scriptorum horum meorum censores attinet; illis, an verum de me sentiant, singulæ lineæ hujus scripti attestabuntur: Quod si sententiam aliquam aliunde descriptam, ad communiendam sententiæ nostræ veritatem à me allegatam repererint, exceptis sacræ Scripturæ dicteriis; illi me non nisi dicta dicere, & aliunde descripta repetere, audacter pronuntiare poterunt; si verò me non nisi meis propriis rationibus ubique vallatum deprehenderint; mutabunt sententiam; & me inventa antiquorum inventis auxisse, vel augere velle, mihi non invidebunt. Posteriores me ab omni errore absolvere debebunt, si consideraverint me hic in nullius Medici sententiam singularem propendere, sed de omnibus morbis liberè philosophari; Atque ad talem philosophandi libertatem omnes Medicos meo exemplo invitare. Præsertim eos qui sapientiæ potius quàm turpis quæstus sunt studiosiores. Scimus salia succos esse minerales, flammæ incapaces, & ab igne inconsumptibiles; Sulphureas è contra corporeitates flammam & citò concipere, & in vapores fumumque dissolvi. Ita quoque variare & humores in nobis, aliosque salibus extrinsecis, alios sulphureis vel inflammabilibus succis affiniores esse; Sed in corporibus animalibus reperiuntur humores & vapores varii, alii mere salsi, vel sulphurei; sed alii quodammodo misti, & ex utraque natura quasi compositi,

cti, sive sulphurea & salina, ita ut qui eos sulphureos vel salinos appellaverit, nequaquam errare possit, tamen quia Hermaphroditica sunt aliqua, sicuti extra nos, ita & in nobis; quæ videlicet & pinguibus & salsis indifferenter uniuntur; sicuti sapo per artem, talis redditur; vel nitrum à natura producitur extra nos. Inter corporis nostri contenta, biliosus est ejus conditionis humor; Nitroso sali maximè affinis, jam ad sulphuream magis, jam ad salinam propensus naturam, & tales producens in nobis fructus. Ideò fortassis solus inter alios; Febrilium affectuum judicatur causa.

SECTIO II.

Quamvis autem nova hic aliqua dicturus sum, nequaquam tamen falsa, & sanis rationibus destituta; sed sic comprobata omnia, ut me nullius antiquitatis authoritas à sententia mea dimovere possit, nisi in contrarium allatis fundamentalibus argumentis. Nec tamen ideò nova aliqua divulgare constitui, ut Medicæ Arti, inter omnes artes maximæ utili & necessariæ, aliquid detraherem; sed ut eam à turpi abusu & prophanatione medicastrorum omniū vindicarem, & pristino honori restituerem; variis abusibus turpissimè deformatam. Hujus instituti mei nullos metuo adversarios, inter Medicinæ Professores & Practicos rationales, & prudenter sua tractantes omnia. Qui temerarii, loquaces, irrationabiles, empyrici mihi obloquuti fuerint; eorum contradicentias non metuo. Vivo mihi non nocebunt, nisi rem inconfutabilibus argumentis gesserint. Qui mortuo leporinâ audaciâ insultaverint, nihil tamen ideò detrahent veritati, vel rerum certitudini. Audito saltem Febris titulo, sine omni causarum primarum, imò & secundarum scrutinio, ad medicamenta ægris propinanda se accingunt hodie multi, non Medici solum ex professo, sed & medico nomine indigni pagani sacerdotes, barbi-

tonsores, balneatores, imo fatuæ quæque mulierculæ, & anus sordidæ. Jactant enim se experimenta habere optima adversum febres omnis generis, singulari & infallibili experientiâ comprobata; etiam adversum pestilentiales & hecticas. Et quid dicam de temeritate illâ Medicastrorum, nam & magni nominis Medici hâc scabie infecti sunt, ita ut seduliores sint in corradendis hinc inde experimentis, adversum certos affectus sopiendos servientibus, vel secundum communiorem methodum parari consuetis; de scrutinio causarum profundiorum minimè solliciti: cum summo ipsorum dedecore & patientum incommodo. Nam satis se fecisse requisito officii sui arbitrātur plurimi, si membrum aliquod affectum ab hoc vel illo dolore, nominare saltem sciant, scilicet vel hepar pati, vel pulmonem, vel renes; cum tamen idem sentiant ægri, etiam nullius artificialis regulæ conscii. Sed unde hoc vel illud membrum afficiatur continuo, vel per intervalla, jam cessantibus jam redeuntibus doloribus; id æque eos latet ac patientes ipsos. Non adsumus autem hic, ut omnes errores & abusus artis aboleamus, id enim est impossibile; Mundus enim vult falli; Sed saltem in gratiam ægrorum & Medicorum quorundam, causas primas & secundas febrilium symptomatum eorumque periodicorum circuituum demonstrabimus; Cognitâ autem seminarii febrilis matrice & radice, minori molestiâ, paucioribusque expensis & certiori methodo, non saltem febriles plagæ aboleri, sed & omnes recidivæ præcaveri poterunt, quàm communiter fit, si saltem maturè eis obviam eatur. Omnium Medicorum decreto, in omnibus vel plerisque febrilibus affectibus evacuatio humoris præsertim biliosi, judicatur esse utilissima; Sed quomodo quis talem humorem, scilicet febrilium affectuum, evacuare possit, ignarus in quo membro vel membri parte lateat, extra paroxysmi tempus, citius quam inde per integri corporis molem dispergatur. Posito quod febriles horrores, rigores, æstus, aliaque symptomata à bilioso eoque putre-

scente humore deriventur; Non id sufficit ad integram febris cognitionem; Nisi sciatur quoque, quod nam sit illius biliosi humoris primum generati principium; & quæ ejus putredinis causa; Nam ab uno eodemque principio non potest oriri unius ejusdemque humoris generatio & generati putrefactio; aut concedi oportet ex humore certo, etiam absente omni ejus putrefactione, febrilia surgere incommoda. Nam quod putrefit, id valde differt a non putrescente, nec adeò nauseabundus est sapor vel odor humoris recentis quam putrescentis. Alia quoque est generationis, alia putrefactionis causa; Nam nihil potest simul & generari & corrumpi uno impetu, putrefactio enim præsupponit generationem. Sola obstructio putrefactionem causari nequit, nisi alia quoque adsint requisita; Nec etiam subitò, vel adeò citò congestus humor putrefactione evanescere potest, sicuti paroxysmi febriles sæpè finiuntur: Uni pluribus subsequentibus; Nam sensim putrescunt omnia; nec omnia sic subitò in vapores dissolvuntur sicuti pulvis pyrius; Quies itaque humoris jam generati in aliquo membro æquo diuturnior, præcedere oportet putrefactionem; quodnam autem id membrum sit putrescentem humorem continens, scitu ad curam febris maxime erit necessarium, si cura nostra artificialis nominari debeat, non autem formalis.

SECTIO III.

NOn sunt omnia generata æque propēsa ad putrefactionem, etiam præsentibus omnibus ad eam requisitis externis: Nec etiam omnia quæ putrescunt, similes exhalant vapores. Ideò non omnis obstructio erit putrefactionis causa; vel putrefactio cujuscunque humoris, etiam biliosi Febris seminarium. Dignum autem est indagine, an obstructio, putrefactionis causa dicta, fiat ab ipso humore putrescente, an ab alio aliquo? Ab humore putre-

scente obstructio causari nequit; vel si facta sit primum, tum ipso putrefactionis actu iterum dissolvitur; nam quod putrescit, iisdem terminis contineri nequit, quibus continebatur prius, antequam putrescere cæpisset, Nam omnis putrefactio motus est, sive manifestatio caloris ante in re ea occulti; Caloris autem forma consistit in dissipatione & dilatatione atomorum corporeitatis illius, in qua caloris actus est sensibilis; qui prius quieti & in se ipsos coarctati fuerunt. Quare fit, quod semina omnia, vel seminũ involucra dissiliunt in ipsius putrefactionis exordio; Vel vasa corpus putrescens continentia dissiliunt & rumpuntur. Non posset enim procedere nova corporeitas ex semine nisi antiqua putrefactionis beneficio recluderetur. Ita nec posset humor aliquis in corpore contentus & putrescens, suis vaporibus inquinare alia membra, nisi ei liber pateret è loco quietis ejus egressus, & ad alia processus; vel nisi obstructio soluta esset, ab ea videlicet parte, à qua vapores in alias elevantur, vel putrefactio incipit, & extra vasa quietis suæ in vicina etiam remotissima membra impetum faciunt. Atque ideo nulli obstructioni potest imputari putrefactionis causa, quæ febrilium affectuum possit dici seminarium. Quod si autem putrescenti humori imputari debebit febrilium symptomatum origo; tum ab ea parte, ex qua vapores halãt extra locum suum, obstructio soluta est, si aliqua fuit; ab utraque parte autem nullum interiꝰ intestinum obstrui potest homine superstite, quia omnia sunt concava & humoribus vel vaporibꝰ pervia, si non semper ab utraq; ab una tamen parte; ideò quæ non possunt ascẽdere, ea deorsum tendũt; Vel si hic obstructio, tum ad superiora patet hiatus. E.g. Obstructo intestino recto, vel quocunq; modo cõstipato, vapores vel alia ejus contenta, etiamsi exire nequeant per inferiora, ad superiora membra stomachum, vel hepar regurgitant, atque suis contentis, vel cõtentorum vaporibus ea infestant; donec ab infra eis concedatur egressus liberior. Ita si emunctoria hepatis, lienis, aut venarum & arteriarum orificia obstructa vel con-

constipata sint ab una parte, ab altera tamen, sive hiante pateric vapor exputrescente humore relabi & in alias, sive inferiores infestare si superiores non possit, vel superiores, si inferior ejus pars obstructa vel constipata sit. Ita obstructis ureteribus à calculo vel alia causa; vesica non incommodabitur, sed renes & truncus iliacus, ad quas serum regurgitare oportet, meatu urinario ipsi egressum negante; Quia verò in febrili paroxysmo laborant membra omnia, & superiora & inferiora, & interna & externa, caput, pedes & manus, nam quæ non frigent, ea æstuant, vel alio aliquo modo dolent; Igitur inde ad oculum patet, nullam in prædictorum membrorum aliquo esse putrefactionem, vel obstructionem, sed ab uno certo, inquinari omnia; eoque vel constipato vel obstructo ab ea parte, à qua ipsis egressus intercluditur; sed ab altera, per quam vapores ad alias deferantur omnino patula & hiante.

SECTIO IV.

PErgamus autem inquirere in locos illos qui obstructioni & putrefactioni periculosissimæ sunt vel esse possunt obnoxii, vel talium humorum matrices, & receptacula, qui putrescentes suis vaporibus integram massam sanguinis arteriosi & venosi, nervorum medullas, spirituumque animalium œconomiam inficere, & turbare possint, vel turbent, & vel continuò, vel per intervalla horaria, diurna, menstrua, & annalia, patientibus molesti & noxii existant. Loci tales in nobis sunt, vel sunt partes & membra corporis nostri; nam non ab extra, sed ab intra afficimur plagis, febriles paroxysmos perpetientes. Et sicuti loci vel matrices seminum febrilium, ita quoque & humores vel seminaria febrium in nobis sunt, nec nobis ab extra per tacitum influxum astrorum, aut occultam inspirationem imprimuntur, nec sensibiliter infliguntur. Sunt autem in nobis non saltem tunc dum ea adesse sentimus; sed etiam & tunc dum ea non sentimus, sive extra paroxysmum æque ac in ipso paroxysmo. Quis autem nos

docebit cognoscere membrum id, quod febrilis humoris est matrix & receptaculum, extra paroxysmum, & nobis nullam ab eo incommoditatem patientibus! Ægri id nobis tunc demonstrare nequeunt; nam nullibi id sentiunt, sed sunt sanis per omnia similes; Quod si autem revera aliquis humor putrescens lateret in aliquo membrorum superiorum, vel illorum capacitate quietus & putrescens, tum ille revera omninò sensum effugere non posset obstructionem patientium, sed aliquomodo se illis insinuaret, & extra tempus paroxismi febrilis; quod tamen non fit. Quod verò aliqui febricitantium & absente paroxysmo in aliquo membro interno flatus sentiunt, vel puncturas hujus vel illius lateris, ructus ex stomacho, rugitus in intestinis, vel hypochondriis & spina dorsi: Illa communem opinionem de febrium generatione minime approbant; Nam non omnes febricitantes talia patiuntur, nec etiam continuò: Ita & urina febricitantium variat, ita ut in paroxysmo aliam, aliam quoque extra paroxysmum mingant. Indeque patet, membra interna vel sanguinem & spiritus animales non continuo affici à spiritu morbifico; nec humorem febrilem indesinenter putrescere, atque suos vapores spirare extra locum quietis suæ, alii membris molestos, sed per intervalla, eaque interdum sic pulchre sibi succedentia, ut à ratione dirigi videantur, non à natura aliqua bruta: Quia vero justis temporibus redeunt paroxysmi febriles, quis est qui eos moderatur, ut nec citius, nec tardius unus alteri succedat; An sola id agit putrefactio? Si hæc, quis illius intervallaris recrudescentiæ author, vel continuitatis interruptor? Si obstructio per putrefactionem solvitur, putrefactio autem per generationem paroxysmi aboletur; quæ novæ obstructionis & ei succedentis putrefactionis causa? Quare aliæ febres sunt continuæ, aliæ intermittentes, aliæ tertianæ, aliæ quartanæ? Certè si ingenue ageremus, fateri nos oporteret profundam nostram febrilium causarum cognitionis ignorantiam, & in aliarum causarum inquisitionem inten-

[illegible]tiores esse deberemus, quam quas hucusque febrilium affe-[illegible] esse credidimus vel docuimus. Unde calor in febribus, unde sitis, unde frigus, unde sudor, unde pandiculationes, unde oscitationes, unde circuitus justi, unde recidivæ? Ad occultas qualitates recurrere; est ignorantiam pulchrè fateri. Lunæ motus aliquid febrilis imputare velle; est ab uno absurdo ad aliud [illegible]. Experimentis tantum non ratione niti: Medico rationali indecorum est; quamvis hanc imprudentiam vel impudentiam excusent aliqui necessitate, asserentes ægros non verbis vel rationibus, sed medicamentis curari oportere. Perinde itaque [illegible] cujus fidei se committant ægri, an Medici tali titulo digni, vel [illegible] empirici & circumforanei, qui omnia venalia habet & conscientiam & medicamenta. Quid igitur conducent artis præcepta, si solis experimentis plus tribuatur authoritatis & fidei quam rationi.

SECTIO V.

SI igitur est aliqua authoritas tituli Medici, si aliqua rationis [illegible] sensu prærogativa, si major conscientiæ quam temeritatis dignitas, tum certè diligentius in causas rerum quàm hactenus factum est inquirendum erit; ne vel temerario, vel fortuito [illegible] aliquid agere ab aliquo convinci possimus; Nec immorandum [illegible] in communi & à scholis recepta opinione, sed profundius pergendum, & usque ad centra physica morbificorum entium penetrandum. Turpè ducamus nobis saltem versari circa sensibilia, vel non plura scire quam sciunt ægri; vel per locorum affectorum, & cadaverum dissectionem quærere, quæ eo modo inveniri sunt impossibilia; Nec id quod nos ferit erit habendum pro morbi causa, sed id cujus impetu ad motum irritatur quod nos molestat, quod in suo centro non saltem virtutes varias occultas speciebus & gradibus discrepantes, sed & temporum scientias

tias. Scimus enim à febri non unum saltem membrum affici, sed omnia; Quamvis unum saltem sit in quo se recondit morbi seminarium, donec recrudescat novi paroxysmi parens. Si igitur febrilia symptomata fructus sunt saltem occulti seminis, & effectus plures vel signaturæ unius causæ, certe multum & honori Medicorum, & saluti ægrorum consuletur, si febrilis seminis in quiete & motu ritè examinaverimus signaturas, cum omnibus ejus augmenti & decrementi circumstantiis. Febrium differentias apud scholasticos authores varias & innumeras reperimus, quæ tamen ad eorum radicalem cognitionem, atque sic ad fundamentalem è nostro corpore expulsionem parum, aut omninò nihil faciunt. Nihil desideratur ab arte præter quam morborum causas & effectus scrutari, eosque in corporibus humanis potentia aut jam actu existentes; vel in tenebris custodire, vel in tenebras relegare, pellere, cogere; atque ita morbos artificiose, tuto, certò, citò mitigare vel exstirpare, aut ex nobiliori subjecto in ignobilius transplantare. Interdum sunt Medici satis docti, & prudentes, longiorique rerum usu approbati; sed quia eis desunt persuasoria humanæ sapientiæ verba, atq; sic suaviter vel pulchre patientes fallendi, solertia; ideo ignaris & temerariis habentur similes, apud eos qui non nisi ex sensibilibus indiciis vel signaturis res cognoscere & judicare sciunt. Ideò nihil est hodie noxii in Medico quàm Sapientia, & Integritas; nam si pharmacopæis & fatuis quibusque mulierculis adulari nesciat aut nolit; ille quamvis sagacissimus, & prudentissimè tractans sua, male tamen audit; Tales enim nolunt habere pharmacopæi Medicos, sed qui medicamentis exhauriant ipsorum pyxides, & multa præscribat ægris, etiamsi nulla juvent, multa sint superflua, imo & ad curam nihil facientia. Hæc in parenthesi dicta sunto, pro incipientibus; Qui longius praxin exercuerunt, illis hæc optimè nota sunt, quamvis corrigi nequeant. Sed revertamur jam ad examen febrium. Qui Lectorum scire cupit, quænam sit causa febris proxima
vel

vel febrilium symptomatum continens, an humor, uti docent Scholæ, an aliud quid? Illi respondemus, quod sit ipsissimus vapor, universum corpus occupans, non autem cordi, vel uni alicui membro infixus vel inhærens, multo minus alicubi putrescens humor. Sed id te de hoc vapore scire velim, quod materiæ febrilis constitutio vaporosa non sit extra paroxysmum, vel in ejus quiete, de nec scilicet ignoratur à patiente; Ante autem & post paroxysmum aliter se res habet. Nam vel humor fit, isque biliosus communiter dictus, aut salsus aliquis & nitrosus, vel aluminosus vel vitriolaceus. Si autem non fit humor, tum redit in locum quietis suæ, atque occultatur à sensu patientis post, sicuti ante paroxysmum. Qui vapores in humores abeunt paroxysmo finito; illi vel ipsius naturæ nisu, vel medicamenti virtute per os aut per secessum quandoque ejiciuntur; ita ut qui eis vel hinc vel illinc exoneratur, dicere possit, se humore febrili exoneratum esse, sed non eo, ex quo paroxysmus surrexit, sed saltem in quem desiit. Nam humores tales, quos febricitantes vomunt aut cacant, fructus sunt seminum febrilium, non autem causæ. Interdum quidem contingit, quod ejecto humore acriori aut bilioso, febriles circuitus cessent; attamen non semper; sæpè symptomata post mitescunt, sæpe ex febre alii nascuntur morbi, febre graviores & periculosiores; pro diversitate seminis illius, quod febriles vapores certis intervallis exspirabat, non ut morborum sed paroxysmorum causas, & radicalium seminariorum in uno aliquo loco latentium signa & indicia.

SECTIO VI.

Quid est igitur Febris seminarium & quale, si non est humor, uti docent Scholæ? Dicam quod res est, sive mihi credant Medici, sive non; Et quod dixero, id quoque rationibus meis defendam, non autem saltem præceptorum authoritate;

tate; Donec infans essem, præceptorum dicta fidem á me exigebant; Judicii maturitatem assequuti, à verbis præceptorum non amplius pendent, sed eâdem authoritate & libertate pollent ac præceptores ipsi. Febris seminarium corpus est minerale, vel minerali maximè affine, in centro quietis suæ non nisi ponderosum & grave; vel est fimus sanguinis & fæx, sic ab eo separata, sicuti tartarus à vino; suis aliquandiu non destituta utilitatibus, in loco quietis suæ ab omni putrefactione immunis; uti jam sæpe docuimus. Nihil ad hujus seminis generationem, vel generationis remoram conducit ars aut opinio humana; nam invitis & insciis nobis in nobis fiunt omnia, ita & quiescunt & moventur, vel moveri incipiunt & cessant. Nostræ tamen imaginationis aut inordinatæ diætæ vitio, multa possunt augeri & aggravari, accelerari & differri, quæ vel pauciora vel leviora, vel tardiora in motu, vel celeriora fuissent futura, à nobis sibi ipsis relicta. Iræ, vel libidinis excessu, somni vel vigiliarum inordinato cursu, morbos generari putamus; sed falsò, nam somni, vigiliæ, iræ, libidinisque affectus, sunt seminalium spirituum intus in nobis hærentium indicia, qui citius in animis sæviunt, quàm in sensu; citius imaginationem turbant, quam sensoria vel membra materialibus tincturis inquinaverint. Sanguis indesinenter novus generatur, & generatus indesinenter atomos aliquos expellit ut excrementitios, aliquos attrahit ut actui ejus necessarios; nunquam cessans crescere ungues & pili extra, nunquam urina & stercus intra, nunquam gravia & lævia à sanguine secerni, nunquam ad communia emunctoria excerni. Ex excrementis per alvum fluentibus, plus justo retentis, multa surgunt incommoda; sed plura & periculosiora ab excrementis gravibus in extremitate manuum & pedum quiescentibus, sensim in ungues coalescentibus; & per eorum excrescentias egredientibus. Nos miramur, plurimos effectus, vel passiones in nobis sensibiliter existentes, causarum nobis incogni-

cognitarum; vel eos imputamus non causis ut causis; ab aliis ita de eis sentire edocti, aut certis rationibus, non quidem veris sed apparenter veris sive probabilibus, persuasi; aut nimiâ credulitate decepti. Unde cornua, dentes, ungulæ, rostra, ungues, pili, lanæ, setæ, aliæque partes corporis animalis, non tam ad vitam, quam ad ejus commoditatem & corporis ornamenta vel munimenta, trahunt originem, quàm ex talibus principiis; Quare jam hæc jam illa decidua sunt? an putamus ea fortuitò vel nasci vel decidere? vel extrinsecus variare saltem signatura, non etiam intus virtutibus? Ex pravis humoribus ultra mensuram auctis, sive ex cacochymia nasci cachexias sentimus: Si ita; sed unde cacochymia in infantibus recens natis, vel junioribus; vel personis illis, qui sedulius servant leges diæteticas Medicorum, quam ipsius Dei instituta. Humores boni ex cibis euchymis una cum sanguine generantur; sed unde mali; si nihil in cibis vel potu, & aliarum rerum usu peccatum sit: Unde humores venenati dicti, vel venenatis qualitatibus præditi? An ex sanguine generantur, an ex cibis, an ex neutro horum, sed ab alio aliquo nobis incognito principio? sine dubio ab hoc solùm, alias enim æquè nobis cavere possemus vel caveremus ab hoc, si sciremus unde in nos derivetur, sicuti cavemus ab igne, crudis carnibus, aliisque esculentis & potulentis materiis, quæ nos ut læsuras fugimus, & variè præparamus, citius quam eas intro edamus vel bibamus. Calculus non fit à vel ex putrescente humore, qualiter febrim generari existimamus, vel ulcus in quo longiori morâ sanguis in pus commutatur. Certum quidem est, ex cibo & potu generari sanguinem; sed non solus inde generatur sanguis, nec immediatè, verum spiritus primùm reficiuntur per vapores subtilissimos ex cibis, atque mediantibus spiritibus generatur sanguis, sicuti ex sanguine humores omnes membris salutares & noxii, uti alibi docuimus. Siquti autem

reliquiæ cibi & potus in ſtomacho poſt ſeparationem nutritivorum vaporum reſiduæ; ſuis moleſtiis & periculis non deſtituuntur illic; ita nec ſanguinis excrementa, tàm levia, quàm gravia, ſi nempe diutius in ſanguine diſperſa hæſerint, aut ex emunctoriis maturè egreſſa non fuerint. Unus atomus fæcis ſanguineæ gravis & ponderoſæ, in extremitatibus venarum vel arteriarum hærentis, interdum gravius & periculoſius afficit vel inficit integrum corpus, quam vel integra libra fæcum inteſtinorum alvi. Nam quo quid arctius ſpiritibus adhæſerit prius, vel longius illis ſerviverit, poſt excrementitium redditum, eo periculoſius afficit ſenſoria tandem, quanto prius delectavit magis ſpiritus. Omnibus excrementis interiorum viſcerum patet exitus liber, quia eorum orificia ab utraque parte hiant; ſed unguium radices ab extra ſolidæ ſunt, ab una ſaltem parte, ſcilicet verſus inteſtina, patulæ. Igitur nullum majus periculum metuendum membris ſuperioribus, quàm inde, ſcilicet à manuum & pedum extremitatibus. Si à ſolis humoribus derivarentur affectus omnes morboſi; ſublato humore tolleretur & affectus; Maximè autem hepar eique vicina membra; Quomodo autem vel unde afficeretur cor, niſi illic generaretur aliquis humor vel vapor, ſive ex ſanguine arterioſo, non autem venoſo; Quod ſi verò cor ſolum patitur primariò, præſertim in febre, quare in unguibus citius apparent febrilis paroxyſmi indicia, quam in alio aliquo intrinſeco membro: Quis bilem, vel bilioſum humorem, ex hepate amandavit ad cor, ita ut hic citius quàm illic ſuam exordiretur tragœdiam.



SECTIO

SECTIO VII.

Sentiunt quidem ægri interdum & aliqui, non omnes nec continuò, dolores aliquos graves, acutos, obtusos, vel tumores in aliquo membro, vel alicujus membri regione, ex quibus indiciis judicant, & ipsi & Medici, membrum id non solùm à seminario morbi affectum, sed ipsius seminarii matricem esse, vel afficiens, Sed falsò utrique; nullâ verâ vel verisimili ratione suffulti. Nam si in ipso paroxysmo solum sentiatur passio aliqua in sinistro latere, aut hypochondrio; tum dolorem illum vel doloris sensum à vapore febrili derivari certum est; si verò extra paroxysmum continuet illius passionis sensus; indicio quidem est membrum in parte illa situm affectum esse, & humorem ei infarctum illum dolorem causari, non autem febrilem paroxysmum, nam si hic inde surgeret, certè subsidente paroxysmo, major dolor oboriretur in loco eo quàm in ipso paroxysmi vigore; vel hoc durante mitigaretur dolor membri, in vaporem aliquâ sui parte dissolutus; quorum tamen neutrum fit, vel alterutrum tantum & raro. Sanguis putrescens abit in pus; scilicet alicubi coarctatus ut effluere non possit. Sic caro putrescens in mucorem abit foedidum. Biliosus humor autem putrescens vel jam putridus, non mutat colorem adeò quàm saporem & odorem substantiæ suæ, fitque amarior, acrior, & fœtidior plus quàm ante, atque sic vapore quoque suo communicabilis; Nam qui prius in exiguo spatio contineri potuit; putrescens & putridus, fœtore suo & remotissimas feriat inquinetque partes, atque suis amplius terminis contineri nequit. Ideò sæpè sola sanguinis largior evacuatio tollit febris molestiam, vel ejus fervorem mitigat, quam forte catarcticum, & copiosiores sedes ne mitigare quidem potuerunt; Præsertim si sanguis justo tempore, & ex pedibus emissus fuerit. Humor aliquis ex naturalibus suis vasis protractus vel prolapsus, necessariò quidem putrescere debet, nisi maturè expellatur; sed

non sic, adhuc in venis hærens vel arteriis, nisi ab alio sanguine qui indesinenti systole & diastole ventilatur, sensibiliter secretus, atque ab ejus digestivi motus communione divulsus sit. Citius enim generari debet aliquid, & generatum aliquandiu esse, quàm putrescere possit; Nam putrefactio est substantiæ prioris jam actu existentis destructiva mutatio. In venis autem & arteriis, nulla fieri potest sanguinis putrefactio, quousque animal vivit; nec totius, nec partis ejus aliqua, nam sanguis proprie sic dictus, est in venis & arteriis homogeneus, sive ejus minimæ particulæ sunt unius nominis cum ejus integra substantia, vel talis intus, qualis effluit venâ sectâ; hinc autem non egreditur nisi homogeneus, quamvis egressus in vase in plures abeat formas heterogeneas; Non satis decorum est Medico non nisi vulgaria sapere, & cum rudi plebecula ab iisdem pendere rationibus. Satius esset tacere, & ignorantiam fateri, quam rudi oratione effutire res & rationi & sensui contrarias: Si ex putrescente humore vel putrido, surgerent febrilia symptomata, tum necessario sequi oporteret toties humoris unius putrefactionem cessare, quoties symptomata remittunt, & cum novis novi quoque humoris vel generationem, vel prius generati putrefactionem succedere; obstructionis nullam volo mentionem facere. Quibus rationibus demonstrari poterit putrefactionem humoris toties aboleri, toties innovari; nisi in quolibet actu novi quoque præsupponatur humoris ortus. Sed si aliunde sanguis non generatur quàm ex cibi & potus materiis simplici in hepate facta mutatione; tùm inediâ, vel abstinentiâ cibi & potus, prohiberetur cum sanguine ipsius quoque biliosi generatio humoris; sed sunt febricitantes qui per aliquot dies imò & septimanas vix tantillum cibi deglutiunt, & tamen paroxysmi nihil remittunt, sed quotidie ingravescunt, vel ad minimum iisdem semper signaturis comitati redeunt. In sanguine febricitantium præsertim ingruente vel durante paroxysmo, ingens sentitur sanguinis motus, & ordinario

major;

major; pulſus id docet vehemens & frequens; Unde hæc ejus vehementia, præſertim in arteriis, & non niſi durante paroxiſmo? an ſanguis venoſus minus afficitur quàm arterioſus à bilioſo humore; Et ſi id, quare non tunduntur arteriæ ſed venæ febricitantium, ad proliciendum ſanguinem; ſi illic & non hic contineatur febrilis affectus ſeminarium. Si vero integer ſanguis putreſcit, vel à putrido humore inquinatur febricitantium; quomodo poteſt adeò ſubito à ſanguine tolli illa contagio, ſicuti ſubitò ceſſant paroxyſmi; & reddi inſenſibile corpus putreſcentis humoris, quale eſt in patientibus extra paroxyſmum, ita ut & motus in ſanguine nullus, nec aliquis intus vel extra dolor vel tumor appareat.

SECTIO VIII.

NEſcio revera cui nam vitio imputare debeam plurimorum Medicorum in cognitione morbificarum cauſarum profundam ignorantiam, an defectui in animo ipſorum; vel voluntati; vel rei ipſius inſuperabili profunditati. Nomina febrium & differentias in ſcriptis multas & innumeras reperimus Medicorum, ſed parum certas, niſi falſas plurimas. Recenſere omnia morborum nomina eſt valdè difficile; differentias, valdè profundum; ſed ad curam inutile. Neminem tamen hucusque legi vel audivi, qui affectus febrilis ſemen, vel ſeminis ſub inſenſibili fome in corpore humano matricem, nominaverit, multò minus demonſtraverit. Locos affectos recenſent omnes; ſed ubi vel in quo loco lateat febris cauſa citius quam eam ſentiant ægri, vel dum eam non ſentiunt, & tamen revera intus fovent; hucusque nemo definivit Medicorum. Multò minus qui dixiſſet, qualis vel quid ſit, ſub ſuæ quietis ſtatu; Eam toties ægris extrinſecus imprimi quoties ſentitur; falſum eſt; vel ab Aſtris ad motum excitari. Quod jam caput, jam pedes, jam brachia, jam ſpina dorſi, jam

hypo-

hypochondria, jam præcordia magis patiuntur in hoc vel illo subjecto, vel paroxysmo; id certum est; nec diffitentur, sed dolent ægri. Quod vero in locis vel membris affectis febris quoque hæreat seminarium & tempore quietis suæ; id probatione eget. Vaporis & humoris valdè diversa est constitutio; ab humore unum certum affici membrum potest; sed à febrili nequaquam tot quot affici sentiunt ægri; nisi statuatur integrā sanguinis massam in febrilem humorem commutatam esse. Unum granum pulveris vel salis nitri, unum idque exiguum membrum afficere potens est sapore & pondere suo; Sed in vaporem dissolutum, omnia simul afficiat, non quidem pondere, sed vapore, eoque acriori aut salsiori: Cum tamen pondus ejus non sit majus in hac, quam in illa conditione, sed saltem substantia diffusa magis. Qui itaq; docent febrem oriri ex bile putrescente; demonstrandum illis erit, an ab ejus ponderosa humiditate, an verò à vapore? Et quid sit humor ille, qualis & ubi extra paroxysmum? Nam nisi singula hæc firmis rationibus demonstraverint, non sufficiet illos hæc saltem de humore bilioso dixisse. Artificiali corporis dissectione hic nulla opus, quia ejus nulla necessitas; nisi dicamus omnia tali modo demonstrari posse; sed sine ratione, & experientià contrarium clamante. Quis est, qui justis intervallis accendere possit in corde æstum vel frigus id in febricitantibus, quod illi durante febrili paroxysmo sentiunt, alii mitius, alii vehementius; alii hoc, alii illud? An non est cor vicinius aeri, quam hepar; quare autem cordi non hepati imputatur febrilis paroxysmi origo, ejusque æstuantis tantum; cum tamen non semper ab æstu, sed à frigore sæpius suam inchoet tragœdiam febrilis circuitus; vel terminet: Quare definitur febris calor esse in corde accensus; cum tamen non in corde primum semper, sed in unguibus vel pedibus, vel spina dorsi ipsius manifestentur indicia; Si humor est in corde, qui accenditur; quid est in cute, vel alibi, quod in sudorem dissolvitur, vel quo rigent pili per integrum corpus, & frigent

gent omnia. Humor quia corpus eſt grave vel ponderoſum, neceſſario deorſum fertur, non ſurſum naturaliter; ſed in febrili paroxyſmo ſurſum vergunt omnia, pauca deorſum, niſi in paroxyſmi declinatione, vel febris termino: Ebulliens humor ſe ipſo quidem major fit, ſed levi frigore in ſeipſum revertitur; Æſtus autem febrilis adeò ſubitò non ſubſidet; unde apparet, quod non ſola adſit ebullitio tunc, ſed materiæ febrilis in ſubtiliſſimum vaporem diſſolutio, in ipſo paroxyſmo: Ebullitio enim eſt totius materiæ in altum à calore fiens pulſio; Sed in febre non tota maſſa morbifica ebullit ſimul & ſemel, ſed una ejus portio ſaltem, altera priori ſuccedente; ideo non uno paroxyſmo terminatur omnis, ſed plures ſibi mutuo ſuccedunt ad omnium conſumptionem; Aliquæ febres ſeptimo vel nono paroxyſmo terminantur; aliquæ per ſeptem ſeptimanas durant; aliæ per plures menſes continuant; aliæ ſingulis diebus ſemel recurrunt, aliæ cum mari moventur, aliæ ſunt tertianæ, aliæ quartanæ, aliæ erraticæ, aliæ continuæ. Attamen omnes & ſingulæ ex uno certo loco ſurgunt, & ad eundem recurrunt tempore intermedio à ſenſu patientis ſe occultantes. Et niſi nobis Medicis locus quietis ejus exactè cognitus ſit, impoſſibile eſt, ut aliquid adverſus ejus noſtra arte vel medicamentis poſſimus in commoda, vel ægros ab ejus inſultibus liberare, & adverſum recidivam tutos reddere. Vapor enim per vomitum vel per ſedes non poteſt excerni, niſi in humorem contractus; Humore autem aliquo per catarctica expulſo, ſed non febrili; ſpatium majus relinquitur in corpore vapori ſubſecuturo, ita ut minus ſentiatur, vel ſenſum feriat diſtractus, quàm fieret, ſi anguſtiori premeretur ſpatio; Ideò phlebotomia & diaphoretica, ad mitigandum ſymptomata febrilia ſunt accommodatiſſima; Sed ad curam ſive ablationem febrilis radicis nihil proſunt: Niſi ſciverimus, cui membro principaliter infarctus ſit humor, non ex febrili vapore generatus, ſed febrilem ſpirans vaporem. Sunt medicamenta, quæ generatum ex va-

pore febrili humorem è corpore pellunt vel educunt; sed non materiam humorem illum generantem; ideo recurrit febris bile sæpius per vomitum vel per sedes ejectâ; sed si radix morbi aufferretur ex loco quietis suæ; & febris, & recidivæ, abolerentur omnia incommoda & pericula. Potum negare febricitanti sitibundo, est passionem ejus aggravare. Nam vapor vel humor dilutus aliquo dulciori vel insipido, multum remittit ab acrimonia, & minus vexat patientem. Sed ut me brevibus expediam, & dicam quæ volo; Scias, amice Lector, quod tota ars curandi febres in eo saltem sita sit, ut sciat Medicus locum quietis seminis febrilis; Quod nec est vapor extra paroxysmum, nec humor; sed corpus sanguinis excrementitium, grave & insipidum; & quousque tale, innoxium & insensibile; sed in vaporem dissolutum variarum signaturarum ferax.

SECTIO IX.

Multùm hucusque se fatigarunt Medici in scholis, disputationibus, in causas febrilium affectuum inquirentes, & tamen hodie adhuc sub mysterio occultarum qualitatum obsignatæ hærent causarum illarum certitudines. Biliosus humor, manet interea, causa febrilium signaturarum ferax, donec alius ei substituatur authoritate scholasticâ Canonizatus febris parens. Sunt multi Medicorum, qui apertè suam fatentur ignorantiam in materia pestem concernente; quam in scrutinio febrium fateri nolunt, cum tamen ea, quæ de febrium causis scripta exstant, mera sint verba, vel litteræ steriles, omni destitutæ ratione, sed fuco ejus perpolitæ multum, ita ut videantur aliquid certi enuntiare, sicuti repetitum Echo. Relinquamus nos authoritatem antiquis, ipsis debitam; relinquamus Lunam cœlo; Influentias astris; Qualitates primas elementis; Occultas ignorantibus; Venenatas idiotis; Causas verò rerum, principia & seminaria mor-

morborum, cum omnibus eorum circumſtantiis, ſignaturis, ſpeciebus, gradibus, nobis inhærentia cum externis conferamus, & tunc vel ad oculum patebit, nulla extra nos eſſe, quæ in nobis non ſint. ſi non exiſtentia actu in omnibus, tamen in ſingulis potentiâ quæcunque in quibusdam actu adeſſe ſenſus atteſtatur. Nihil eſt certè adeò difficile, nulli tenebrarum adeo profundi receſſus, quos mens humana ſuæ libertatis privilegiis ritè utens, aſſequi non poſſit; Deo duce & comite. Examinemus corpus hoc noſtrum ejusque ſingula membra, & membrorum partes, an in eorum aliquo reperire poſſimus non ſaltem unius alicujus febriculæ, ſed omnium & peſtilentialium, ſeminis, à ſenſu & patientum & Medicorum latentis, diverticulum, & quieſcentis centrum mathematicum. Si autem id agere propoſuerimus, neceſſe eſt, ut hauſtas in Scholis juventutis noſtræ de febribus opiniones, exuamus; hæ enim in hoc negotio nobis non ſunt adjumento, ſed impedimento futuræ. Juvenes, juvenilia tractent; Doctores ſuis titulis digna non tractant, ab aliorum pendentes opinione, ſed ſuo ſaltem nixi judicio; diſcipulorum eſt, ab aliorum pendere nutu. Quod ſenſibiliter patiantur febricitantes, à febrilibus principiis divexati, teſtantur & querelæ ipſorum, & aliæ extrinſecæ ſignaturæ. Quod verò paſſio in ſenſu, à re actu ſenſibili proficiſcatur contingente membrum patiens; negare non poterunt illi, qui ex humoribus ſymptomaticos paroxyſmos ſurgere, vel ex flatibus, non inficiantur, ſed ſuos docent diſcipulos. Quod verò aſtra aliquem nobis vel humorem vel vaporem morbificum impreſſerint, quis unquam demonſtravit Medicorum? Aſtra enim ad talia officia à Creatore deſtinata non ſunt; ſed ſaltem ad emetiendum ſenſibiliter inferiorum motus; uti in Philoſophiæ Sacræ opere demonſtravimus. In nobis generantur humores & vapores tàm noxii quàm ſalutares; In nobis per intervalla diminuantur jam hi, jam illi; his aut illis quieſcentibus dolemus vel gaudemus, vivimus vel morimur: cum animalibus

creaturis communicamus, vel cum vegetabilibus, aut cum mineralibus. Sitientes & esurientes spiritus in nobis indesinenter gestamus, qui tamen non semper sitiunt vel esuriunt. Ita & morborum seminaria in nobis semper sunt, quamvis nos ea adesse semper non sentiamus. Morbos tum demum nobis imprimi vel à cibulentis aut potulentis materiis, vel extrinsecus per respirationem attrahi eorum seminaria, dum ab eis pati incipimus, vel ab astris infligi, vanum est vanæ humanæ ratiocinationis figmētum; Nam si à talibus principiis vel ex talibus materiis surgerent febres, tùm adeò non variarent sicuti in singulis individuis eas variare videmus, non numero saltem, sed & gradibus, & aliis morbosarum signaturarum discrepantiis. Hoc itaque supponemus, nempe morborum seminaria nonnulla nobiscum nasci; alia, in nobis tandem nata, aliquandiu in suis matricibus quiescere innoxia, iustisque temporibus oriri & occidere; sub singulis motus & quietis temporibus, suas immutare formas & gradus; Corpus nostrum autem non est corpus homogeneum, sed ex pluribus similaribus & dissimilaribus compositum; ideò alia præ aliis accommodatiora sunt membrorum generationi, vel generatorum quieti & motui. Quodnam itaque inter omnia febrilium seminum generationi, quieti, maturationi, & intervallari fructificationi, est, vel esse potest accommodatissimum. Non hic inquiro in partium contenta vel humores, in bilem, pituitam, melancholiam, sanguinem, alvi excrementa, aliasque fæces, quænam præ cæteris sint nobis periculosiores; sed saltem in membra, in quibus morborum seminaria in plures horas, dies, hebdomadas, menses, annos innoxiè latere possint, citius, quàm nos ea nobis adesse sentiamus vel doleamus. Omnia corporis membra intrinseca, humorum nutritivorum & excrementitiorum receptacula concava sunt, & ab utroque latere superiori & inferiori hiantia; nullum omninò cœcum est, quod ab una parte receptum humorem per alteram ad alias protrudere non

pos-

possit; Quæ per os in stomachum intrant, illa per alios anfractus ad monoculum usque vadunt donec egrediantur; Ita aer per inspirationem attractus, per easdem vias egreditur; & quicunque in sanguine generantur vapores per pulmonem exspirant, nisi ab eis suffocetur patiens. Et cutis ipsa porosis meatibus plena est, Capitis vertex, quem ossea ambit fornix ab una parte videtur omnino esse impenetrabilis, atque ideò ad retinendum & fovendum morborum seminaria, inter membra alia accommodatissimus. Attamen quia cerebrum multa spiracula habet, palarum, aures, nares, oculos, per quæ se suis oneribus exonerat; ideo nec caput aptum satis videtur ad seminum morbificorum fomentum & maturationem. Soli nervi quia sunt intus medullares, non quidem humoribus sed vaporibus iisq; subtilissimis, & spirituali naturæ maximè affinibus erunt pervii & ab eorum signaturis materialibus affici proni. In ventriculo interdum coacervatur saburra multarum fæcum, quæ lateribus ejus arctius adhærens in febris seminarium transmutari potest, uti sæpè fit, sed fructus ejus cum suis seminibus, vomitivis, & catharticis fortioribus, abolentur citò; non sic autem cujuslibet febris seminaria & symptomatici circuitus.

SECTIO X.

Febres, quarum seminaria in stomachi concavitate hærent, nec sunt diuturnæ, nec intermittentes; nec ita silere possunt ut aliquo sensibili indicio ipsorum præsentia in stomacho innotescere nequeat; sed & jejuno stomacho, & degustata aliqua cibi vel potus portione suis se produnt indiciis. Ita nec in hepate, vel venarum mesaraicarum orificiis aliquæ omninò occultari possunt, nulla obstructio multò minus alicujus contenti humorum putrefactio, quæ obstructionem earum præsupponit; nam uti diximus ab utraque parte obstruuntur nunquam, vasa interiora; sed ab una solum; rarò autem ab ea quæ versus ve-

nas exporrigitur, nisi ab ea quæ in communia intestina propendet; ideo à superiori parte patet hiatus, vel putrescenti aut obstructo in inferiori, regressus in superiorem semper liber; Nervi nequaquam obstrui, sed constipari, coarctari, vel omnino sphacælari possunt vaporum acrimonia; ideo nec hi ad fovenda febris seminaria apti sunt; Multa quidem imputat Helmontius duumviratui ventriculi & lienis; sed ad febrilium seminum, eorum videlicet quæ justis intervallis recrudescunt, nihil faciunt quietis commoditatem; Ego cuique liberum relinquo suo uti judicio, ab alieno pendere viro docto, turpe judico, turpius Doctori. Non hic adsum ut censorem agam aliorum; sed ut meam lectoribus exponam censuræ de loco generationis, & generatorum quietis loco sententiam. Febris morbus est vel affectus totius corporis, non unius solùm alicujus membri, non enim unum saltem dolet in paroxysmo febrili, sed plura si non omnia male habent & interna & externa. Indeque concludendum est, quod vel omnia sint febrilis seminarii diverticula, vel unum saltem inter omnia. Id unum autem ita constitutum esse debet, ut ex eo regressus pateat in omnia in venas, arterias, nervos, stomachum, cor, renes, pulmonem, hepar, intestina, caput & palatum; atque ex omnibus his reciprocè in id; nam nisi talis esset inter ea communio, non possent plura uni compati, vel ab uno affici; & ex omnibus humor vel vapor febrilis in id relabi, subsecuturi paroxysmi causa. Nec possent febres aliquæ intermittentes esse, sed omnes continuas esse oporteret, si continua esset humoris febrilis putrefactio, nisi semina febrilia redirent in locum quietis suæ, post motum absolutum; vel exhalarent nova post aliquorum consumptionem. Centrum itaque unum certum quæri & demonstrari debet à Medicis, qui aliquid certi de febribus pronunciare volunt; Nec saltem id physicum, sed & mathematicum & sensibile; realiter discretum à locis affectis; cui soli imputari posset titulus vasis vel matricis, seminarium morbi conti-

dnentis ante, in, & post paroxysmum. Quod si artificiali sectione corporis humani in aliqua parte deprehendi & demonstrari possit humor aliquis putrescens, sive biliosus, sive pituitosus, sive sanguineus: quomodo quis certus esse potest, humorem illum in loco putrefactionis generatum esse, fortasse aliunde eò fuit ablegatus citius quam illic ubi putrescens est putrescere potuisset. Et si sine omni probatione simpliciter omnia credi debeant quæ audiuntur, tùm nulla est certa apud Medicos, morborum vel caussarum morbificarum cognitio. Nemo id justis rationibus asserere ausit, quod nempe paroxysmi febriles immediatè ab humore deriventur; Sed à solo vapore affici febricitantes toto symptomatici circuitus tempore, est indubitabile. Unde autem illius vaporis universum corpus pererrantis principium surgat, id solum est in quæstione; A corde quod fieri non possit; demonstravimus; Nam si semen tot paroxysmorum quot exercent febricitantes, continuò hæreret in corde; nunquam intermitteret doloris sensus; sed febrium aliquas omninò insensibiles esse, nemo negare potest. Talis itaque locus dari potest in corpore humano, qui seminis illius quieti sit accommodatus, in quo à sensu occultari possit toto intermedio intervallo, quod inter unum & alterum paroxysmum intercedit.

SECTIO XI.

Quod si febriles affectus accuratè examinaverimus, tùm necesse erit fateri, febrilium paroxysmorum materiam, & caussam proximam non esse humorem, sed vaporem. Verùm ex hoc supposito nova iterum suborietur quæstio: An videlicet vapor ille febrilis ex humore trahat filum, an ex alia aliqua substantia, humore solidiori? Nam humoris consistentia fluida est, & irruenti in eam alio humore vel vapore loco cedit; nisi receptaculum ejus ab una parte obstructum vel constipatum sit; sed tale nullum

lum in corpore dari demonstravimus: vel si daretur, nullus humor in tantam molem excrescere posset, qualis requiritur ad affectum febrilem, à quo non unum certum membrum, sed plura simul, semel, & subitò afficiuntur; Nec etiam in se ipsum contrahi posset, uti fit, febrili paroxysmo cadente, ut extra paroxysmum omninò maneret insensibilis; sed si non aliter pondere tamen solo gravaret corpus patientis, extra paroxysmum. Vapor itaque ad generandum febriles paroxysmos est accommodatissimus; Sed vapor identidem præsupponit materiam aliquam a [illegible] præexistentem; Unde igitur vapor ille fit, qui febricitantium sensus variè afficit suis signaturis? Sanguis quousque calet, vel movetur, nunquam est sine vapore, vel animal sine respiratione. Quia autem non semper ægrotamus, nec continuò, sicuti sanguis continuò movetur, ut arteriarum & cordis systole & diastole [illegible] cent; ideò vapor febrilis non ex ordinaria sanguinis substantia surgit, sed aliunde generatus sanguini permiscetur, eumque [illegible] que turbat, quousque eo sanguinis massa, ut peregrino, exon [illegible] ta non fuerit. Calor semper est in sanguine; sed non sem [illegible] æquè intentus ac in febrili paroxysmo: Interdum frigus [illegible] in febre ipso calore intentius; sæpè in exordio, sæpè in [illegible] roxysmi; Indeque apparet quod definitio febris, quà dicitur [illegible] esse calorem in corde accensum; nequaquam sit universalis [illegible] omni febri applicari non possit. Quod etiam non possit à [illegible] so humore derivari, vel ejus vapore, sed à melancholico [illegible] ab humore surgit, surgere oporteat. Sed unde vel illius [illegible] jus in vaporem resolutio? frigus nullos humores in vapores [illegible] vat; sed hos in humores coagulat; attamen in multis [illegible] paroxysmi frigore magis quàm calore membra afficiunt. [illegible] montius furori stomachi vel alterius alicujus intrinseci [illegible] imputat ebullitionem illam; sed furoris quoque illius [illegible] da fuisset ab Authore causa; Unde illud Blas Helmontii, qu [illegible] diversorum membrorum Gis, sive fermentum, excitare possit

ad

ad furiendum? Quod nam est Blas & Gis, frigoris vel caloris febrilis, an idem an diversum? Quis mutat blas caloris, ut cedat, Blas dicto frigoris? Quis mutat quotidianas in intermittentes, vel has in illas? Quodnam id est Gis, quod suâ tempora motus & quietis accuratissima custodiat: An est alius archæus qui moderatur ea quæ ordinariè in nobis fiunt, & quæ extraordinarias nobis causantur passiones?. Laudandus certe est omnis ille Medicus, qui sedulius in causas omnium morbificarum passionum inquirit, & non totus ab opinione aliorum dependere velit. Sed quis quæ nova se reperisse opinatur, quotidianis certiora; ille irrefutabilibus argumentis & rationibus ut fulciat inventa necesse est, ut ei fides à nullo denegari possit; aliàs dubia dubiis accumulabit.

SECTIO XII.

QUousque discipuli fuimus præceptorum nostrorum, eousque credulitas, arguebat judicium nostrum imperfectionis; Doctores autem facti aliorum; tum titulo & officio nostro satis facere nequimus, nisi pari fide defendamus nostra, sicuti prius credebamus & discebamus aliena: nostroq; judicio adeò libere utamur, sicuti prius servivimus aliis. Secus non nostræ sed aliorum sapientiæ erimus bajuli, & steriles repetitores. Audivistis, benevoli Lectores, & legistis aliorum opiniones & præcepta de causis febrilium affectuum sonantia; audiatis & legatis hæc quoque mea; & collatis pluribus simul rationibus, judicate, an æquè obscura vel dubia sint hæc nostra, vel obscuriora aut certiora; à nemine exigo ut mihi credat, nisi rationibus fide dignis probavero quod sentio. Nemini vitio vertam, qui meis meliora in medium proferre potuerit; sed peto ut mecum sic communicet sua, sicuti ego cum omnibus mea; Mea inquam non aliorum, ex aliis authoribus allegata vel descripta. In centrum hic inquiro febrilis

brilis seminarii in centrum quietis ejus extra paroxysmum; vel quid sit & quale sit id ens quod omnium continuorum vel intermittentium paroxysmorum parens est, citius quam afficiat sensus febricitantium; vel ubi lateat, donec patientibus omnino innoxium est? imò ne mo' estum quidem; Quod in vasis concavis, & ab utraque parte patentibus, hærere non possit; demonstravimus; Extrinsecus nobis quoque non imprimitur novum, toties quoties ægros invadit; sed necesse est ut intus in nobis quiescat, & tunc dum minimè à nobis sentitur; Et quidem in membro aliquo, vel membri parte tali, ex qua quamvis non ad extra, tamen ad intra fieri impetus possit à vapore ex puncto insensibili sensibiliter ascendente & se per corpus diffundente. Sed tale membrum nullibi datur, præter manus & pedes, eorumque extremitates in quibus radices venarum & arteriarum in ungues coalescunt, & per atomorum indefessam successionem sua trahunt incrementa. Hoc itaque primum supponimus, nempe paroxysmos febriles, non immediatè ex humoribus sed ex vaporibus surgere. Vapores autem illos non ex aliquo humore; sed ex gravi, ponderosa, & in quiete sua insipida materiæ fæculenta sanguinis, filum trahere. Quæ quia vapores suos exspirare nequit per vicinas extremitates; ideo eos per venarum propagines ad truncum iliacum pellit; & ex hoc in venarum arteriarumque ascendentes ramos diffundit; ideò in exordio febrilis paroxysmi plerumque dolores in dorso suboriuntur, vel obtusiores vel acutiores, pro diversitate saporum truncum iliacum ejusque ramos penetrantium, in suo ascensu vel descensu. Nam nullus vapor morbificus insipidus est; sed alius alio acrior, amarior, acidior; unde quoque calorum va ii in superioribus membris surgunt gradus, vel frigorum, qui citius vel tardius dissipantur, cum minori vel vehementiori ægrorum concussione & molestia. Hinc hæmorrhagiæ, sudores, ructus, oscitationes, pandiculationes, spasmi,

ali-

aliique affectus surgunt: vel surgente, vel in sua seminaria redeunte vapore; uti jam diximus, & brevi post dicemus.

SECTIO XIII.

HIc nolumus loqui de membris affectis durante paroxysmo febrili; sed saltem de loco seminarii febrilis extra paroxysmum, quis nempe ille sit, qui semen morbificum absque omni sensibili indicio fovere, & à sensu patientis occultare possit? Semen febrile quiescens, nec est vapor nec humor; sed quieti aptam habet consistentiam, nempe duram vel duriori affinem; Vel sic à sanguinea massa, humoribusque fluxilis consistentiæ divisam, sicuti vini substantia à fæcibus, & fæces à tartaro lateribus vasis arctius adhærente distinctæ sunt: nam aliæ aliis sunt humidiores, crassiores, graviores, solidiores, duriores, molliores, quousque in ungues in quibusdam animalibus, in aliis in ungulas, omninò desinant & concrescant. Ex terra crescunt omnia, quibus nutrimur; & in terram reverti festinant omnia, alia quidem tardius alia ocyus, quæ aliquandiu in nobis sub vaporosa specie vel spiritibus nostris vel membris serviebant; Ex inferioribus familiis in nos derivata. Externa, citius quàm à nobis deglutiantur, virtutes habent singula ipsis insitas seminales; sed in nos ingressa, in nobis virtutes suas seminales non omninò amittunt, sed aliquandiu suspendunt, quousque fatorum decreta in nobis non absolverint. Nucis spiritus, vel tritici, vel hordei, vel alicujus alterius, vel vegetabilis vel animalis familiæ aut individui, in nobis suam virtutem ab initio non exercet; nec nucem in corpore nostro generat, nec aliquid nuci simile vel in sapore, odore colore; sed caro fit nostra vel sanguis, vel cum excrementis sanguineis iterum ex nobis expellitur; citius quam in nobis suæ naturæ convenientes procreet signaturas; Alii ad extremitates manuum & pedum præcipitati, identidem cum unguium excrescentiis foràs progrediuntur; sed lentius hi, quam qui per

alvum & urinam exeunt. Ideò magis ab illis quam ab his periclitamur; & vehementiores morbi surgunt ex excrementis ad radices unguium quiescentibus, quàm ex biliosis, pituitosis & melancholis, vel atrabiliariis humoribus; Varietas dolorum imitatur varietatem saporum vaporis salini sensum afficientis; nam quamvis dignoscere nequeant ægri sapores à saporibus vaporum interiora membra infestantium; Tamen gradus saporum discernere possunt an sint vehementiores vel remissiores, sensu passionis mitioris aut vehementioris; Nam nulla passio nisi à sale. Exigua admodùm est substantia seminis febrilis quoad pondus & molem in centro quietis ejus; attamen sub atomo corporeitatis ejus plures vel multæ valdè occultari possunt saporum, odorum, colorumque species & gradus; Atomi quoque atomis, quoad tales virtutes, sunt alii aliis ditiores & pauperiores, ita ut unus vix denarii habeat rationem; alter autem vel centenarii vel millenarii. In loco quietis suæ semen febile hærens, nec sentitur omninò, nec est morbi materia actu; sed servit motus commoditati. Nam nisi pedes manusque gravitate contentorum, superarent membra alia, vel sanguinem per corporis substantiam diffusum; nec commode gradi possemus; nec prehendere, aut firmiter tenere apprehensa: uti in exordio tractatus hujus necessitatem & utilitatem gravitatis illius ad gressionem requisitam demonstravimus. Citius enim quam sanguis ad extremitates manuum & pedum se suis gravioribus fæcibus exonerarit, Infantes gradi non possunt, nec manibus firmiter niti. Ita & ægri ad gradiendum inepti redduntur, fæcibus gravibus inferne ad superiora delatis. Nam si caput ultra justam mensurã pluribus & crassioribus vaporib⁹ repleatur, præponderat pedibus; gressionemq; incomodat suâ plenitudine; nam caput, vel cerebrum, non plures perferre potest vapores sine molestia, quàm eos in humores coagulatos per palatum, per nares, vel aures, aut poros expellere possit. Pedes autem corpori bajulando destinati, non vaporosis,

imo nec humidis quidem, sed gravioribus & solidioribus materiis recipiendis sunt procliviores, iisq; pluribus quã manus & gravioribus, quamvis & manus similib' affici gaudeant, sed ita ponderosis, ut præter pondus omni sapore destituantur; si verò nõ gravia solùm, sed & salsa fuerint manuũ pedumq; contenta, tum pro diversitate salini saporis, variis quoq; afficiuntur intus dolorib'. Quando verò, quod sæpè contingit, aliquis atomus, vel granum corporeitatis illius gravis, semel ad radices unguium repercussæ, à loco quietis suæ, vel putrefactione, vel alicujus alterius externæ causæ occasione, ad superiora attractum vel propulsum fuerit, tum non saltem debilitantur pedes, ad gradiendum inepti, sed & superiora varias inde molestias & dolores patiuntur, quousque materia illa vel in vaporem dissoluta, vel simpliciter distracta, vel dissipata & extra pulsa non fuerit, vel ad sedes priores, à quibus processit, repercussa. Et quamvis simplici ejus repercussione, superiora liberiora quodammodo fiant ab incommodis prioribus, tamen pedes citius officium suum perfectè facere nequeunt, donec materia prædicta in pristinum statum reducta, sive & gravis & solida, & quiescens facta non fuerit: sive quousque pedes justum suum pondus recuperaverint: quod subitò non fit, sed sensim.

SECTIO XIV.

CAusæ externæ vel occasionativæ, non semper sunt necessariæ, imò nec semper ad educendum in actum omne ens ex potentia materiali; Lege enim Creatoris, singulis creaturarum speciebus implantatã, diriguntur & extra nos & in nobis omnes omnium entium motus & quietes, virtutes & actus. Absentibus externis causis, sæpè seminales rerum rationes in lucem erumpunt; eorum talis motus fatali instante vel præsente termino. Quem qui ignorat, rerum sympathias ignorat. Externæ causæ,

invitant quidem vel irritant ſemina in tenebris quieſcentia ad motum, ita ut juſto ocyus in apricum prodeant, quàm prodiiſſent talibus cauſis abſentibus; Verum nulla cauſa externa, penetrat usque ad centrum phyſicum entis alicujus, ſola; niſi interna cum ea conſpiraverit; ideò cauſæ externæ non niſi ſuperficialiter vel in centra mathematica agunt; ita ut ſemina taliter ad motum excitata, remotis cauſis externis ad quietem redire feſtinent; ſed ab internis pulſa, & abſentibus externis ſponte erumpant. E.g. Agitato huc illuc vaſe turbantur ejus contenta, puraque impuris; gravia & craſſa, levioribus & lympidioribus miſcentur; Verùm ceſſante tali agitatione, ſuâ ſponte ad locos ſuos redeunt ſingula, & clareſcunt turbidiora. Dum verò ab internis principiis vaſis contenta moveri pelluntur, tum vehementior imprimitur contentis impetus vel motus, nam multa quæ prius in puncto quieſcebant, latius ſpatium quærunt, ſive gravia in vapores diſſolvuntur, & prioribus terminis contineri nequeunt, ſed ſi commodè dilatari non poſſunt, violentius impetu facto in vas continens, latera ejus diffrangunt. Atque in tali motu procedunt principia ſeminalia ex tenebris in lucem, ex formis informibus ad ſenſibiles; ex centris vel phyſicis vel mathematicis, ad ſuperficies & circumferentias, loco, tempore, numero, gradibus menſurabiles. Ita ſæpè febrilia ſemina, in ſuis centris quieſcentia ab externis cauſis ad motum irritantur vel invitantur, juſto ocyus, quàm illis abſentibus evigilaſſent; vel ſenſibilia facta fuiſſent. Sed non generantur ab illis, à quibus ad motum excitantur, uti delirat quotidie vulgus, huic vel illi non cauſæ, hunc vel illum effectum tanquam cauſæ imputando: E.g. Iræ Apoplexiam vel Epilepſiam; Potui aut cibo: calculum, podagram, febrim. Aderant enim in ſuis ſubjectis, talium affectuum ſeminaria, ſed ſub tenebris, quarum fructus ſenſibiles fiunt externis occaſionibus: Nihilque generatur novi à cauſis externis, ſed ſaltem harum occaſione ſenſibilia fiunt ex inſenſibilibus; non tamen

alia

alia quàm fuerunt in suis radicibus. Sol non producit avenam ex tritico, vel triticum ex avena suo calore; sed saltem id, quod seminatum fuit. Quousque cibulentæ & potulentæ materiæ serviunt spiritibus corporis nostri, eousque non gravant nos, quamvis satis sint ponderosæ; sed à spiritibus derelictæ, tum una drachma earum nos magis molestat, quam prius libra integra; atque sensim & molestiores evadunt, & periculosiores, quo longius in nobis hæserint. Sicuti cibi & potus vel eorum excrementa, ita quoque se habet sanguis in nobis, cum omnibus inde scaturientibus excrementis, vel excrementitiis humoribus: non saltem illis, quæ per orificia emunctoriorum internorum exanatomia venarum & arteriarum indesinenter excernuntur; sed & illis, quæ ut gravia ad extremitatem manuum & pedum præcipitantur, in ungues & callos in nobis; in bestiis autem quadrupedibus equis & bovibus, in ungulas sensim abeuntia. Atque ab his excrementis plura & majora pericula nobis imminent, quamvis tardius, quàm ab intrinsecis humoribus; Quia propius accedunt ad naturam mineralem illa, quàm hic; Si verò quis urserit, vapores febriles, vel ex hepate, vel liene, vel stomacho, vel hypochondriis, vel aliunde filum trahere; nec id sano sensu diffitemur; Sed propriè ab humoribus symptomata febrilia surgere, omninò inficiamur, nec aliam quam vapores solos agnoscimus, febrilium symptomatum causam proximam. Quare autem ex superioribus membris, nulli intermittentes affectus derivari possint; Causam jam reddimus; Continuarum febrium radices in prædictis membris, vel eorum orificiis sæpè hærere, non negaverim: Sed talium affectuum seminarii matrix à sensu occultari nequit, sed se certis sensui manifestat indiciis, toto suæ quietis tempore. Sed febrium intermittentium radices, vel radicum matrices & receptacula, extra paroxysmum sensuum judicia omninò effugiunt. Tempore autem ebullitionis suæ, varios & plures afficientes locos, quasi in affectis hæsissent, citius & Medicos

cos

perficie calor, ſapori reconcilietur: interdum pari paſſu ambulant, ita ut frigentes ſitiant, vel ſitientes frigeant valdè ægri: ob vaporis febrilis in calore & ſapore æqualitatem. Quo lentius ſerpit vapor, eò diutius durat frigus; ſed quo vehementior fuerit vaporis impetus ad ſuperiora; tantò brevius eſt frigoris incom̃odum; ſed caloris intenſior & diuturnior mora, donec per poros exhalaverit vaporis ſubſtantia, aut in ſeipſum contracta ſub humida & graviori conſiſtentia deorſum repercuſſa locum ortus ſui non repetierit. Oſcitationes, pandiculationes & dorſi dolores, producuntur à vaporibus ſurſum aſcendentibus; nam ex pedibus per propagines ramorum iliacorum vel internorum, vel externorum, vel utrorumq; ſurſum aſcendens, per truncum iliacum, in renum regione dorſo adhærentem, in venarum & arteriarum ramos ex trunco iliaco aſcendentes penetrant, atque ſic cordi, hepati, pulmoni, cerebro com̃unicantur, & ſuis tincturis, per quæ vadit, variè afficiunt: In omnibus fermè morbis incipientibus, dolor aliquis in dorſo ſentitur; qui quo major, tantò copioſioris vaporis, & acrioris ſaporis, vehementiorisque motus ſanguinei eſt indicium. Phthiſicis, Hydropicis, Dyſentericis, Febricitantibus, valde moleſtus. In quibuſdam febribus geminus ſentitur, ſcilicet in exordio & termino cujusque paroxyſmi; nam per quas vias aſcenderunt vapores, per eaſdem deorſum revertuntur, ad ſua hoſpitia redeuntes. In aliquibus vapores, qui aſcenderunt, diſſipantur omninò per poros, vel per emunctoria ſuperiorum expelluntur; atque nova ſymptomata ex novis ſeminibus in centro quieſcentibus reſolutis ſuas trahunt origines: atque tales febres brevi terminantur, quamvis acrius vexent patientes in ſuis circuitibus. Aliquæ autem valde ſunt periculoſæ, & melancholiæ, vel hydrope ægros opprimunt. Quartanæ febres ex marcoris ſurgunt vitriolaceis, ſtypticis, & acidioribus; quæ com̃uniter ſæpe iterum repetunt diverſoria, ita ut nullis vomitoriis vel catarcticis mitigari poſſint, vel ipſorum vapores in ſuperficie minorari;

Qq nisi

nisi per phlebotomiam, justis temporibus institutam, in centro quiescentia ejus seminaria, ex corpore proliciantur; atq; tum ad oculum & symptomata remittunt, & paroxysmi: sine hoc remedio, quartanæ nullis abolentur medicamentis intus porrectis; sed ligātur amuletis, & repercussivis, ita ut aliquādiu insensibiles quiescant; in patientibus nusquam & nunquam à recidiva tutis. Seminarium febris cujusque, quoad pondus vel molem corporeitatis suæ, valde exiguum est, ita ut in tempore quietis suæ nec ab ægris sentiri, nec à Medicis ubi hæreat deprehendi possit, scilicet ab eis, qui à sensibilib⁹ saltem in arte sua erudiuntur signaturis. Quoque minor corporeitas ipsius fuerit in quiete sua, & vehementior impetus in motu, tantò plures ei inhærent virtutes spirituales, vel tanto propior & affinior est seminibus mineralibus; horum autem granum plures complectitur corporeitatis ideas, quam libra integra alicujus vegetabilis substantiæ. Nam nisi prævalerent spirituales virtutes in morborum chronicorum seminariis, ipsorum ponderositati, nec tot nec tam vehementes inde surgerent vapores, paroxysmorum fomenta. Nam semina febrilia in corpore revera sunt extra paroxysmum æquè ac in paroxysmo; sed nec Medici sciunt, nec ægri, quid sint, vel qualia sint, & ubi sint, ante quàm in sensus incurrant. Si scirent Medici latibulum seminarii febrilis, donec quiescit; tollerent id citius, quàm molestum fieret patienti; nec tantas exigerent à patientibus expensas; nec se defatigarent, ægrosque molestiis. Inquiunt quidem Scholæ, semen febrile humorem esse, interioribus intestinis impactum, eumque biliosum, ex cujus ebullitione vel putrefactione incendatur calor in corde: Verùm hujus dogmatis sola quartana labefactat veritatem, quæ nullis cedit purgantibus, nec etiam phlebotomiæ etiam sæpius repetitæ; Sed nihil certi à Medicis haberi potest de febrili materia & ejus generationis modo, vel quiescentis loco.

SECTIO

SECTIO XVI.

FEbrium Erraticarum & Continuarum causas varias varii descripserunt Medici; Sed Pestilentialium, quarum comites esse solent petechiæ, bubones, carbunculi, dysenteriæ, deliria, aliiq; horribiles, & abominabiles affectus; admodum sobriè in scriptis suis meminerunt, ad occultas vel venenatas qualitates relegatis eorum principiis: quamvis signaturas sensibiles prædictorum affectuum satis abundè enumerassent. Ex putrescente aliquo intus humore maligno, vel extrinsecus aere, eas derivari sentiunt multi; vel ab astris delabi. Fernelius aliquid occultioris febribus non saltem pestilentialibus sed & comunibus adhærere docet, quàm quod humor vel putredo dici possit; Quid id autem sit; expresse non nominavit. Prævalet tamen prior sententia apud Medicos; hoc suffulta argumento; quod per vomitum biliosi humoris non saltem quotidianæ, sed & epidemicæ vel pestilentiales febres solvantur: Attamen id non est necessarium; nam multæ per pustulas labiorum, palati, narium, per hæmorrhagiam, sudorem, sedes, urinam, bubones pone aures, sub alis, in inguine, vel umbilico protuberantes & in exulcerationem abeuntes terminantur; absque omni indicio tincturarum biliosi humoris; Interdum febris vel febrilis affectus in alium mutatur, à febre signaturis omninò discrepantem affectum; vel calculum, vel hydropem, febre periculosiores & diuturniores; Sed calculi, hydropis & febris non docetur eadem esse materia, nec generationis processus. Ideò primo indagandum esset Medicis, an simul generetur & bilis & sanguis, vel hic prius bile, vel bilis sanguine; vel an ex sanguine actu jam tali, proveniat bilis, sicuti amurcæ ex vino? Hæc mihi sententia videtur probabilior. Quod nempe sanguis vel sanguinis substantia homogenea prima sit in ordine generationis; Ex ejus autem jam generati substantia, actu digestionis plures exclu-

di humores,& nominib⁹ & formis à sanguine & ab invicem discrepantes; sicuti ex lacte procedit cremor & serum; attamē lac prius est tempore quoad actum existētiæ, quàm ea quæ inde proveniūt, in secunda generatione. Motus enim sanguinis tàm arteriosi, quàm venosi, per systole & diastole sensibilis, revera est generativus, nam aliqua in eo fiunt sensibilia ex insensibilibus; vel actu existentia, quæ saltem potentiâ in eo delituerunt; sicuti fæces ex recenti succo musti, vel hordei, digestionis actu excernuntur. Fæx enim vel tartarus in musto actu non est, sed inde tantum generatur; sic quoque nullus humor in sanguine heterogeneus actu, sed potentiâ plures, vel omnes adsunt, quotquot unquam Medicis innotuerunt. Vinum post primam defæcationem, sive fæcum tartarearum crassarum, gravium, & de die in diem magis crassescentium ad vasis fundum repercussionem, clarum manet, fæcibus in fundo vasis quiescentibus; Sed certo anni tempore turbantur vina, dum videlicet fæces moveri incipiunt à se ipsis, motu digestivo, primo eorum motui fermentativo simili; nam non potest contineri vinum iisdem terminis, quibus continebatur quiescens, sed latius spatium quærit, quod nisi maturè adsit, dissiliunt vasis latera à violenti impetu interioris motus. Quod si quis talem vini mutationem, ejus febrim appellaverit, non errabit; nam revera sic succedit, sicuti febris in homine. Vina quæ minus amurcæ habent, à tali motu sunt tutiora; vel si turbantur, non adeò violens est motus eorum, ac quæ suis fæcibus superjacent. Ideò febricitantium symptomata mitigantur Phlebotomiâ, vel sanguinis evacutione, quia venæ sanguine evacuatæ, vaporibus è febrili semine surgentibus latius spatium relinquunt ad commoditatem motus eorum; sicuti vini portione detractâ, vas à ruptionis periculo præservatur, motu minimè à vino sublato. Atque sic phlebotomia vel frequentes purgationes, non aliter prosunt patientibus, quam motus commoditate, sive quod minorem violentiam patiuntur in paroxysmo, quam passi fuissent

vasis

vasis interioribus multo vel sanguine vel stercoribus repletis: Ex semine febrili nihil aufert medicamentum, nihil phlebotomia, etiam largior, secundum leges scholasticas adhibita; nisi justo tempore, & ex certis locis minuatur febris seminarium.

SECTIO XVII.

DE febribus pestilentialibus nobis scribere volentibus, plura occurrunt quàm quæ de communibus diximus, & profundius haurienda, quàm ex solis principiis ordinariis vel naturalibus. Nam febrium erraticarum & continuarum pro diversitate seminarii cujusq; discrepantium, centrum mathematicum eorum quietis, arte vel sapientiâ humanâ est pervestigabile; Non sic autem centra febrium pestilentialium; Nam hæc profundius sepulta sunt, quàm illa; Nec iisdem legibus moventur, quibus febrium communium vel vulgarium seminaria; ideò absque allegatione Theologicorum testimoniorum ex naturalium causarum scenis demonstrari nequeunt, quamvis materialiter à seminariis aliarum febrium nihil discrepent: Sed causæ quæ febres pestilentes moderantur, sunt naturalibus multò sublimiores; & dicuntur, vel revera sunt Angeli ipsi, qui non moventur ordinariis locorum & temporum legibus, nec etiam aliquid movent secundum præcepta eorum; sed saltem singularem summi Dei ordinationem! Ne autem hic prolixiores simus, quàm proposuimus, placeat Lectori legere Meditationem nostram de Peste, in tomo 1. lib. 2. Philosophiæ Sacræ. Nemo Gentilium Philosophorum anatomizare scivit febris pestilentiales, eorum qui ignorarunt jura Divinæ Majestatis: & quibus hæc singulariter à Deo non fuerint revelata? ideò nemo quoque certi aliquid aut veri de Peste meditari, scribere, aut docere potuit, aut potest nisi in schola Dei instructus Medicus: Nam Pestis revera digitus est Dei, qui nulli parcit, nisi cui vult; nemini autem vult, nisi quem

obſignavit ſingulari charactere, à percuſſore Angelo tranſeundum. Aſtrorum influentiæ imputare velle peſtis cauſam, gentiliſmus eſt. Aſtra enim non ſunt creata ad movendum inferiora, in principio creationis, ſed ſaltem ad depingendum tempora, & varietates motuum inferiorum: nam citius exſtiterunt inferiora, elementa, mineralia, metalla, vegetabilia, quam aſtra, uti in Philoſophiæ Sacræ opere demonſtravimus. Nec ex elementis vel elementatis per exhalationes nobis imprimuntur; Nam, id fieret, vel nobis per extrinſecum aerem communicarentur peſtis ſeminaria, tum nulli eodem aere viventes, liberi eſſent ab infectione, ſed omnes ſi non mori, attamen infici oportent: ſicuti qui ex veneno aliquo deguſtarunt, dolent, quamvis non pereant: Sed experientiâ docet tempore graſſantis peſtis nec omnes mori, nec etiam omnes infici, etiam quotidie cum ægris converſantes. Quod per aerem volitent venenatæ exhalationes minerales, & hominibus & brutis noxiæ, id non negaverim; quod verò à talibus principiis exoriantur peſtilentiæ, proprie ſic dictæ, id ſolum eſt quod inficiamur; Nam ſi inde ſurgerent, tum à naturalibus remediis & arceri à nobis poſſent infectiones, & infecti ab infectione liberari; ſed id utrumque falſum eſt; Nec hæc hic dico, quod omnium remediorũ uſum inutilem eſſe judicem, graſſantis luis tempore; Sed nulla adeò tuta eſſe, quæ nos ſecuros reddere, vel tueri poſſint adverſum eam, ſecundum artem humanam confecta quamvis pretioſiſſima; quam ea quæ nos in tali caſu parare docet Divina Sapientia. Surgunt revera vapores vel halitus ex centris terræ metallicis & mineralibus, valdè venenati, communicabiles & contagioſi; ſed tales vapores ſecundùm certas leges locorum & temporum, tum ad motum tum ad quietem ducuntur; atque ex aſtrorum motu præſciri poſſunt, tàm certò quàm certò ecclypſes Solis & Lunæ prævidentur ab Aſtronomis. Sed Luis peſtilẽtialis alia eſt ratio, alius director, alius motor; non ex aſtris, ſed ex oraculis Divinis demonſtrabilia, quæcunq; ad eorum

rum cognitionem conducunt. Quod naturales causæ cum Divinis interdum vel sæpè concurrant; nec id veritati contrariatur; sed quæcunque ex mundi hujus scenis causæ in luis pestilentialis grassatione deprehenduntur, eæ se materialiter habent vel instrumentaliter, non autem causativè vel formaliter. Solus Deus per Angelos moderatur Pestis motum & quietem; Ita ut non fortuito casu inficiantur infecti, vel moriantur morientes, vel à contagionis labe immunes serventur, alicujus extrinseci remedii vel amuleti adminiculo; sed solius Dei providentiâ & curâ.

SECTIO XVIII.

ANimus humanus vagatur continuò per millefarios opinionum colles, defatigaturque quærendo effectuum sensibilium causas, & citius succumbit quam invenerit quod quærit; vel ab hujus vel illius effectus signaturis captivatur, & obfascinatur ita, ut existimet se reperisse quod quæsivit aliquandiu; quamvis longè adhuc distet à re inventa. Honores, voluptates, & divitiæ mundi hujus suis retibus illaqueant plurimos, ut altius penetrare non velint quàm alios penetrasse sciunt, etiamsi possint, si se à communibus illis impedimentis liberos custodirent. Felix certè est, qui mediocri sorte contentus, remoras mundi ne quidem à tergo adspicere vult; nam ille reperit thesaurum auro incomparabilem, quem antiqui Doctores, & synceriores Philosophi, Lapidem Philosophorum, Tincturam & Medicinam Universalem nominarunt, quem stolidi in auro quærunt cum auri jactura, sed sapientes in ipsis reperiunt sine auro, auri feracem, ex mortificatione mortis, vel nos mortificantium causarum, uberrimas colligentes vitæ messes. In nobis hærent amice Lector, quæ rude vulgus extrinsecus metuit vel sperat, vel mala vel bona. Ex nobis errorum, morborum, curarum, dolorum, anxietatum, gan-

gaudiorum in nos derivantur & commoda & incommoda; Mors in nobis sua distendit palatia, ad vitam à Deo Creatore æternam destinatis; atque id agit falsæ voluptatis & beatitudinis sensui carnis præfiguratæ imagine, nos talibus insidiis à veræ felicitatis communione divellens. Si concupiscentiam carnis lascivientem adeò promptè sequuti fuerimus, sicuti factum hucusque, tum in casses angustiæ spiritus prolabemur spe ocyus; nec adeò cito evadere poterimus illius molestias, semel ab ea prostrati, sicuti primùm ab ea subacti fuimus. Ita quidem est, quod ex peccatoribus peccatores nascamur, vel mortales ex mortalibus, ut mortis terriculamenta & necessitatem omninò evitare nequeamus. Attamen ad pacem, tranquillitatem, valetudinem vocamur & invitamur à Deo; à morbis, plagisque omnibus avocamur, atq; sic beate vivere possemus ad extremum usque vitæ diem, si saltem agenda ageremus, & negligenda negligeremus. Examinemus omnes & singuli non alios, sed quisque se ipsum, quantùm à lege veri & boni distemus; Sed id facere proponentibus, necesse est ut cognita sit ipsa essentia veri & boni; nam sine hujus cognitione nullum examen æquum institui potest, nostræ æquitatis. Ille enim qui nos ex terra formavit, non nobis terram sed nos terræ præfecit; Non ut serviremus, sed ut imperaremus terrestribus legibus, quorum fuimus mancipia non saltem antequam fuissemus quod sumus, sed & post homines ex hominibus nati. Terra est mater nostra, Mater inquam, sed Pater Spiritus nostri major est matre; Patrizare itaque nos oportet, non autem matrisare, si excellere voluerimus inter liberos matris nostræ. Ne curemus terrestria; sed regnum cœlorum quæramus, atque sic affectis nulla terrestria nos gravabunt, sed inservient nobis omnia. Pater Deus, nulli nostrum infensus præter malis & inobedientibus; Natura, nemini dominatur hominum, nisi suis mancipiis, & ipsi imperare vel rebellare nesciis. Astra nihil possunt in spiritus nostros, sed regunt & moderantur saltem animales & brutales,

tales, à Divinæ communionis beatitudine exulantes vel exclusos. Mineralia, metallica, vegetabilia, & elementalia seminaria, viribus pollent extremis; attamen non nisi materialibus & servilibus, quæ non moventur in pernitiem nostram nisi à nobis irritata, Animalium venenatorum dictorum, aculei, dentes, rostra, ungues, cornua, non intrinsecus nos lædunt vel lædere possunt, sed extrà saltem corporis nostri membra vulnerant & exulcerant: atque sic nulla causa ex causarum naturalium ordine in nos Pestes immittit, aut morbos contagiosos; soli id agunt Spiritus talibus officiis à Deo destinati, à nobis autem contra nos irritati. Sanguis quidem noster abyssus est virtutum naturalium, sed tenebricosa, informis & inanis; nulla noxia exinde erumpunt, vel erumpere possunt, nisi à concupiscentiæ nostræ furente astro excitata & per vim quasi inde tracta; Ideò nihil est adeò pernitiosi ac noxii quam nostra ipsorum concupiscentia. Angeli percussores, quæcunque agunt, agunt ut creaturæ rationales. Non parcunt illis quos dignos morte Divina illis monstravit mortificandos justitia: Quæ tamen sic se abscondit à cognitione mortalium, ut vix millesimus sit qui Deum à natura dignoscere sciat aut possit.

SECTIO XIX.

Quamvis autem nos secundum Scripturæ testimonium, judicemus Pestem digitum esse Dei, vel eam ab Angelis percussoribus immediatè hominibus infligi; nequaquam tamen, omnia humanæ artis subsidia, grassante eâ lue ut inutilia despicimus; sed si aliquando, maximè tunc necessaria agnoscimus; quibus & percussori,& percusso, obviam eatur, cuilibet justo modo; Percussori Angelo, videlicet; ut parceret adhuc vivis & sanis: Sed vulneratis; ut vulnera ipsis inflicta, consolidari,ipsique in integrum restitui possint. Ideò in tali casu, non soli ex pro-

fesso Medici sunt maximè necessarii, sed omnes quotquot Christianum nomen profitentur, præsertim autem Sacerdotes, Doctores, Magistratus, & Patres familias singuli, pro salute auditorum, discipulorum, subditorum liberorum servorumque suorum solliciti esse debent; uti docent exempla Abrahami Gen. 18. 23. 32. Moysis, Num. 14. 19. Deut. 9. 25. Davidis, 2. Sam. 24. Si quid igitur aliqui possunt exorcistæ adversum dæmonia; cœcos, mutos, claudos efficientia, monastica vel legionaria; si quid sciunt Theologi adversum plagas obsessorum à dæmoniis; in diebus grassantis pestis, se esse viros demonstrent, & experiantur quantum valeant eorum exorcismi, jejunia, preces; vel quantum ipsi possint apud Deum, pro populo & pro se ipsis; Nam ipsis populi, sicuti discipulorum doctoribus, & parentibus liberorum, cura commissa est; Magna est cujusque officii Sacri authoritas apud Deum, si à digno administretur ministro; A Deo reconciliato ad Medicos est provocandum, non autem ab his exordiendum in tali, imò in nulla omnino morbi cura. Medici propriè sic dicti, vulneribus curandis adhibentur, jam actu inflictis patientibus; sed Theologorum & Magistratus officium est, percussoribus Angelis ire obviam, & pro populo ejusque salute apud Deum orare, & sollicitos esse. David cum vidisset Angelum percussorem, dixit ad illum; Ecce ego peccavi & ego iniquè egi, isti autem sunt oves, quid fecerunt? sit obsecro manus tua contra domum patris mei. Ita Moyses, videns obfirmatum æstum iræ Domini contra populum, inquit, obsecro remittas peccatum eorum; aut si non; dele me precor de libro tuo quem scripsisti. Christus Dominus se ipsum obtulit pro discipulis suis captivanti eum turbæ; Ego sum inquiens quem quæritis, finite hos abire. Sed hodie fugientium Percussorem, primi sunt Sacerdotes, qui deberent esse ex requisito officii primi in occursum Angelo, populi mediatores. Medicis, sortis infimæ, & furibus imò homicidis sæpè committuntur ægri vel ab Angelo percussi; quorum multi

multi ab Angelis non nisi vulnerati, profide trucidantur ab his; ut multa loquuntur exempla. Sed hæc sufficiant de communibus abusibus breviter monuisse; jam ad rem revertemur. Pestis itaque vel vulnera & ulcera ægrorum, soli Medicinæ & Medicis subordinata sunt, post pacatum Jehovam. Ideò omnia quæ ars molitur humana, contra Pestis incommoda, præservationis vel curationis intentione; non propriè ad arcendam pestem, prorogandos Vitæ dies, & mortis periculum profligandum, molitur, vel moliri debet; sed solùm ad mitigandum vulnerum, ulcerum, & symptomatum pestilentialium dolores; A Deo solo vita est quærenda, nec aliunde impetrari aut sperari potest; Si quis Medicus alià intentione meditatur, præparat, præscribit aut porrigit; vel æger expetit vel accipit à Medico medicamenta, uterque fallitur & fallit; conatusque amborum sunt irriti; quod verò [illegible], vel interdum, & à Medicis exhibeantur, vel ab ægris accipiantur remedia, Dei reverentià vacuis, dexteriori eventu; id [illegible] ob singularem Pharmaci efficaciam, vel Medici industriam aut prudentiam; sed quod morbus ab Angelo inflictus non fuerit, vel si fuit; non tamen ad perdendum, sed vulnerandum [illegible] ægrum: sicuti exemplum Hiob docet Cap. 2. 6. 7. Quomodo autem Angeli interfectores sua exequantur officia, an sine omnibus naturalibus mediis, an verò his concurrentibus? Hæc in Philosophiæ Sacræ opere latius explicuimus, semel atque iterum.

SECTIO XX.

EX supradictis liquet, quod omnium morborum salinorum, sulphureorum, hermaphroditicorum, continuorum, & intermittentium, endemicorum & epidemicorum, similarium & dissimilarium, vel quocunque alio nomine insignitorum, in nobis omnibus & singulis lateant seminaria; sive causæ materiales

& formales, omnium & corporis & animi paſſionum: Nullos autem morbos in nos extrinſecus derivari; ſed ab externis cauſis in nobis hærentia & quieſcentia ad motum excitari, irritari, trahi vel cogi; Aut juſtis temporibus & à ſemet ipſis oriri & occidere; intermitti vel continuari; ſæpius aut rarius recrudeſcere. Majoraque à nobis ipſis, quàm vel à morborum ſeminariis, vel externis cauſis occaſionativis, metuenda eſſe pericula; ſi nempe effrænem carnis libidinem ſtudiosè ſequi, vel exequi affectemus. Si verò dominemur affectibus noſtris; plurimas & animi anxietates & corporis paſſiones, vel omninò effugere, vel majori ex parte eorum violentias, mitigare poſſumus, ita ut & rarius & mitius doleamus. Demonſtravimus quoque non à ſolis humoribus derivari morborum cauſas; ſed à quibusdam morborum cauſis, humores generari varios, atque generatos per interna emunctoria, externosque meatus expelli & egredi. Quæ autem ſymptomata oriuntur ex humoribus, ſimplicibus, putridis, aut putreſcentibus; ea ſolutâ obſtructione, ut putrefactionis causâ occaſionativâ, evacuatisque humoribus, ceſſare, aboleri, nec recrudeſcere amplius, niſi novâ ſuccedente obſtructione, novæ putrefactioni objiciantur occaſiones. Morbos etiam intermittentes, nõ ex humorib⁹ ſurgere, ſed à profundiori & occultiori principio derivari; Ideò purgantibus omninò tolli non poſſe; ſed peculiarem curationis modum exigere; quem authores ſcholaſtici antiqui & moderni aut omninò ignorãt, aut diſcipulis invident. Demonſtravimus etiã Semina morborũ, ab initio generationis eorũ ſenſibilis, non ſtatim eſſe moleſta, multò minus noxia vel periculoſa; ſed talia demũ ſucceſſu temporis fieri; niſi interea ex corpore ejecta fuerint. Sub quiete autẽ ſua ſpiritibus vitalibus ſervire & variis uſibus adhiberi, tùm ad commodum, tùm ad ornatũ facientibus. Ex his ſimul collatis, & ritè examinatis, vel ad oculum innoteſcet Medicis, curationem morborum minoribus ſumptibus ægrorum, ſed magno cum honore Medicorum inſti-

tui

rui posse; non per experientias fallaces, sed rationalibus mediis & remediis: Nec aliter quàm sic Medicinam Artem utilissimam, necessariam,& nobilissimam, ab abusu & prophanatione vindicari posse: atque omnes circumforanei & medicastri confundi & pudefieri. Curationes autem Empyricas, revera esse fortuitas, & nullos certos eventus sortiri; Jam ad alia, Medicis rationalibus scitu necessaria, pergemus.

CAPUT VIII.

De Seminum Morbificorum Motu & Quiete, eorumque Locis & Temporibus.

SECTIO I.

DE Motu & Quiete Morbificorum entium, eorumque Motus & Quietis Locis & Temporibus acturi: Pro basi, cui omnia quæ hic dicturi sumus, superstrui possint; supponemus, Unum certum Numen idque tale esse, quod suo arbitrio omnia generabilia & generata, & regit & judicat, secundum ordinem æquitatis, à sapientia ejus omnibus & singulis rerum radicibus & seminibus definitum; Sine hujusque Numinis decreto, aut jussu, vel permissu, nihil moveri, nihil quiescere, nihil augeri, nihil minui, vivere vel mori, esse aut non esse posse. Illud Numen, uti nos Sacra pagina docet, quam nos solam authenticam agnoscimus, adnumeravit capiti nostro pilos; ita ut eo vel invito vel inscio, nullus vel nasci, vel decidere, aut evelli possit. Quod si verò Numen id & tam vilia curat, à quorum præsentia vel absentia parùm aut nihil commodi vel incommodi sperare aut metuere possumus; multò magis animadvertit & in ea, quæ nos aliquo modo afficiunt, vel delectant aut affligunt, vel animos anxios reddunt, vel corpora vulnerant, exulcerant, aut

alio modo premunt vel opprimunt; Quorum non saltem extrinseca vicinia, sed maximè intrinseca præsentia nobis est in præsenti molesta, & in futuro perniciosior, vel omninò exitialis futura. Quousque ignoramus timoris & pudoris ideas vel molestias, eousque beati sumus: sed beatiores; quando & quousque imperamus vel dominamur, imperiis & dominiis, principatibus & virtutibus mundi hujus, omnibus, nullæ autem nobis. Quando autem vel pudor, vel timor, vel calor, vel frigus, vel sapor, vel odor, vel color, vel pondus; alicujus concupiscentiæ, cognitionis, vel virtutis terrestris, nobis illi sponte obsequentibus, vel resistere quamvis reluctemus nequientibus; Tum in nobis affectus oriuntur tristes & dolorifici; durantque quousque apparuerint aliqua vestigia peregrinarum in nobis super nos imperantium vel dominantium concupiscentiarum, cognitionum & virtutum. Nosque tam diu servi, mancipia, vel captivi sumus, quousque non nostra, sed peregrina exequimur præcepta vel desideria: Cum tamen nemo nobis alius imperare aut dominari deberet præter solum Deum. Dissidet ignis ab aqua, canis à lepore, lupus ab ove, columba à serpente; Sed homo excellit omnes creaturas, nec est aliquod ens inter entia mundi hujus sensibilia, quod homini comparari possit, multò minus quod eo sit excellentius: Rebus omnibus in eo ordine stantibus, cui eas omnes & singulas Divina subordinavit Sapientia. Quousque homo dependet à solius Dei nutu, sive cum Deo unius est animi; eousque liber est ab omni periculo & molestia naturalium causarum; sive qui scit imperare affectibus suis, atque imperat obedire nolentibus, ille certè est magnus inter suos; nec eo aliquis major est, aut esse potest, ex mundi hujus incolis. Omnes autem & singuli invitamur promissis Divinis, ad affectandam libertatem vel majestatem amissam, vitio obedientiæ illegitimo magistratui præstitæ. Docet vero Moyses modum & ordinem creationis Divinæ, inquiens ex tenebris prodiisse lucem, cujus species una superficiem expansi oc-

si occupavit, vel possidet; alia terræ immersa, de die in diem innovatur & antiquatur. Cujus revolutio noctem à die, vesperam a mane, atque sic unum diem, septimanam, mensem & annum ab altero, præsentem à præterito & futuro divisit & dividit; nec citius illa temporum successio & revolutio cessabit, quàm revelata fuerit æternitas. Sex diebus primis absolvit Dominus totum opus creationis primæ, & septimo quievit, atque suo exemplo legem quietis omnibus seminibus rerum sublunarium sancivit & impressit; ideoque diem septimum Sabbatum nominavit, atque eum & ordine & nomine ab aliis prioribus distinxit; & homini sanctificandum singulari præcepto mandavit. Quia autem septimum diem sanctificavit & sanctificare præcepit ipse hujus mundi Architectus & Judex; certè non superstitiosi, sed sapientiæ Divinæ æmuli, ejusque præceptorum custodes erunt omnes illi Medici & Philosophi, qui septenarii vel septimi ordinis in scrutinio rerum naturalium habuerint rationem. Nam si hominem quiescere jussit die non quarto, sed septimo, sicuti ipse quievit Creator, vel omnium septem author; certè singulare quid septenario impressit, quo eum à sex præcedentibus discrepare voluit, non solum in hominis animo, sed in omni motu rerum naturalium. Non potest enim sibi ipsi contrarias condere leges, Judex sapientissimus & æquissimus; vel solutas relinquere à legibus creaturas homine ignobiliores, ad quas hominem custodiendas sacramento alligavit, mortem comminando transgressori. Qui itaque Medicus sapienter sua tractare vult in Praxi, ille necesse est ut septenarii habeat rationem, & hebdomadalis, & menstrui & annalis; Si Dominus Universi, omnia disposuit justo pondere & mensura, numeravitque accuratissime, & dies in diei quadrat. Numeremus itaque & disponamus nos homines quoque sic nostra ut Divinæ Sapientiæ æmuli & dici & esse possimus, atque hoc indicio certi, quod Naturæ Divinæ ideas nobis impresserit

ferit Cœlestis Pater, in testimonium præsentis & futuræ cum eo communionis.

SECTIO II.

DOnec adhuc Terra informis & inanis fuisset, vel sub nomine & forma tenebricosæ abyssi occultata, uti Moyses docet; tum in profundissima quiete fuerunt omnes rerum naturalium causæ & seminaria; Nulla tunc locorum, ponderum, numerorum, & mensurarum mutabilium vel finitarum fuit existentia; nulla concupiscentiarum, cognitionum, virtutum naturalium discrepantia; nisi in Divino exemplari. Sed luce ex tenebris, sive sensibilitatis formalitate ex insensibili specie natâ, ad imperium Creatoris, mutabilis hujus mundi jacta sunt fundamenta & centra, per innumerabiles circumferentias divisibilia; Primaque primi centri dimensio unam diem constituit, per suas quadras divisam, futurarum vel successurarum generationum basin, & numerationis omnis motus & quietis, fluxus refluxusque ex tenebris ad lucem, & ex luce ad tenebras, principium & terminum. Quæ spiritualia sunt vel insensibilia; ea legibus communibus mensuræ & numeri non subsunt; sed sunt de natura Terræ inanis & informis, vel de natura tenebricosæ abyssi, ad cujus profunditates luces mutabiles eorumque mensuræ non pertingunt. Atque talis est conditio seminum morbificorum in nobis; talis quoque conditio animalium & vegetabilium corporeitatum fuit ad diem usque tertium & quartum. Innominata sunt & manent in nobis semina morbifica, aliquandiu, sensuum mensuris externis & internis imperv estigabilia; ideò nescimus quid sint morbi vel ubi sint, quamvis in nobis jam sint; nam sunt quasi non essent, sicuti caseus & butyrum in lacte sunt; nam ex lacte nascuntur, vel prodeunt; ita morbi in nobis ex contentis in corpore generantur, & generati in nobis aliquandiu occultantur citius quam

quam eos adesse sentiamus, vel adfuisse sciamus. Quod autem hæ formæ prius fiant sensibiles, illæ paulò pòst; hæ supra, illæ infra; id non fit fortuitò, vel casu aliquo, sed secundum Legem Creatoris, qui tenebras luci, diem nocti, matutinum tempus vespertino præposuit; atque hunc ordinem ejusque necessitatem spiritibus mundi hujus implantavit; Deus enim Naturæ, non autem Natura Deo præest; Hic agit liberè, & mutat tempora pro beneplacito suo; Natura autem, vel Princeps Naturæ, hujus seculi Deus, & spiritus Lucifer, nihil agit, aut agere potest, etiamsi sciat & velit, nisi ad Creatoris imperium vel permissum. Deus & Natura duo sunt hujus Mundi numina; Deus Naturæ, Natura sensibilium motuum & quietum moderator. Sentire mundum hunc & res mundanas humanæ mentis ratiocinio regi, subtilis est atheismus. Nullum itaque est morborum, dolorum, tristitiæ & anxietatis, timoris & pudoris principium quærendum extra Deum & Naturam. Sed Deus morbos non creavit, nec aliquid quod malum dici posset: Nam salutares fuerunt ortus mundi hujus, & valdè bona primis sex diebus ad imperium Jehovæ facta omnia. Igitur ex Natura, sive scena tenebrarum propullulant & in nos derivantur omnia, quæ mala sunt & dicuntur, quæ nos turbant, lædunt, terrent, interque Deum & nos inimicitias seminant, vel nos à Dei communione vel mundi hujus dominio divellunt. Sed Natura in principio nullos produxit sapores, odores, colores, calores, frigora, magnitudines, profunditates, altitudines, pondera, nobis terribilia; nullas bestias homini infestas, sed morigera animalia omnia, arbores, herbas, gramina, jucunditatis & utilitatis plena; Unde igitur tanta malorum illuvies, omnes & singulos nostrum ambiens, nostræ voluntati, imperio, & vitæ inimica? Quis autor est dolorum, timorum, pudorum, anxietatum, curarum in nobis, si non Deus, nec Natura? Cum tamen nihil sit, quod non ab alterutro horum proveniat: Quamdiu benè valemus, & timoris & pudoris & morbi expertes,

 beni-

SECTIO III.

SAnguis dicitur anima carnis, & thesaurus vitalium principiorum. Sed idem ipse sanguis est mortis habitaculum, & mortis nos mortificantis tentorium; nam in sanguine nostro adsunt & vitæ & valetudinis, & morborum & mortis seminaria. Nhil est in nobis perpetui, sed mutabilia omnia, & ipsi quoque animi eorumque molimina. Nam quæ hodie amamus, heri fastidiebamus, vel cras fastidiemus, imò omninò abominabimur. Ita quæ heri fuerunt nobis utilia vel necessaria; hodie sunt, vel cras fient, & inutilia & noxia. Certè mirandum, imò dolendum est, quod adeò noxiæ & pernitiosæ fiunt in nobis rerum mutationes, atque unius ejusdemque entis ex utili in noxium transitus. In uno nucleo latet & vermis & arboris seminarium; sed ad oculum non patet, in nucleo hujus vel illius seminarii centrum, vel centri discrepantia; sed ex eadem sensibilis corporeitatis portione procedit arbor, ex qua vermis, vel vermis ex qua arbor: quamvis vermis sit scenæ animalis, vel sensitivæ facultatis progenies, arbor autem vegetabilis, omni sentiendi facultate destitutæ. Non saltem nucis, sed omnium esculentorum & potulentorum eadem est ratio. Omnia quæ ex terra nascuntur, terrestris sunt naturæ; in principio apparent inania & informia, sed successu temporis sunt formarum plenissima, iterum in statum pristinum reducibilia, & redeuntia, pari methodo & processu, quo ex tenebris fluxerunt in lucem, vel scenas sensibilitatis ascendentia. Nam nihil cessat esse omninò; vel in nihilum aboletur, quod aliquam formam exuit nihil; sed omnia redeunt ad ordines suos, & accumulantur majoribus suis, quæcunque ex his migrant locis & temporibus. Sed alia aliis diutius sub tenebris quiescunt, citius quàm in lucem emergant; alia aliis longius in luce peregrinantur. Cibi & potus frequenter ingeruntur corpori, sed & frequenter inde

excernuntur: Sanguis indefesso motu innovatur & antiquatur, aliquandiu corpori utilis & necessarius, mox idem inutilis & noxius;, quæ jam in eo sine pondere fuerant & movebantur, mox ponderosa, gravia vel levia fiunt; & vel ad extremitates venarum præcipitantur, vel per orificia emunctoriorum ex venis & arteriis propelluntur excrementitia:, sensim & per atomos quasi generantur excrementa, quæ majori mole coacervata ex corpore propelluntur; si continuò profluerent stercora sicuti generantur, inepti essemus ad opera humana, sicuti sunt, qui tales molestias patiuntur. Cibi & potus substantiæ extra nos, diu custodire possunt virtutes ipsis insitas; sed in nos ingressæ, digestivi caloris beneficio recluduntur virtutibusque suis, sed solis superficialibus spoliantur, non autem centralibus, nam hæ sunt excrementitiæ, & nobis noxiæ in nobis irrumpentes in sensibilitatem: ideò cibus vel potus primùm in corpus receptus nos non gravat, etiam copiosior, sed una drachma, imò unum granum, excrementitiarum materiarum, plus molestat nos, quàm libra integra cibi in stomachum primum ingressi. Locus cibulentarum & potulentarum materiarum in corpus primum ingressarum, est manifestus, & ad oculum demonstrabilis; ita quoque cibi potusque reliquiarum, vel sanguinis excrementorum; Sed quomodò spirituales ciborum rationes ex cibis separatæ cum spiritibus animalibus congrediantur, vel connubium faciant, an animales ad hos descendant, vel hi ad illos ascendant propriâ sponte, vel ubi primus fiat eorum congressus, an in nervis, vel venis, vel stomacho, id occultius est, quàm ut digito demonstrari, vel oculorum scrutinio pervestigari possit. Et tamen sine cibis hic vivere non possumus, nec corpus sine sanguine, à solis spiritibus informari. Docent quidem Scholæ sensibilem processum, & manifestas vias esse, per quas nutritivæ materiæ ad venas vel sanguinem, atque sic spiritus nostros ascendunt; Verùm, quia per easdem canales & excrementa ex sanguine ad intestina fluunt, uti ductus biliarius, etiam

ipsis

ipsis id attestantibus, oculariter demonstrat: ideò suspecta falsitatis sunt dogmata, de sensibili processu succi nutritivi ad nutritionis officinas, vel de sanguificatione sonantia; uti sententiam hanc in fragmento Spagyriæ nostræ sufficienter refutavimus. Per easdem vias quidem egreditur lux ex tenebris, per quas ad tenebras revertitur, vel ei tenebræ succedunt; sed nutritivorum & excrementitiorum principiorum in nobis alia est ratio. Nam cibi sunt sensibiles, ita quoque & ciborum reliquiæ, vel vaporum nutritivorum excrementa. Sed ea quæ ex ciborum potulentisq; substantiis spiritibus vitalibus & animalibus accedunt, ipsis spiritibus sunt maxime, vel ut sint necesse est, affinia, secus nulla potest esse inter hæc & illos communio, multò minus unio; Spiritus autem & solidissima ossa penetrant sine continui læsione, sed corporea, præsertim actu levia vel gravia, manifestas & hiantes opus est ut habeant motus sui vias; nam ne aer quidem ipse penetrare vel liberè moveri potest, alio aliquo corpore ei obvio inhibitus. Quamvis autem morbificorum seminum aliquorū vapores sint valdè acuti & penetrativi, ita ut eos moveri non sentiamus citius quàm terminaverint motum suum, ob summam eorum in tempore motus subtilitatem & vehementiam; nam ne momentum quidem intercedit inter eorum ortum & occasum; qualis est generatio epilepticorum paroxysmorum, attamen semina quæ subitaneas vel momentaneas admittunt resolutiones, sensim pondus acquisiverunt in prima corporeitatis eorum generatione; & sub tali conditione, sive ponderosa, longius quiescebant in certo loco, innoxia omninò sub tempore quietis suæ, imò si dixero ad valetudinis commoditatem & utilia & necessaria; non mentiar. Nam nisi in equorum pedibus feliciter nascantur ungulæ, vel si natæ aliquomodo lædantur, ineptus erit equus ad labores & servitia: Ita homo unguibus destitutus. Quousque moventur in nobis, quæ motui, & quiescunt, quæ quieti destinata sunt; eousque nulla dolorifica

passio est in sensu, nulla tristia vel anxietas in animo; si vero turbentur vel motus vel quietes in nobis contentorum, tùm variæ nascuntur & in membris, & in sensu, & in animo incommoda; vel hic vel illic tantum graviora; Communiter autem per imagines evanescentes communicantur prius imaginationi, quàm aliquomodo lædant sensus vel sensoria.

SECTIO IV.

Quoniam autem in hoc opere de omnibus circumstantiis seminum morbificorum ex sale surgentium, agere constitui; ideo locos vel matrices generationis eorum primæ, & quærere & demonstrare rationibus certis decrevimus, & ægris & Medicis, de hac re informari cupientibus profuturi. Locos affectos in hoc vel illo symptomatico circuitu definire, opus non est; nam passiones ipsæ sensum afficientes eum demonstrant; Interruptâ enim visione, vel auditione, vel olfactu, non opus est inquirere in locum affectum; vel dubitare an primariò afficiatur, an per consensum; satis est quod doleat patiens, hujus vel illius membri destitutus officio, vel afflictus dolore. Sed eo saltem dirigendus animus, quæ nam sit materia locum in quo sentitur dolor, vel qui ineptus sit ad sua officia, afficiens; an illic sit nata & fota à principio; an alibi, atque aliunde in id derivata. E.g. Podagrici sentiunt dolores in pedibus; non opus itaque est ut me fatigem, quæ pars eorum potissimum affecta sit, an articuli soli, an tendines, an membranæ, an musculi, an ossea eorum substantia, vel sola medulla? Sed an id malum in loco generationis suæ maturuerit, vel ibi hæserit innoxium aliquandiu, ubi tandem ingentes causatur dolores; an verò alibi natum ad pedes amandatum fuerit? Nam illi qui podagram ex defluxione humorum salsorum & acrium ex capite ad partes affectas generari docent, non agnoscunt podagræ seminarium in pedibus citius hæsisse, quam eò superne

pernè demandatum fuisset; Ideo porrigunt ægris talia quæ defluxionibus inhibendis existimant esse accommodata. Sed toto cœlo errant boni illi viri: quamvis uno tempore sæpè & caput & pedes doleant; attamen non in capite sed in pedibus & horum & illius doloris delitescebant causæ, sub solo pondere in matrice sua quiescentes, ideoque innoxiæ. Imò sunt aliquæ podagræ seminaria adeò subtilia, ut citius sentiantur in capite quàm in pedibus, hic tamen non illic nata, hincque ad caput elevata, non vero a capite ad pedes prolapsa: quamvis relaxato capitis dolore, pedes dolere incipiant. Idem & de aliis pluribus affectibus salinis est audiendum. Nam morbus vel morbi seminarium in centro quietis suæ, etiam mathematico, sub insensibili hæret facie, ita ut sensus nesciat id adesse, multo minus illic esse, ubi est; donec enim servit servus, commoda est & utilis domino ejus servitus: Dum verò domino imperanti obsequium negat, tùm sentit dominus illius molestiam; sed majorem, si domino quoque infestus fiat, ei, vel ejus domesticis, hostiles & violentas inferens manus. Sic quoque habet se processus generationis morborum in nobis. Nam ea quæ heri fuerunt, vel hodie adhuc sunt nobis utilia, & valdè commoda; cras vel perendie nos non saltem molestant sed & violenter infestant. Pro diversitate autem spirituum naturalium, & servilium, in nobis super nos dominantium, vel dominari affectantium, variæ in nobis nascuntur passiones, aliæ aliis vehementiores, vel diuturniores, aliæ primùm sensoriis, vel sensibus, vel animo inimicæ, aliæ ultimò. Quæ in stomacho hærent, vel intestinis malorum seminaria; ea vomitivis & catharticis cedunt; sed quæ in venarum orificiis vel emunctoriis; ea violentioribus, sudoriferis, diureticis, errhinis remediis inde pelli volunt. Quæ vero in extremitate manuum & pedum ad radices unguium hærent gravia, mucosa, limosa, tartarea; ea nec diureticis, diaphoreticis, nec catharticis quamvis violentioribus & sæpe repetitis cedunt; sed per unguium excrescentias & ad modum

dum lentè exeunt; vel inde institutâ venæ sectione evacuari debent, si ab eorum incommodo liberari, vel adversum futurum nos tutos præservare studuerimus. Motus sanguinis in venis & arteriis est indefessus, hic magis sensibilis quàm illic, & tamen utrinque continuus, ad ultimum usque spiritum; sæpè & homine jam vita & sensu orbo in venis durat; Cum sensuali cognitione vita animalis in homine incipit & terminatur; Voluntatis autem humanæ libertas, ejus ultimæ beatitudinis est indicium, vel optimæ valetudinis gradus summus. Voluntatis libertate labefactatâ vel abolitâ, homo vitam quidem vivit sed molestam, vel dolorosam, brutalem potiùs quàm humanam, diciturque tantum, non autem revera homo est, quamvis externam retineat hominis formam & nomen; testem quod fuerit vel quod esse possit, aut aliquando debeat fieri homo; non autem quod jam sit. Ita morbus occultatur aliquandiu in nobis sub insensibili, non quidem insensibili, sed saltem sine dolorifica specie; sive non demonstrat se nobis molestum à principio generationis suæ, sed servum, & sub servili conditione nos fallit, ita ut ignoremus eum, vel non credamus ipsum fuisse talem qualis tandem sit. Ideo dicimur, vel putamus nos benè valere, quiescente in nobis morbi seminario; imò & benè valemus, sed sub periculo insperati morbi viventes. Nemo hominum omninò liber est ab omni periculo morbosæ passionis, sive à dominii spirituum naturalium incommodo, quousque in corpore hoc animali habitamus; talis, nempe adversum omnes molestias terrestres tandem demum sumus futuri, postquam hoc exuto, spirituale incoluerimus domicilium, quod nobis promittit Dominus ab hisce temporibus. In hoc corpore animali, quod terrestris est conditionis, habitant nobiscum spiritus mortiferi, leges morbi & mortis; dolorum, anxietatum, timorum & pudorum causæ; super nos in nobis quidem imperantes & dominium exercentes toto nostræ ignorantiæ tempore, quousque nos ab illis, nostrasque concupiscentias,

cognitiones, molimina, officia, virtutes ab eorum distinguere nescimus; sive citius quàm per virtutem ab alto regenerati fuerimus: Quod vero à nobis per vim extorquere nequeunt spiritus, id per voluptatis dolum à nobis impetrant sæpius: Ideò in continuis periculis vivimus, non saltem dum dolemus; sed & tunc dum voluptati largius indulgemus. Quò plures nobis serviles habuerimus spiritus, tempore valetudinis nostræ, & ad rebellionem tardiores; tantò & voluptuosior est vita & diuturnior valetudo nostra. Sed tandem omnia in deterius mutantur; Nam morbus vel ægritudo nostra, nihil est aliud quam inversus prioris conditionis status, dominii in servitutem, voluptatis in dolorem, gaudii in timorem & angustiam permutatio. Præmeditare hæc homo, citius quam veniant dies illi, de quibus dicturus es, quod tibi displiceant; uti monet Ecclesiastes; Nam corpus hoc terrestris conditionis in terram, spiritus autem ad Deum reverti debet, suo tempore.

SECTIO V.

Scriptura Sacra nominat affectuum dolorificorum authores, dæmonia, spiritus infirmitatis, potestates Sathanæ, vincula quibus ille ligare solet obsessos; Atque de aliquibus talibus causis inquit, quod non aliter quàm oratione vel jejunio abigi possint; de aliis aliter sentit, & nos sentire jubet; nam nominat certas personas quæ plurimos obsessos ab obsedentibus eos dæmoniis liberarunt, vel verbis, vel remediis adhibitis. Unde liquet, quod secundum scripturæ sensum morbos sanare, & dæmonia expellere, opus sit virtutis vel artificii. Certasque materias, vel contenta corporis nostri, non nisi vestes & diversoria esse spirituum, nos diversis temporibus vel voluptuosè vel dolorificè afficientium. Qui spirit⁹ citi⁹ quidē habitarūt in majori mundo quàm in nobis; vel cibulentis & potulentis substantiis, qaàm in sanguine & carne

nostra; sed ligati arctioribus vel laxioribus vinculis extra nos, in nobis autem majori libertate, vel eam acquirendi occasione præditi sunt. Nam sub voluptuosa specie, vel titulo utilitatis & necessitatis ingressi; non nisi doloribus pluribus vel diuturnioribus & frequentioribus stipati, egressum moliuntur. Nulla corporea, vel sensibilia à se ipsis moventur, sed à principiis insensibilibus omnia & singula. Astris attribuit intelligentias, eorum motrices Aristoteles; Ita nos quoque cujuslibet doloris principio peculiarem destinamus authorem vel spiritum, ex scenis homine inferioribus unum, vel animalem, vel vegetabilem, vel elementalem, vel mineralem, vel metallicum; suæ naturæ convenientes in nobis producentem signaturas. Experientia testatur quotidiana, quod animalium species & individua, non saltem externis varient signaturis, sed & internis animi moliminibus, desideriis, & sensationibus; Ita quoque variant & corpora vel species & individua scenæ vegetabilis; Nam hæc plura, specie & numero discrepantia, simul terræ commissa; non simul germinare, florificare, fructificare, & maturescere, sed alia ocyus, alia tardius, hũc vel illũ actum inchoare & perficere; vel diutius continuare, vel semel terminare, vel sæpius repetere, docet quotidiana experientia. Ita generantur & morbi in nobis, & quiescunt, & moventur generati variantque motus & quietes suas, temporum intervallis, quamvis in uno loco quieverint simul aliquandiu plures, & speciebus & numeris differentes; Signaturæ externæ gradibus discrepantes in motu numero plures, sub una specie saltem occultantur tempore quietis; Nam quæ in superficie corporis jam frigidos jam calidos induunt vultus, in centris latitantes præter pondus nihil habebant sensibilis. Defatigamur quærendo medicamenta singulis eorum signaturis opposita, sensum nostrum afficientibus vel molestiâ vel dolore; quibus nempe vel frigus pellere possimus nobis infestum, vel calorem; vel sitim, vel famem, vel alias & animi & corporis passiones; Et tamen rarò invenimus

talia

talia quorum effectus nostræ intentioni respondeant; In causas vero nos affligentium passionum, ne inquirimus quidem; quorum tamen cognitio nobis utilior esset, nam liberaret nos à frustraneo labore remediorum inquisitionis; Quomodo quæso quis potest liberare ægrum à sensu doloris, qui nescit à quo principio derivetur passio, vel ubi hæreat radix mali? Nam si quid potest, præterea nihil potest quàm mitigare symptomata; præcavere nequaquam, multò minus adversum recrudescentiam præservare patientem. Morbi radix est in Occidente, sed Orienti adhibentur communiter medicamenta. Morbus sentitur quidem in capite, uti Epilepsia; sed semen vel causa mali hæret radicata in pede; attamen non pedi sed capiti adhibentur Epileptica. Semen febris est in extremitate venarum, vix drachmæ, imo grani unius, pondus pendens; sed vena secatur in brachio, & sanguis extrahitur, copiosior decuplo imò centuplo semen morbi pondere superans; Attamen redit febris, patiens dolet, & in periculo mortis est post, sicuti ante admissa artis subsidia; Quare quæso? Quia morbus in suo centro integer manet, nec vis remedii penetrare potest ad locum quietis ejus; nec aliquid ipsi detractu integra sanguinis mole evacuatâ; nam fuit quidem aliquando sanguis, vel in sanguine; sed non est tunc dum dicitur, vel est, morbi causa. Vel si est per sangineam massam dispersus, in paroxysmo? attamen minima est ejus corporeitatis pars illic, vel atomus tantum unus; cum tamen drachma integra in centro hæreat quiescentis; Extra paroxysmum autem in sanguine non est, adeo cum sanguine extrahi nequit, scilicet illo qui actum digestionis patitur adhuc. Ars quidem putat se effecisse omnia, quæ in salutem ægri, & destructionem morbosi seminarii necessaria erant; Cum tamen fecisset nihil; nihil enim profuit ægro, nihil obstitit morbo ejus industria, quamvis se multis & ægrum fatigasset molestiis. Si cognovisset morbi quiescentis locum, & minori molestiâ, & periculo, & sumptibus ægri, negotium confecisset.

Non enim omnium dolorum causæ, vel paroxysmorum seminaria in ventriculo hærent, vel intestinis, vel emunctoriorum internorum orificiis, vel in sanguine; sed plurima, & periculosissima profundiùs se absconderunt, quam ut comuni modo, methodo, & medicamentis expelli possint. Hyberno tempore, omnia vegetabilia quiescunt sub caligine, vel seminũ, vel radicum. Sed instante vere, singula suis signaturis, & specie & numero, & gradibus variantibus discrepantia prodeunt; Si hyemis tempore quis evelleret radices, & semina, in se ipsa contracta adhuc, ex terra extraheret, minori molestiâ, plus efficeret, quam si in æstate florescentes vel fructificantes eorum corporeitates detruncando se fatigaret. Ita quoque Medicus ille prudentior est, ægrisque utilior, qui à radicibus incipit morbos evellere, non autem saltem circa eorum sensibiles effectus minuendos vel mitigandos occupatur. Membri seminarium non omne fructificat in loco generationis suæ; sed pleraq; in peregrinis membris, vicinis vel remotioribus; Ita Epilepsiæ semen non sentitur in pede, sed in capite; Ita & febrilia semina, alibi quiescunt innoxia; alibi sentiuntur valdè molesta & periculosa. Dæmonium id cujus mentionem facit Fernelius in Lib. 2. de abditis rerum causis Cap. 16. irrisit Medicorum multifarios sed irritos nisus; qui obsessum variis medicamentis, & medendi modis vix non jugularunt; Fassumque est, se per pedes in Regiam, sive corpus patientis, intrasse, & à pedibus exiturum, sed non citius quam præstitutus dies adventarit. Plura revera, & veriora dixit dæmonium, quàm plurimi sciverunt, vel adhuc sciunt & intelligunt Medicorum. Nam ex pedibus plerique & periculosissimi, vehementes & diuturni morbi, animi corporisque trahunt originem; Medicis in affecta membra frustra sævientibus. Et tamen nō semper in pedibus sentiuntur dolores, vel morborum indicia, nec tunc dum alia membra dolent, vel ante, vel post; à pedibus tamen infecta: Interdum quidem id fit, quod scilicet pedes dolere incipiant, vel unà cum partibus superio-

perioribus; vel quod superiorum membrorum passiones solvantur, pedum vel tumore vel dolore; tamen hæc non observant, vel ut ad rem nihil facientia, despiciunt Medici; cum tamen profunda sint mysteria, & scitu necessaria. Audivimus quidem in scholis quoque de locis affectis per sympathiam, vel idiopathiam doctrinas; sed adeò obscuras & dubias, ut nihil inde prudentiores evaserimus in febrium, aliorumque chronicorum morborum curatione. Quod Epilepticarum convulsionum seminaria, sæpè ex contentis in capite surgant, uti post lapsum ab alto, vel contusionem sæpè fit; illud non contradicimus; Sed Epilepsias intervallares & justo tempore, per multos menses vel annos recurrentes, à proprio cerebri vitio, vel ejus contentis derivari, illic etiam extra paroxysmum hærentibus; falsissimum est. Sed hæc in capite de morborum curatione prolixius demonstrabuntur.

SECTIO VI.

TRes sunt catholicæ omnium creaturarum Matrices, in quibus & generantur, & ex quibus nutriuntur generata; Aer nempe, Aqua & Terra. Sed sicuti hæc inter se discrepant formis sensibilibus, earumque signaturis; pariter quoque discrepant eorum semina, seminumque fructus. Nam quædam non nisi in profundioribus terræ centris & generantur, & maturescũt; quædam in terræ superficie & nasci, & nutriri, & multiplicari amant. Ut corpora metallica & mineralia; quorum generatio procedit per confluxum principiorum terrestrium, qui valdè lentus est, in aliis celerior, in aliis tardior; & sicuti tardus est eorum confluxus, tardus quoque & diffluxus; Igne enim vix liquantur, & mollescunt, sed non dissolvuntur, ut fiant vapor vel humor. Inter omnia terrestria auri corpus tale est, nempe difficilimæ dissolutionis, quamvis & id, ab aquâ sibi homogeneâ, & in humo-

rem & in vaporem converti possit, singulari artificio. Sunt iterum & alia entia, quæ ex inferiorum corporeitatibus in vaporem dissolutis, in sphæra aquæ & aeris multifarias acquirunt consistentias, terram non contingentia; & tales sunt millevarii meteorici fructus, grandines, nives, fulgura, tonitrua, venti; Alia iterum, quæ sine terra nutriri & multiplicari nequeunt, quamvis signaturis sensibilibus à terra discrepent; Ut arbores, herbæ, gramina. Sunt iterum creaturarum quædam species, quæ ex fructibus metallicis, mineralibus, meteoricis, & vegetabilibus materialiter proveniunt, & tamen formalitatibus ab illis omnibus discrepant; quorum membra quidem nobilioris sunt conditionis, multo pluribus & sublimioribus usibus inservientia; sed excrementa, cum mineralibus & vegetabilibus signaturis participant. Tales sunt animalium species, quarum plures iisdem quidem vescuntur cibis, & tamen variè discrepantia ejiciunt excrementa, alia ad vitrioli, alia ad nitri signaturas propius accedentia. Anser, ovis, sus, vacca, equus, pascuntur gramine unius pascui, sed ecce quam variant eorum carnes & excrementa: Fimus anserinus, & suillus, noxii omninò sunt pratis & satis; Equinus non ita; sed vaccinus & ovillus valde utiles. Nec hæc varietas in excrementis, & carnibus, eorumque usibus est adeò mirabilis, quoniam specie differunt invicem dicta animalia. Sed humana radix, ejusque radicis fructus, ex uno individuo processerunt semine, & procedunt quotidie; sed in singulis humanæ speciei individuis specificæ deprehenduntur signaturæ, in quolibet peculiari subjecto non saltem disparatæ, sed in plurimis omninò contrariæ. Nec ex omni cibo in quolibet individuo nascitur bilis, sed in hoc bilis, in altero aliud quid, à bile multum diffidens; Atque ideò regulæ diæteticæ vulgares valdè sunt fallaces, & ad omnes casus adaptari nequeunt. Non omnes illi, qui iisdem cibis aluntur, ab iisdem morbis periclitantur; Nam sicuti imaginationes singulorum discrepant, sic discrepant quoque sanguinis excrementa, & morborum seminaria

naria; non pro differentia vel identitate ciborum, sed maximè imaginationum: Uti nos docent exempla fimi animalium diversarum specierum: Ita quoque pilorum, lanæ, setarum, ungularum, unguium, pilorum, crinium, cornuum. Unde liquet, quod cibulentæ & potulentæ materiæ plurium mineralium atomos complectantur, quam unius solum; quos singulæ animalium species ab invicem discernunt, hujus animalis speciei individua ad hos quam illos discernendum procliviora. Sic quercus, juglans, nux avellana, eodem quidem pascuntur & rore & rure, & minerali, scilicet vitriolo; sed quàm differunt & sapore & odore & colore fructus eorum, omnes tamen vitriolaceis signaturis insigniti? A radicibus ungularum & unguium, surgunt inquinamenta sanguinis in singulis speciebus & individuis discrepantia; sive sint arsenicalia, nitrosa, sulphurea, vitriolacea vel antimonialia. Non quod hæc vel illa animalia extrinsecus talibus cibis pasta fuerint; sed quod talia excrementa sanguis excernat in hoc vel illo animali, tali vel tali imaginatione prædito. Ex urina, vel alvo constipata, multæ surgunt incommoditates superiora molestantes; Sed ex unguium radicibus, vel in eorum vicinia quiescentibus, & in ungulas vel ungues sensim coalescentibus materiis, & plures & diuturniores, & periculosiores: Ita ut homo benè valens, nullo alio indigeat medicamento, quàm pedum munditie, & unguium frequenti resectione; hoc modo suo corporis commodo & præsenti & futuro provisurus, multò melius quam diætæ exquisitioris custodià.

SECTIO VII.

Lactis substantia homogenea est à principio, sed post heterogeneæ substantiæ inde excluduntur. Sic pluvia homogenea quoque extrinsecus apparet, sed abyssus est infinitorum saporum, odorum, colorum, aliarumque signaturarum materialium, quæ inde non spontè, sed virtute seminum vegetabilium & animalium

malium proliciuntur, pro diversitate specierum & individuorum variantes; Sic quoque se habent radices & seminaria morborum; nam in principio generationis suæ, non nisi homogenea sunt intus & extra, quoad sensuum mensuras; sed sensim mutantur; & heterogeneos spirant vapores ad superiora, in signaturarum specie, numero & gradibus de die in diem proficientes. Nihil ex nihilo fit, sed quodlibet ex singulari generatur semine, suæ speciei signaturis vestitum. Ex semine tritici, vel ejus formali ratione non nascitur urtica, nec ex urtica hordeum; quamvis sæpe formale principium materialem induat rationem, in servilem conditionem aliquo modo reductum; violentià causæ superioris; sic spiritus nucis fit caro, ab animali deglutitâ nuce; Ita & caro animalis mutatur in nucem spiritu animali spoliatâ. Febriles paroxysmi non surgunt ex seminibus podagricis vel epilepticis; nec epileptici ex febrilibus: attamen amborum atomi simul sub una homogeneitate occultari possunt; sed non in omnibus individuis manifestantur eorum tincturæ omnes, sed in his hæ, in aliis aliæ. Sicuti autem in centris suis tenebricosis discrepant seminales rerum rationes, ita quoque discrepant eorum fructus & fructuum signaturæ in scenis lucidis vel sensibilibus, sic & motus & quietes temporum legibus obsecundant. Id docent semina vegetabilium, nam si plura simul in uno momento in unum conjiciantur agrum, non tamen simul omnia erumpunt, florent, fructificant; sed alia ocyus, alia tardius. Ita quoque variant in nobis morbi, vel morborum seminaria. Et ex causa hac necessaria est in Medico cognitio seminum vegetabilium, earumque seminalium proprietatum diversitatis, non saltem quatenus in usum medicum accommodari possunt; sed quia ad cognitionem seminum morbificorum conducunt. Nam ignarus subordinationis seminum extra nos, ignorat quoque morborum differentiam radicalem & seminalem in nobis; sæpe autem plus conduceret cognitio morbificorum entium ad curam, quàm remedio-

mediorum confert multitudo. Non poteſt aſtris imputari chronicorum morborum juſto tempore fiens recrudeſcentia; Nam non ex aſtris in nos cœleſtibus, ſed ex ſeminibus in nobis hærentibus derivantur paſſiones & animi & corporis. Non aſtra ſunt, quæ dividunt febres in quotidianas, tertianas, quartanas; quæ Epilepticos, phthiſicos, peſtilentiales cauſantur dolores; ſed ex ſuis certis, in nobis tamen contentis, ſeminariis propullulant omnia. Quod febres anticipent, vel differant ſuos circuitus; Quod epileptica ſymptomata mille modis variant; Quod peſtis una alterâ ſit pernitioſior; Quod hic infectus convaleſcat, ille pereat; tales affectus nulli cauſæ procatarcticæ ſunt imputandi, ſed ipſis ſeminalibus rationibus in ſubjectis ægris hærentibus; quæ non agunt voluntariò, nec fortuitò, ſed à fatis neceſſitate. Contagiores vel ſeminaria morbifica ex ſubjectis in ſubjecta vagantia, niſi ſimilem repererint materiam in ſubjecto recipiente, qualem habuerunt in communicante, etiam in aliud ingreſſa vel transplantata; ſterileſcunt, vel diſſipantur ſubitò, nec aliquas radices jacere poſſunt; ſicuti ſurculis ceraſi ſuper fruticem pomi plantatus exareſcit; nam inter quæ nulla affinitas, nulla quoque poteſt eſſe unio fixa & ſtabilis, etiamſi fiat eorum miſtio. Metus autem vel timor in recipientibus, repellit ſpiritus ad interiora, & eos debilitat, ut externis, quamvis contrariis, minus reſiſtere poſſint; ideò illorum occaſione contingit, quod abſente metu factum non fuiſſet; ſed & illa fuga ſpirituum videtur à fatis dependere; nam ſæpe adverſus alia pericula audaciſſimi, adverſus terrorem peſtis fiunt puſillanimes & meticuloſi. Et quamvis peſtes divinitus infligantur & hominibus & beſtiis; tamen nec aliæ plagæ fortuitæ ſunt, vel extra curam Divinam, ſed omnes à Dei nutu pendentes; ita ut Deus creaturis mundi hujus iratus, jam per media naturalia, ſenſibilia, & manifeſta, per aquarum inundationes, incendia, ventos, beſtias, fures, & homines nequam, jam per cauſas occultiores & profundiores ſua exequatur decreta, extra nos, in

nos, & in nobis. Solusq; est Deus, qui moderatur, & ad certos fines dirigit omnia. Legibus locorum, temporum, ponderū, numerorum, alligavit Numen Cœleste sublunaria omnia; sed non se ipsum. Et quamvis nos constituerit in Imperatores & Dominos totius Universi, nō tamen nobis licet impunè mutare ordines à Deo definitos; sed si id à nobis fiat, sive fiat per ignorantiam, sive per industriam, sive ab invitis, sive à petulantibus; tamen obnoxii simus iræ Divinæ; secundum Justitiam; quod si autem inviti vel ignorantes, vix sperare possunt gratiam, post commissum errorem vel scelus; multò minus excusabiles esse possunt industriè & studio delinquentes. Omnes creaturæ norunt leges ordinis sui extra nos; & sic quoque omnia nostra, vel in nobis contenta; nam quæ habemus nos, ea nobis extrinsecus communicantur omnia. Non pro libitu nostro mutantur motus exteriorum; sed nos ad normam legis eorum mutare, differre, accelerare, repetere, aut relinquere debemus actus nostros: si aliquem inde sperare volumus fructum. Non est idem, quo tempore vel cui loco seminare volueris sata, vel plantare herbas & arbores; nam non omnia simul & semel seminari vel plantari, aut transplantari possunt, volunt aut debent; Talis quoque est morbificorum seminum in nobis & generatio, & maturatio, & propagatio, & exstirpatio.

SECTIO VIII.

Quod autem septimo quoque intervallo temporis, horæ, diei, septimanæ, mensis, anni, singularis & sensibilis fiat mutatio motus & quietis sublunarium omnium extra nos, id est apud sapientiores & prudentiores Philosophos, extra omnem controversiam: Quamvis mutationes horariæ, vel diurnæ, vel hebdomadales, ob subtilitatem vel exilitatem, minus sint notabiles, quàm eæ, quæ septimo vel mense fiunt vel anno. Quædam

dam prædictarum mutationum ſubitò fiunt, quædam ſenſim & ſucceſſivè; quædam occultæ omninò ſunt citius quàm fiant; quædam verò ex certis indiciis donec adhuc in fieri ſunt, & citius quam fiant, prævidentur à prudentioribus; Pauci ſunt admodùm, qui hæc in motibus quotidianis obſervant; Pauci identidem, qui ſciunt cauſas talium mutationum, quamvis de facti veritate non dubitent, ſenſuum teſtimonio convincti; Ideò ſunt multi, qui ignorantiam ſuam manifeſtè confitentur. Alii varietatis illius originem aſtrorum imputant motui; authoritate aliorum potius, quàm ratione propriâ ſuffulti. Nos quid de mutatione illâ, ſeptenario intervallo invaleſcente, aut ceſſante, ſentiamus, à quibus nempe fluat principiis, breviter demonſtrabimus: atque ita non ſuperſtitioſum eſſe, ſed omninò utile requiſitum in omni Medico ſeptenarii rationem habere; non ſaltem annalis, ſed & menſtrui, & diurni, & horarii; Mutatio ſeptimo vel menſe vel anno fiens corporis noſtri membrorum, vel in eis contentorum, & inde ſurgentium, vel eas comitantium animi & corporis paſſionum; non omnis eſt in pejus, nec etiam in melius: attamen circa prædictos menſes vel annos, alterutra fit; ſe pluribus & manifeſtioribus indiciis prodens hæc vel illa, vel in deſideriis, vel judicio, vel virtutibus nobis innatis. Hæc ſola quia fixa & permanens præ cæteris eſt notabilis; reliquæ ſunt occultiores, quàm ut animadverti poſſint in aliis, imò nec ab eam patientibus perſonis. A cœleſti influentia vel motu planetarum mutationes inferiorum effectivè & formaliter derivare, vel aſtris ut cauſis imputare velle; non ſatis tutum mihi videtur; nam ſi Moyſi credendum eſt, aſtra cœleſtia non in cauſas motuum rerum generabilium, ſed in ſigna ſolum & indicia ſunt deſtinata à Creatore, in primo creationis exordio. Ad hæc trina facta fuit rerum terreſtrium revolutio in aquis & terra, citius quàm aſtra exſtitiſſent, ſive metalla, mineralia, & vegetabilia per ſuas ſpecies diviſa fuerunt, eorumque fructus & ſigna-

turæ, fructuumque & signaturarum seminales rationes, ante Solem & Lunam. Atque sic astra, ut ortu posteriora non possunt efficere motus & quietes, vel dici causæ motuum vel quietum entium eorum, quæ ante ea fuerunt; uti in capite de Astris in opere Philosophiæ Sacræ latius docuimus. Non itaque ab astris extrinsecis, sed ab intrinsecis cujusque individui seminalibus vel spiritualibus principiis mutationes fiunt in sensibilibus & imaginatione; & quiescentibus illis quæ movebantur prius, nova succedunt vel erumpunt in lucem aliquo modo, si non omnino à præteritis discrepantia; Sæpè quidem ingens fit in subjecto mutatio, ita ut posterioris conditio à priori, si non in corporeis signaturis, attamen in animi affectibus, omninò diffideant, & homo quasi innovetur: aliquis in pejus, aliquis in melius. Rarum quidem id, attamen verum. Quælibet arbor suo tempore aut suum fructum fert, aut nullum; pyrus pyra, pomus poma, cerasus cerasa, aut nihil: sic quodlibet semen peculiaribus signaturis suam in nobis præsentiam sensui manifestat, suis temporibus, febrile febrilibus, epilepticum epilepticis, minerale mineralibus, animale animalibus, humanum humanis, Divinum Divinis. His in motu existentibus quiescunt illa, vel quiescentibus illis moventur hæc; Humana, & quæ humanis subordinantur, legibus locorum & temporum variant in quiete & motu; sed Divina nullis legibus subsunt, leges autem & locorum & temporum illorum parent arbitrio. Nam sicuti quies revera est aliquid distincti à motu, ita quoque quiescentia à mobilibus actu, orientia ab occidentibus, homogenea à heterogeneis. Ita quoque dies, septimana, mensis, annus septimus quædam terminat, scilicet quæ prius movebantur vel quiescebant, atque illa ad quietem, hæc autem ad motum urget, ducit, pellit, invitat, irritat, cogit, solvit, ligat. Non contradicit nobis pagina Sacra, hæc enim nos sanctificare jubet, & docet diem, mensem, annumque septimum; ob causam, quia Deus septima

mâ die quievit ab opere Creationis, ejusque quietis monumenta omnibus ſeminibus impreſſit, juſta locorum & temporum cuſtodiâ; ſi vero ſemina bruta parent Creatori, multò magis parere deberent ſpiritus liberè & ſenſualiter ſua tractare officia deſtinati; Et ſi non parcit errantibus illis, juſtus locorum & temporum ordinator & judex; multò minus declinare poterunt vindictam ejus ei in contrarium induſtriè quid molientes. Igitur Deum authorem habent & quietes & motus entium naturalium, & extra nos & in nobis conſpicui. Nec eſt figmentum animi humani, ſentire, quod certi morbi, vel paſſiones in animo & corpore, juſtis intervallis quieſcant & moveantur, vel fiant ſenſibiles quæ inſenſibiles fuerant prius; atque in gradibus ſenſibilitatis creſcant vel decreſcant, augeantur vel minuantur; ſed ipſius Divini exemplaris ideæ ſunt omnibus & ſingulis ſeminibus impreſſa. In primo die, vel cum primo die facta fuit lux ex tenebris, vel talis entitas quæ actu prius non exſtitit. Ens mutabile & menſurabile, conditionis ab æternitate & abyſſo omninò diſcrepantis; ſed de his prolixius philoſophabimur in Philoſophia Sacra. Lux primæ diei non deſiit eſſe lux noctu, quæ fuit lux manè vel veſperi; ſed per quatuor prima intervalla diviſa eſt facies lucis primæ in ſpecies quatuor, quæ terminarunt motum primum, revolutionis ſenſibilis, & poſuerunt fundamentum diei ſecundæ, ita ut ex quatuor primis natæ fuerint octo in die ſuccedente ſpecies à primis quatuor diſcrepantes ſi non tempore omnes attamen locis motus diviſi: Tales entium exiſtentiæ, vel coexſentiarum modi & menſuræ multiplicabantur quotidie, usq; ad humani corporis ſtructuram, quam Dominus impreſſione imaginis Divinæ dignam judicans, pro colophone omnium inferiorum mutationum aſcendentium conſtituit; Nihilque naſci poteſt in mundi hujus ſenſibilis magis heterogenei, concupiſcentiis, ſilentiis, virtutibus magis variantis quam humani corporis fabrica; Sed quæ ſemina infernè aſcendentia hominem contingunt,

gunt; illic quiescere debent, & motus suos deorsum facere, si moventur in nobis, nam altius ascendere nequeunt. Solus humanus spiritus quia de Cœlo originem traxit, post finita vitæ hujus munia ad Cœlum ascendendi privilegium habet, rationem redditurus hic actorum Judici æterno. Prima itaque hebdomas mundi hujus jecit fundamenta septenarii, horarii, diurni, hebdomadalis, menstrui & annalis. Prima dies distincta fuit per intervalla quatuor, eaque æqualia, nec longius duravit motus matutinus quàm vespertinus, vel diurnus quàm nocturnus, sed primi occasus, fuit initium ortus succedentis; ita ut ex discrepantia fluxus refluxusque principiorum, traxerint originem diei noctisque differentiæ. Hinc originem trahunt & hodie discrimina anni quatuor; ætatesque & vitæ humanæ & morborum, motusque & quietes entium sensibilium, omnium specierum. Si Medici adeò accuratè observarent motus seminum inferiorum, sicuti computant motus astrorum cœlestium Astrologi; æquè deprehenderent justos ortus & occasus morborum chronicorum Medici, ac illi conjunctionum & oppositionum astralium. Nisi invicem cohærerent futura cum præteritis, tum nullum est præsens, vel præsentis à præterito & futuro discrepantia; nec possent numerari plura simul, sed singula separatim recenseri oporteret. Sed momenta momentis addita horam; horæ horis, diem; dies diebus, septimanas; septimanæ septimanis, menses; Menses mensibus annos; Anni annis, climactericos; Climacterici climactericis, jubilæos constituunt: uti liquet ex traditionibus Moysis. Tali sedulitate observant septimanas mensium, horarum, annorum Maji, in conficiendis suis operibus artificialibus; quæ vulgus vel miratur, vel metuit.

SECTIO

SECTIO IX.

NOn est mihi animus, Amice Lector, hic omnem Philosophandi rationem de annis climactericis, vel efficaciam septimi cujusque in successivo motu ordinis prosequi; quia id pro dignitate efficere non possem etsi vellem; Imo si possem, ad præsens propositum nostrum parum aut nihil conduceret; hic enim non nisi de seminariis morbificis, eorumque in nobis intervallatis motibus & quietibus dicere constitui; ut vindicarem Medicorum a prophanatione, & redimerem Artem non nisi Principibus dignam, à vulgi contemptu, à prostibulis circumforaneorum, & abusu medicastrorum temerariorum, qui omnia audent sine ratione, experientiam jactantes, cum maximo ægrorum & damno & periculo. Non hic examinabo annos climactericos, & mutationes animorum quæ in annos illos incidere solent; sed morbos saltem, eorumque ortus & occasus, qui communiter in septenario menstruo & annali in apricum prodeunt, sensibiles passiones in sensu patientis excitantes. Qui me audire vult audiat; qui non vult meliora demonstret; id saltem est quod intendo, nempe invitare & irritare animos me generosiores ad scrutandum mysteria, & publicandum scita vel inventa. Non possunt numerari locis vel temporibus quæ insensibilia sunt, sed quæ mensuramus vel numeramus, aut aliis proponere judicanda volumus, ea primum publicari & communi sensui exponi debent; Qui vero insensibilia prævidet, (in sensibilibus tamen latentia matricibus, vel in membris sui corporis aut alterius;) citius quam fiant sensibilia ille solus præcavere potest morbos, vel ab incomodo eorum præservare, & se & alios. Quæ à causis externis, vel fortuitò, vel malitiâ humana attrahuntur vel infliguntur mala alicui; de talibus casibus judicent me sagaciores; nam quod hic morte violentâ pereat, ille dives fiat ex paupere, vel pauper ex divite; hic

vel

vel oculo orbetur, vel pede; de talibus casibus judicare mihi Medico non convenit. Quod verò aliquis hodie benè valens & vegetus, post aliquod temporis intervallum febre, vel hydrope, vel calculo, vel apoplexia aut phthisi, aut alio aliquo morbo incommodari & affligi debeat, illud scire vel præscire est Medici prudentis officium; Præscire inquam, non solùm prædicere; nam multa ominantur vel minantur multi, sed nullâ suffulti ratione, aut nixi argumento; Difficile videbitur tibi, Amice Lector, nisi omninò impossibile, propositum nostrum; Impossibile tamen non est, sed difficile, ideò pulcrum & Medico dignum; sicuti solùm circa sensibilia versari turpe. Astronomus prænuntiat Eclypsin futurum in Luna vel Sole, his aut illis in locis visibilem aut invisibilèm, post annos vel decem vel plures aut pauciores, hac die vel horâ; nec fallit prognosticon ejus. Quare non posset Medicus ex certis quoque indiciis præscire & prædicere morbi subsecuturi in pede vel capite, vel integro corpore speciem & signaturas; Nam æquè in nobis sunt morborum seminaria ac in cœlo astra, atque moventur utraque motu necessariò hæc ut motuum indicia, illa ut mobilia, vel motuum subjecta. Omnia sensibilia actu quanta & qualia, habent sua quoque indicia vel prognostica, per quæ eorum futuri motus præsciri possint, citius quàm actu moveantur, vel moveri incipiant, & fieri talia qualia fiunt dum fiunt; Et quamvis indicia vel signa futurorum sensibilia quoque sint, æque ac ea futura sunt quæ adhuc à sensibus occultantur; tamen formæ indices, vel signorum, discrepant à formis signatorum; una res, per plura indicia præfiguratur, vel præsignatur; Interdum unius rei non nisi unum præcedit signum; aut si plura, æquè tamen obscura ac res ipsa, cujus signum vel signa sunt prænuntia. Flos est index fructus, sed floris gemma; interdum tamen fallit utrumque, nam non semper sequitur quod promiserunt illa. Ita & morbus quisque certis suam in corpore præsentiam prodit indiciis, vel patienti solo, vel & Medico ad cognitionem

nem imminentis plagæ conducentibus; Hæc autem iterum varia sunt, vel idealia tantum, vel sensibilia; Illa frequentius in dormiente quam vigilante se manifestant per insomnia; Hæc vero & vigilantis sæpè perturbant suis imaginibus animum, ita ut putet se aliquid extra se videre, cum tamen nihil videat, sed intrinsecis terreatur imaginibus, quasi imminentis gravioris mali sensum simul afflicturis prodromis; talia sunt epilepsiarum & apoplexiarum præsagia, quæ interdum adeò sunt vehementia, ut homo illis afflictus, non sibiipsi tantum, sed & aliis videatur mirabilis & prophetico afflatus spiritu, cum tamen revera æger sit animo, brevi autem & corpore futurus. Quædam morborum indicia, passiones quoque varias in corpore excitant, ita ut morbos eos appellare, vel symptomata patiens possit; ita cardialgiæ, dolores dorsi, spasmi, tormina ventris, vertigines, oculorum nebulæ, oscitationes & pandiculationes frequentes, aliique à solis vaporibus salinis orti affectus brevi evanescentes, & inordinatè recurrentes, non sunt revera morborum seminaria, sed illorum in corpore præsentiæ, & jam jam maturitati proximorum indicia; & quamvis ipsa quoque patientes affligant, tamen subsecuturorum graviorum malorum sunt tantum signa; nisi maturè ipsis contra veniatur, non uti vulgo fit vomitivis vel catarcticis, nam hæc ad matrices seminum morbificorum non pertingunt, sed diaphoreticis primùm, & post phlebotomiâ; ut dicemus in capite sequenti. Quædam indicia morborum non horridas vel tristes repræsentant homini idæas, nec dolore, sed voluptate superfluâ se produnt; & venereis stimulis titillant patientes, mox eos in dolorosas passiones commutatura; Ita ut nunquam tutum sit, confidere voluptati carnali subito in hominem irruenti, sed ea pro mox imminentis morbi signo certissimo est habenda frequentissimè. Imò nullus dolor in nobis, cujus voluptas non fuerit præcursor: Quoque numerosiores hæ præcesserint, & lasciviores, tantò plures & acriores sequuntur illas in sensu passiones, suis temporibus.

Impossibile enim est ut ea quæ in seminis spirituali substantia latent, uno momento, vel simul & semel, omnia fieri possint manifesta, corrueret enim mundus hic, nisi locorum & temporum leges, & secundum eas fientes seminum fluxus & refluxus, confluxus & diffluxus, præservarent eum à ruina, atque aliis accidentibus orientia substituerent. Homogenearum substantiarum, homogenea est mutatio; sed quæ heterogenea sunt vel fiunt, eorum quoque multiplex est variatio, ita ut quædam prius quædam posterius, vel fiant vel esse desinant sensibilia. Ungues, eorumque substantiæ, homogeneæ sunt, non nisi graves, sed pondus eorum discrepat quoque in consistentia, nam eâ parte qua foràs prominent duriores & sicciores sunt, quam qua sanguinem contingunt, nam hic mollis vel humidior est eorum substantia; tardusque admodum motus, vel tardior quàm excrementorum interiorum sanguinis; nam hæc vel humida sunt, ut humores ex venis ad intestina prolabentes; vel vaporosa, ut ea quæ per cor & pulmonem exspirant; horum motus interrumpi non potest absque periculo suffocationis, & periculosæ respirationis; Venarum emunctoria obstructa vel constipata suis quoque molestiis & periculis non carent; sed hæc tardius nocent quam illa. Gravium autem & ad radices unguium quiescentium fæcum, est motus & excretio tardissima, ita ut ab hinc non tàm quotidiè, vel hebdomadatim, sed vel menstruatim, vel certis annorum intervallis surgant dolores, continui vel intermittentes; Crines & pili, quoad motus tarditatem, unguibus sunt affines; & tamen celerioris motus; sic se habent quoque cornua, ungulæ, pennæ, vellera, setæ, squammæ, exuviæ cancrorum & serpentum, de quibus singulis alibi latius philosophabimur.

SECTIO X.

Omnia ſeminaria ſalinorum morborum efflorefcunt ſeptimo quoque intervallo, vel fiunt ſenſibilia; non tamen omnia primo ſed quædam non niſi ſecundo, tertio, quarto, quinto, ſexto vel ſeptimo demum, eoque vel horario, vel diurno, vel ſeptimanali, vel menſtruo, vel annali; tardior motus quisque tarditatem ſuam recompenſat ſignaturarum ſenſibilium multitudine vel vehementiâ; Non nulli morbi per ſeptem continuant horas, dies, ſeptimanas, menſes, annos, ab ortu ad occaſum; aliqui ſeptimo quoque intervallo recrudeſcunt, qui per unum vel plures ſeptenarios quieverunt. Morbi autem ſeptimo menſe, ſeptimo die, ſeptima hora, in ſeptenario annali orti valdè ſunt periculoſi & admodum dubii eventus; Qui ab externis cauſis ad motum excitàntur extra tempora ordinarii motus eorum, illi arti vel remediis facilius cedunt, quàm qui ab internis aſtris in apricum pelluntur, & ex quiete ad motum urgentur: Quare autem morborum reſolutiones in ſeptenariis menſtruis vel annalibus ſientes periculoſiores ſint patientibus, quàm extra; rationem tibi reddam, Chriſtiane Lector, ut ſcias me nulla perſuadere velle, ſed non niſi vera & certis rationibus ſuffulta docere. Omnis generatio incipit ab inſenſibili, vel à puncto tenebricoſo, & centro phyſico, in centro tamen mathematico ut ſenſibili latente; Id punctum eſt Ariſtoteli non ens, vel privatio, vel pura puta potentia, & materia prima, in reſpectu inde procedentis ſenſibilitatis; Mathematicum autem centrum ante generationem generandi ſenſibile, corrumpitur, ſive deſtruitur, phyſico ex eo in lucem erumpente; nam hoc non prodiret illo ſtante, ſive non poſſet naſci nova corporeitas niſi prioris præceſſerit deſtructio, ſive ſubita ſive ſuccedanea: In ſubita antiquæ corporeitatis deſtructione, in tenebras rapiuntur formales rationes cum materialibus; ſed

in succedanea, formales succedunt in locum se à sensu occultantium materiarum; ideò docetur in scholis generationem unius esse corruptionem alterius. Sicuti omnia extra nos fiunt, ita & in nobis, tàm quæ utilia ac quæ noxia esse dicuntur: nam quæ aliquandiu utilia fuerunt, imò & necessariæ ad vitam vitæque commoda; tandem, alia aliis ocyus vel tardius & inutilia fiunt & noxia sensim; primò animum, post sensum, ultimò & sensoria molestant, aut omnino destruunt. Ex cibo & potu in stomacho putrescentibus, putrefactione digestivâ vel fermentativâ generantur vapores, vel exhalant spiritus alimentales quoad nos, sed seminales formæ quoad alimenta, in nobis materialia exequuturi officia, vel caro & sanguis futuri; Ex carne & sanguine excrementa fiunt, vel quod fuit hodie sanguis, cras fit stercus, urina, sudor, pituita, bilis, unguis, pilus, verrucæ, callus, pus: quorum hodie pondus libræ integræ innoxium fuit, & quasi insensibile, extra omnem doloris sensum; Cras una ejus drachma, scrupulus, vel granum, nos infestat, molestat, gravata affligit, vel animum vel membrum continuò donec è corpore ejectum fuerit. Ab infantia ipsa tales in nobis fiunt mutationes omnium contentorum, ad ultimam usque senectam; nulla autem fiunt corporea vel sensibilia, quorum in animo non præfiguratæ fuissent imagines; quarum aliquæ evanidæ sunt, aliquæ durabiliores; & tamen pleræque admodum tacitè & oriuntur & occidunt, ut non animadvertamus motum eorum in fluxu, sed solum in quiete, vel quieti proximum; nisi in omnia & singula, interna & externa, attentiores fuerimus: Primæ ætatis temeraria vanitas, & idearum inconstantia; id nos observare vetat; In secunda ætate, voluptates nos jucunditate occæcant, vel præconceptæ opiniones obfascinant, & ad observandum singula ineptos reddunt. In tertia dolorum, curarum, molestiarum, laborum, occupationumq; externarũ varietates, distrahunt animos, ut omnibus observandis non sufficiant. Talia impedimenta judiciorum non saltem sunt im-

patien-

patientibus, sed & in Medicis ipsis. Attamen sicuti per famis & sitis stimulos, necessitas cibi & potus inotescit famelicis, ita variis molestiis excrementa se quoq; produnt, ita ut non minor voluptas sequatur horum justo factam excretionem, quam illorum in corp⁹ receptionem. Ubi languent cibi potusque desideria, vel dum ea extraordinariè furiunt, in proximo morbus est; ita quoque longius obstructis emunctoriorum orificiis, vel parcius profluente urinâ, fæce alvi, vel sudore, aut illis immoderatè erumpentibus periculum in proximo est, alicujus morbi, nisi jam præsens sit. Quæ externis occasionibus iisque violentioribus morborum semina à sua quiete ad motum irritantur, ea facilius ad quietem reduci possunt; quàm ea, quæ naturali impetu erumpunt, sive spontè & ab astris intrinsecis moveri incipiunt; Ita si morbus fini proximus vel levissimam occasionem nactus fuerit illius motui accommodatam citissimè vel citius ad quietem redit, & sine omni recidivæ periculo, quàm justò citius, motu ejus interrupto. Ita sæpè per mineralia remedia, vel thermas abbreviantur paroxysmi, sed periculosæ subitæ tali convalescentiæ succedunt recidivæ; uti in capite sequenti dicemus.

SECTIO XI.

FOEminei sexus inter homines proprium est, pati sanguinis singulis mensibus extraordinarias ebullitiones, atque sic ejus substantiæ, non quidem in pondere, sed in dimensione, menstrua augmenta & decrementa; tales ejus motus autem à principio ortus sui non sunt æquè sensibiles, sed justis annorum primùm post & mensium intervallis fiunt de diebus in dies manifestiores. In aliquibus puellis anno ætatis nono sensibilis fit in sanguine talis motus exordium, per certa indicia notabile; non quod erumpat sanguis statim; sed quod circa matricis emunctoria interdum, interdum in pectore & capite; interdum in solo dorso circa

situm trunci iliaci, vel in femoribus & pedibus deprehendantur incommoda, pro diversitate individuorum & seminariorum in sanguine hærentium, variantia; In quibusdam circa tempora dentitionis, & circa annum septimum in sensibilitatem eruptionem moliuntur, quamvis non erumpant, sed iterum ad quietem redeant, toties quoties moventur, citra omnis sanguineæ eruptionis sensibile indicium. Sæpè dissipantur per insensibiles transspirationes, vel unà cum ordinariis sanguinis excrementis excernuntur, per sedes & urinas; sæpe Epilepticos paroxysmos causantur, & lypothymias periculosas; sæpe per febriles circuitus dissolvuntur: aliisque millesariis signaturis jam hic jam illic per intervalla protuberantibus, & ab ægris & à Medicis occultantur, ita ut nesciant unde tales quales patientes infestant periodicè, surgant dolores, & hi, & Medici. Interdum adeò vehementes sunt tincturæ principiorum seminalium in quibusdam puellis hærentium, & singulis mensibus se prodentium, ut mirari eos oporteat, adstantesque in eam opinionem prolabantur, patientem à singulari dæmonio obsessam, vel fascino, eò miseriæ redactam esse. Quæ tamen omnia, si maturè & prudenter eis obviam eatur, ad quietem reduci, & ægri ab incommodis liberari possint. Atque, ut diximus, semina morbifica non solum membra vel sensus, sed & animos patientum turbare; id certè in hujusmodi casibus ad oculum patet; nam puellæ extraordinariis vel mineralibus seminariis scatentes, obstinati admodum, iracundi, & maligni animi sunt, ipsarum quidem singulari damno & periculo, sed non culpâ, vel vitio, verùm principiorum, vel seminalium rationum in sanguinea massa, si non semper habitantium, attamen in eam impetum facientium, ex centris suis vel physicis vel mathematicis, vehementià. A multis incommodis plurimæ, ea perpetientes, puellæ liberari possent, si Medicis doctis curandæ committerentur, sed quia decipi amat sexus ille suaviloquiis, ideò multæ valetudinariæ manent per vitam integram; plurimæ de-

diebus

diebus in dies pejus valent, donec pereant; aliæ salutem morte liberorum imprægnatæ à viris, redimunt; aliæ aliis lacessuntur incommodis, citius quàm moriantur. Inter mille fœminas vix unam reperies, quæ dextrè dijudicare sciat audita; Imò & pauci inter plures sæpè admoventur curandis puellis Medici intelligentes, sed experimentis & eloquentiâ persuadendique artibus peritissimi plurimi, ignorantiam propriam fateri nolentes, sed eam mille dolis occultare expertissimi. Non est quidem penes Medicum omnes omnium morborum prævenire insultus, vel eos enervare; etiamsi prudentissimè tractet omnia; Interdum patientis impatientia, interdum metus, paupertas, vel lucri jactura, eum delirare cogit; vel manum à cura abstrahere. Felix Medicus, qui patientem patientem & obedientem nactus fuerit; Ita quoque æger, si prudentem, honorum divitiarumque aspernantem habuerit Medicum. Interdum in utroque hæret vitium, nempe & ægro & Medico; interdum in alterutro horum; interdum in neutro, sed in solis patientum amicis; qui magis defatigant Medicum deliris suis consultationibus & ægrum, ad rem nihil facientibus remediis, indebitè præparatis, vel injustè exhibitis, quàm ipse morbus, vel morbi seminarium. Narrabo tibi exemplum unum vel alterum, ut quid velim me intelligere possis. Accersitus fui ad ægrum invisendum, periculosè spiritum ducentem, quamvis ex externis indiciis periculo omni destitutus esse apparebat: Interrogavi, quotum annum ageret? respondit, sexagesimum tertium. Hoc audito responso, pro more meo diaphoreticum anodynum præscripsi, & discessi. Secundo die, non pejus quidem quoad extrinsecum statum habere ægrum audivi & vidi; sed interna multò periculosiora evasisse comperi; ideò nullum ultra remedium præscribere volui, metuens ne mihi imputaretur quod eventurum prævidebam; Uxorem saltem ægri præmonere volui de imminente morte mariti, eam amicè affatus, si quæ essent quæ cum eo communicare vellet vivo, ut id age-

re

refestinaret, cum enim illam diem vix supervicturum; Hæc mea impatienti animo excepit uxor, se mortem mariti satis maturè audituram, respondens, talem me nuntium non expetere; discessi ego; Vocatus alter, aliter de ægri statu judicavit, adhibito juramento, ægrum ex eo morbo convaliturum affirmavit, sed æger eà ipsà vesperà exspiravit; quis nostrum veriora loquutus fuisset attestatus. Vocatus iterum ad aliam, puellam sex septimanarum, gravibus & continuis epilepticis convulsionibus afflictam, porrexi quæ ei tunc conducere judicavi. Remiserunt quidem paroxysmi; sed nutrici curiosius de futuro puellæ statu instinctu parentum sciscitanti, respondi, eam longævam non futuram, imò annum septimum non supervicturam, sed vel epilepsià vel hydrope enecatam iri. Male acceptum fuit à parentibus responsum id, per nutricem ipsis relatum, à me tamen eo fine nutrici non datum; quæ de suo adjecit plura; Sed tandem me vera loquutum fuisse, demonstravit eventus, nam puella septimo septenario menstruo, per totam vitam hydropicis affectibus afflicta, epilepticis convulsionibus exanimata fuit. Ecce quàm periculosum est hodie Bonum, Sapientia in Medico, ita ut eum exosum reddat apud fatuas fœminas. Qui itaque harum ambit favorem, non est cur de Sapientia sit sollicitus, suaviloquia eum reddent ubique acceptiorem.

SECTIO XII.

Quia autem non omnes atomi seminum morbificorum simul & semel resolvuntur, sicuti in pulvere pyrio id fieri videmus, qui totus in vaporem abit subitò, unico saltem corporeitatis ejus atomo dissoluto; sed plurimæ radices atomum atomo, granum grano submittunt succedaneo motu, ad ultimi usque resolutionem; quædam verò, aliquot dissolutis, quiescunt; & reliquorum dissolutionem interdum differunt, vel spontè propriâ;

pria, vel à remediis id agere coactæ, ad horas, dies, ſeptimanas, menſes & annos plures; Barbatus natus infans maſculus, inter monſtra recenſetur; Imberbis vir, degener eſt à ſexu ſuo; Sic puella ſeptennis menſtruorum fluxum patiens, in Europa raro eſt viſa; illi ſimilis eſt anus ſexagenaria, ſi conſuetudinem muliebris ſexus menſtruam patiatur. Sed mediæ ætatis virago multis infeſtatur incommodis, in qua ſanguis officium menſtruum relinquit, aut intermittit ordinarium. Multa quidem extant exempla extraordinariorum caſuum in utroque ſexu, ſed valdè rara; conſuetudini potius imputanda, quàm naturæ ſeminalis errori; Puella octoennis in Myſnia à novenni juvene imprægnata puellam enixa eſt juſto partus tempore; Conjunx cujusdam præcipui viri annos nata 21. ſeptem liberorum mater fuit, anno ætatis tredecimo primum enixa. Si autem in talibus naturæ operibus multa fiunt præter ordinem; multò plures ſtupendi & miraculoſi caſus contingunt in morbificorum ſeminum fructificatione, vel nobis, vel antiquis incogniti, omnes tamen à naturalibus cauſati principiis. Quædam ſemina ita ordinatè procedunt, ut ea ratione intrinſecâ regi dixeris; quædam verò ad quamlibet externam occaſionem etiam leviſſimam ſe mutari patiuntur; talium fructus ſunt communiter appellatæ, **lauffende Gicht / oder fliegende Hitze.** Sicuti & puſtulæ, quæ ſubitò erumpunt & ſubitò evaneſcunt, quaſi ab urticis inflictæ fuiſſent alicui. Et quamvis tales affectus in catalogo morborum recenſeantur, propriè tamen morbi non ſunt, ſed morborum indicia; Hydropiſium imminentium præcurſores, non tam citò diſſipantur, quàm citò innoteſcunt patientibus. In humanæ ſpeciei individuis omnium mundi ſenſibilis & inſenſibilis creaturarum deprehenduntur proprietates expreſſæ, & tincturæ, nullaque eſt extra nos concupiſcentia animalis, nulla ſenſualis cognitio, nulla ſenſibilis virtus, cujus ſimilem inter homines reperire non poſſis, ſi ſtudioſè quæſiveris. Quod igitur individuum in modo concupiſcendi,

cognoscendi & operandi inter nos homines ad equinam, caninam, vulpinam, serpentinam, vegetabilem vel mineralem propius accedit naturam, quare id cum illius animalis proprietatibus conspirare, pronuntiare non ausimus? Ex superiori familia in inferiorem nihil labitur hujus destructivi; sed quæcunque talia sunt in hujus vel illius speciei individuo, ea in id infernè ascenderunt; Sanguis, quamvis non continuo erumpat, tamen in continuo est motu, ita ut eum perpetuum mobile appellare possis; Dum verò per ebulltionem extrinsecam, vel per æstum internum, & alia sui motus sensibilia indicia innotescat vel ægris vel Medicis; sicuti Lunæ motus ex lumine ejus oriente vel occidente sensibiliter, melius animadverti potest, quàm sub sole occultata; ita quoque motus sanguinis, quamvis priori æqualis quoad pondus, tamen quia salsior fit interdum vel acrior per intervalla, ideò quoque sensui fortius imprimitur sub ea specie, quàm suo pondere vel calore. E. g. Si gustaveris aquam mediocriter calentem, vel tepentem & insipidam, illa non adeò feriet linguam sicuti fervida vel gelida, & acida aut amara; pondus enim aggravatur æstu, & æstus sapore; sicuti extra nos, ita & in nobis. Vapor, sapore omni, colore & odore destitutus, minus est sensibilis, quàm qui coloratus est, sapidus & odoriferus; Quo plures tincturæ materiales alicubi adsunt, illæ corporeitates magis sunt corporeæ, quam aliæ, vel non nisi uno sensu mensurabiles, quæ autem sunt colorata, odorifera & acria, illa etiam pondere destituta sensus afficiunt. Ad causam febrilis, epileptici, apoplectici, aliorumque affectuum subtiliorum & acutorum causam investigandam, parum aut nihil conferre potest anatomia, vel artificialis corporis humani dissectio; vel quare sanguis in venis & arteriis moveatur, quare ebulliat, caleat vel frigeat per vices magis vel minus, vel quare puellæ ætatis provectioris menstruos fluxus patiantur, non autem juniores aut vetulæ? vel quare masculi à talis fluxus incommodo sint liberiores? vel quare Fe-

re febris sit quotidiana, tertiana, quartana? hi, & hujusmodi affectus sensui in causis suis latentes, demonstrari nequeunt, ratione hic opus est & judicio, eoque virili & maturo, libero & à præconceptis opinionibus immuni. De sanguinis menstrui malignitate, quâ & patientes lædit, & omnia quæque contingit, mirati vidimus & legimus narrari aut scribi; sed quod vera sint, quis est qui affirmare ausit; quod semel in anno unum malignitatis exemplum deprehendatur; id ad rem nihil facit; nam quia semel, alicubi, aliquis fœtus surdus, cæcus & mutus nascatur ex una muliere; inde non sequitur omnes ex omnibus tales natos iri, vel ex eadem matre. Nam sunt puellæ & anus, quæ sæpe obstructiones mensium patiuntur, sed sine omni incommodo; aliæ in quibus menstrua ordinariò fluunt, tamen sunt valetudinariæ, & magis dolent in ipsius fluxus tempore, quàm extra; sed si menstruum adeò malignæ virtutis esset, uti communiter de eo docetur, certè se occultare omninò semper non posset. Interdum imaginatio patientis ipsi pernitiosior est, quam menstruum, atque hoc ab illa sæpè pessundatur, non autem illa semper ab hoc. Hoc tamen certum est, quod ea, quæ septimo anno in sanguine in apricum prodeunt, sive in mare, sive in fœmina, vel ipsis patientibus, vel etiam aliis sint periculosiora.

SECTIO XIII.

NUmeri nulla est vis, nulla efficacia, quia mensura est sterilis; sed numeratorum est alia ratio; Nec etiam omnium eadem, si singula seorsim examinentur; sed in ordine successionis vel fluxus, magna est discrepantia omnium, nam media ab extremis, si non omninò diffident, attamen valdè; ita prima ab ultimis; primus dies septimanæ mundi hujus à septimo non saltem numero discrepabat, sed & aliis formis; quamvis ob quatuor diei intervalla primus septimo, & septimus primo fuisset

parallelus. Nam fuit mane & vespera septimæ & primæ diei, luxque & tenebræ unius nominis & formæ; sed ultimus primum excelluit numero formarum lucidarum, ita primus ultimum tenebricosarum. Ita in revolutione cujusque diei mane & vespera quoad formas sensibiles conveniunt, sed motu differunt, nam vespera ad quietem ducit mobilia, sed mane ad motum quiescentia: Sic primus & ultimus cujuslibet anni mensis maximè sunt affines, ita sextus & septimus, quoad tempora quietis & motus sensibilia; sed quoad mobilia differunt; nam quæ à principio septimi mensis ad quietem revertebantur, ea in primis diebus mensis primi ad motus novos redeunt, præteritis similes & dissimiles. Ad mare omnes rivi tendunt, atque suas aquas in mare mergunt; mare autem omnes absorbet, nullas iterum sub tali forma, sub quali eas recepit, egredi permittit; sed in cænum, limum, arenas, conchas, saxa, lapides permutat; ex durissimis petris, vel saxis solidissimis scaturiunt fontes; vel petræ & saxa, mineralia & metalla, in vapores & humores abeunt ab una parte, sicuti ab altera humores & vapores siccam, immobilem & solidam acquirunt corporeitatem; Ita quoque vita corporis hujus, ejusque officia divisa sunt; non fuimus quod sumus, antequam homines diceremur; nec manebimus quod sumus ad adspectum modernum, & mensuras mundi hujus; sed fiemus quod non fuimus hic ab hinc, sive post mortem corporis hujus; attamen manebimus & illic, quod fuimus hic, sed aliæ futuræ sunt mensuræ vitæ nostræ abhinc quam præsentis; sed hæc latius in Philosophia sacra. Omnia principia morbifica in nobis, fuerunt & sunt ejusdem virtutis vel proprietatis extra nos, quales in nobis habent; sed nesciebamus nos eorum malignitatem vel vehementiam, nisi in nobis super nos dominandi acquisivissent vel habuissent licentiam; ideò sine metu & pud re, sine dolore & anxietate fuit vita primi hominis, quamvis nobis per omnia simillimi, exceptis nos & cum post infestantibus incommodis,

quæ

quæ in eum non ex necessitate ordinationis, sed ultraneæ concupiscentiæ stimulis derivata sunt. Effrænis concupiscentia solvit vincula spirituum infernalium, ut inter nos, imò & super nos, tumultuari possint, quod sine nobis facere nunquam potuissent; sicuti in hoc ordine. E. g. 1239. Unitas non est minima sed maxima, quamvis quoad numeri formalitatem minima sit; sed in hoc 9781. minima est, quamvis quoad formam extrinsecam ab unitate prioris ordinis, nihil dissideat. Ita dies septimus à sex præcedentibus & ordine discrepabat, & sensibilium formarum differentiis, attamen excelluit priores & ob quietem Creatoris, quamvis ab ei succedente octavo, vel octavus à sexto parum aut nihil discrepasset. Ita quoque discrepant hodie, & extra nos & in nobis, omnia propter mutationem terminorum motus & quietis principiorum ex tenebris in lucem ascendentium, vel hinc ad tenebras redeuntium. Quod verò vel plura & vehementiora ex tenebris erumpant, vel ad tenebras revertantur, vel moveri vel quiescere in nobis pergant, quàm factum fuisset ex naturali eorum impetu; ad id externæ faciunt occasiones, vel nostra propria lascivia. Non nobis nocerent, aut nocere possent, virtutes mundi hujus, nisi nobis imperassent vel dominarentur in nobis spirituales astutiæ & improbitates, vel nos ipsorum imperio & dominio gauderemus; sed si reluctaremur nos illis secundum requisitum Creatoris ejusque ordinationem, tantùm conducerent ad beatitudinem nostram mundi hujus virtutum abundantia, quantum jam facit ad miseriam nostra spontanea servitus, ipsorumque violentia.

SECTIO XIV.

SEd objiciet aliquis, non solum libidinosos, sceleratos, iracundos, otiosos, voraces ægrotare, sed & infantes, qui voluptatem cum dolore, vel bonum à malo dijudicare nesciunt, imò & sanctissi-

ctissimos quosque, qui non nisi ad mitigandam famem & sitim edunt bibuntque; omnemque voluptatem carnis fugiunt & abominantur; ita ut nisi fataliter in eos irruerent morbi, ob ipsorum spontaneam prævaricationem nec mori eos, imò ne dolere aut timere oporteret. Ita est, amice Lector, quod super nos omnes æqualiter dominentur inferi, vel spiritus mundi hujus dominia & potestates. Minus tamen horribiles sunt, infantibus morbi quàm adultis; magis infesti & periculosiores sceleratis quàm sanctis; sæpius denique infestantur à dæmoniis carnales quàm spirituales; nam hi à fame nec siti, nisi immodicâ, affliguntur, quia esu & potu non nisi ob necessitatem utuntur, non autem ob voluptatem; Id tamen verum est, quod pietas & ad præsentis vitæ beatitudinem multùm faciat; sed maximè ad futuræ; Ita & effrænis concupiscentia multò plura ex tenebris in lucem trahit, quàm ascendissent sponte propriâ; diuturnosque morbos causatur ex brevioribus, & continuos ex remittentibus, acutosque reddit ex obtusioribus. Nemini hæc melius cognita sunt quàm illi qui utriusque status & carnalis & spiritualis est expertus differentiam. Meticulosi & impatientes sub utroque magis dolent; audaces autem & fortes animo minus. Interdum metus solvit, quæ sub quiete custodivisset longius audax mens. Epileptici moderata venus non nocet, sed effrænis, & omninò vetita, utraque est periculosa; Ita vita solutior, cibi potusque usus largior, & à frequentibus & à vehementibus paroxysmis præservat; Tristitia & ira, sicuti & immoderatius gaudium, nunquam tutum. Ita lascivientes puellæ, & otiosam vitam viventes, frequentioribus & gravioribus obstructionibus sunt obnoxiæ, quàm quæ negotiis & laboribus quotidianis, à lascivia & otio avocantur. Ideò deambulationes frequentes, & exercitia corporis, choreæ & saltationes suis commoditatibus non destituuntur, absente aliis ad venereas imaginationes irritamentis. Cognitâ arbore, audacter pronuntiare possum eam hos vel illos fructus producturam

suo

ſuo tempore; ceraſum ceraſa, pomum poma, pyrum pyra; ſed an magna vel parva, acida vel auſtera, multa vel pauca ſint futura? illud ex arboreis ſignaturis, ex quibus ſpecies ejus ab alia dignoſcitur, prævideri nequit: ſæpè enim parva arbor plures fert fructus quàm magna; nunquam tamen ceraſus poma, vel pomus ceraſa. Ita quoque prudens Medicus ex hujus vel illius perſonæ vel animi affectibus, vel corporis ſignaturis, inſomniis, aliisque indiciis, de futuro ejus morbo, morbi ſpecie; vel gradibus, ſua poteſt inſtituere judicia; an febre, vel hydrope, vel epilepſia, vel apoplexiâ, vel phthiſi, diuturniori, vel breviori morbo ſit conflicturus aliquo ſeptenario; de eventu autem morbi judicare profundius eſt quàm ut prævideri poſſit ex ejus ad huc occulti indiciis. Sæpe valetudinarius infans poſt primum ſeptenarium annalem, usque ad vitæ finem ab omni inſultu morboſo liber eſt; aliquis ſingulis ſeptenariis annalibus decumbit, interea ſanus; aliquis ſingulis ſeptenariis menſtruis, recidivas patitur; alius in novi- vel pleniluno periclitatur magis: Convaleſcit tamen omninò annali ſeptenario; alius in primo vel ſecundo ſeptenario, toto præcedenti tempore benè valens, exanimatur ſubitò: Harum mutationum varietatem, cauſas morborum cœcas, vel Divinas, nominaverunt antiqui; easque ab aſtris eorumque influentiis derivare docuerunt; unde dierum decretoriorum & Criticorum ſurrexerunt cuſtodiæ, ita ut certa anni tempora periculoſa admodùm judicata ſint, quibus & medicamenta ægris propinare noxium docebatur, priusquã decem aut plures dies tranſierint; uti id de ſolſtitiis æſtivis & hybernis, ſicuti & de æquinoctiis vernalibus & autumnalibus docuit Galenus; Sed nos relinquimus cuique authori ſententiam ejus; nec fidem exigimus à Lectore, ſed liberum ei judicium relinquimus in omnibus, & in illis, quæcunque ſingulari experientiâ, & firmis rationibus à nobis ſufficienter munita eſſe exiſtimamus.

SECTIO

SECTIO XV.

Quia autem semina morbifica omnes & singuli in nobis circumferimus, ideo ad prognosin Medicam non indigemus cognitione astrorum influentiæ, situs, vel dispositionis Cœlestis, qualem inculcant Astrologi, de hominis statu externo prognosticari. Sed sufficiat nobis examen seminum vegetabilium, animalium, mineralium, & metallicarum corporeitatum, sive rerum earum quibus nutrimur, & ex quibus nascuntur mediatè vel immediatè alimenta nostra: scilicet concupiscentiarum animalium, & terrestrium virtutum anatome; & quo ordine omnia nobis alligata sunt nosque rebus omnibus extra nos; His enim cognitis, sufficienter instructi erimus ad morbos omnes & præcavendos & abigendos, quicunque humanæ sapientiæ subsunt. Mortem evitare nec sapientissimi possunt; sed morbos vel declinare plures, vel mitigare, qui vehementes & intolerabiles fuissent futuri citra artis beneficium; opus est & fructus Medicinæ. Nec ideò inutilis videri debet alicui Medicinæ praxis, si mortem arcere nesciat; nam sunt morbi multi ipsà morte crudeliores ita ut non nunquam mori mallent quàm sæpius à morbis affligi multi patientium. Astronomia homini multa prædicit futura, non bona tantùm sed & mala; nulla autem adversum hæc consulit remedia; Sed Medicina adversum prævisos morbos, quærit, & invenire docet pharmaca varia, ita ut vel omninò nocere non possint, vel minus noceant quos evitare nequimus; ideò hoc in passu, hujus est cognitio utilior homini quàm illius. Humanus animus est circa omnia futura, sive ejus statum externum concernant honores, opes, fortunam; sive internum, valde curiosus, imo magis curat futura, quam præsentia, meliora aut pejora sperando vel metuendo præsentibus, & præteritis. Sunt multi qui aliquandiu cum gravibus conflictantur morbis de eventu dubi-

[illegible]

hos itaque liberare poterit à metu Medicus, non quidem mortis, sed diuturnitatis morbi, conſcius principiorum morbificorum naturalis motus, temporum & locorum. Primus ſenſibilitatis gradus, non ſurgit immediatè ex puncto inſenſibilitatis tenebricoſo, ſed idealiter repræſentatur intus animo citius quàm in ſenſu paſſionem efficiat omne generatum: Quod timet impius evenet ei; dicit Hiob; ita & quod ſperat juſtus aſſequitur tandem; Metus autem ſurgit ex triſti imagine futuri in animo concepta; Ita gaudium vel ſpes ex imagine naſcitur in animo obverſante & ei repræſentante felicioris præſenti ſtatus conditionem; Ita ut ex ſpe & metu fortiori, imaginatione triſtiori vel jucūdiori, ſive vigilantem ſive dormientem exercente; ex concupiſcentiaque & virtute aliqua extraordinariâ intus in nobis exaltata, judicare poſſimus de futuris & morbis & caſibus, certiori certitudine quàm Aſtrologi ex Cœli diſpoſitione; Quorum morborum ſeminaria ſaltem in ventriculo hærent vel inteſtinis majoribus, extra venas, arterias, & ſanguinem; illi ſunt continui, ut plurimùm, & primo paroxyſmo terminantur, quamvis ſuis vaporibus caput quoque moleſtent; quorum verò radices ſpiritibus ſunt viciniores, in venis, arteriis, nervis, vel vaſis ſpermaticis hærentes; illi plures admittunt corporeitatum ſuarum reſolutiones, easque per intervalla remittentes & ſucceſſive recrudeſcentes, pro diverſitate tincturarum radicalium, rariores vel frequentiores; atque in talium motu tempora invaleſcentiæ eorum ſive decrementi & augmenti, poſteriora ex prioribus præſciri poſſunt, non quidem ab omni, ſed ſolum à prudentioribus Medicis; nam quamvis nos noſtra extrinſeca tractemus pro arbitrio intrinſeca autem corporis noſtri contenta, non niſi fataliter moventur, & ipſa, & nos movent.

SECTIO XVI.

HOc solum unicum est effugium commune Astronomis & Medicis, quos agnoscere nolunt errores, Divinæ imputare providentiæ temerarii; quam temeritatem evitare potuissent, si rerum causas, earumque motus & quietis tempora locosque, sedulius & accuratius examinassent, quàm decretoriam de eorum eventu formassent sententiam. Medici quidem tuto excusare possunt suas prognoses, Divinis impedimentis, nam sentimus ab internis causis & voluptates & dolores causari nostros, sed Astronomi, cœlestes influentias ad morborum vel sanitatum in nobis varietates, concurrere idque causativè, uti asserunt, irrefutabilibus rationibus probare tenentur primum; nam de illis scriptura tacet. Quod Deus regat astra id est extra controversiam; sed quod astra regant mundum inferiorem; id vacillat; nam, uti docet Moyses, exceptis animalibus, omnia extiterunt citius quam astra fuissent; suis tamen signaturis, formis, tincturis, locis, virtutibus, motu, quiete, speciebus, numeris, gradibus, & temporibus distincta. Dei regimen nullam externorum habet rationem, sed sine his quando, ubi, quæ, quoties vult exequitur decreta sua, mundo mirabilia, & mensuras omnes humanæ sapientiæ cognitas excellētia: Nam quæ per Angelos moventur, ea naturalium causarum legibus non subsunt. Angeli autem non semper naturalibus causis ut instrumentis utuntur, sed sæpe sine his sua officia immediatè determinant, quamvis interdum & naturales suis adhibeant. Digitum Dei agnoverunt sapientes Ægyptii in operibus Moysis, quamvis per naturales artes ipsius imitati fuissent multa; sed hæc latius in Philosophia Sacra operosius demonstrabimus. Deus non vult homines nos tantùm à naturalibus dependere principiis, & Divinorum mysteriorum esse ignaros; ideo nos regnum cœlorum affectare jubet, quamvis in-

terea naturalibus occupari permittat, ad tendandum nos an Divina vel naturalia procliviores esse amemus. Nec natura nos semper infantes esse permittit, sed ad altiora nostros erigit animos, quamvis pueros puerilia tractare relinquat; Solvamus itaque debita & Deo & Naturæ; Sitim vel famem non excitat in nobis Deus, sed Natura; sed Divinorum amorem, non hæc sed Deus; Nemo amat eum quem metuit; sed Dei Majestas, Naturæ est formidabilis; igitur nec nos amare Deum possumus, quousque naturalibus vincti fuerimus, vel cupiditatibus, vel scientiis; Affectantes autem Divina, à terrestribus dissolvi studemus, citius ex voto, illorum communione frui nequientes quàm ab his relaxati fuerimus. Omnia carnalia animalia, & naturalia in nobis, in nos inferne derivantur; Sed spiritualia cœlitus, non tamen ab astris. Sed spiritibus Divinis in nos delabuntur; Ideo nihil habemus quod non vel hinc vel illinc accepissemus: Iterum cuique datori suum reddituri in die mortis; sed in die judicii æterni, rationem reddituri Deo de hic male partis, vel sceleste administratis à Deo fidei nostræ commissis. Corpus hoc animale, præsentis nostræ commorationis tugurium, ex terra traxit originem primum, & trahit quotidie; sed humanus spiritus non fuit de terra, nec terrestrium legum soboles vel servus; sed à Creatore omnium constitutus imperator & dominus, ideò terrestria dominia, principatus, imperia, potestates, concupiscentiæ, virtutes, sapientiæ nostro parere & subesse debebant, imò adhuc eò redigi debent Divinæ legis authoritate; sed animales leges, vel concupiscentiæ, nobis eripuerunt per dolum, quàm per vim requirerunt dominandi prærogativam; atque iniquam hanc super nos dominandi potentiam semel dolo acquisitam, per vim continuant, suisque astutiis violentias permiscent ut eas nobis legitimè imperare & dominari existimemus, & eis ac legitimis dominiis servire amemus, quousq; nos mutare animos non doceat & irritet Divina sapientia. Et artes illæ quas sub Divinis titulis in hu-

 manis

manis scholis discimus & docemus, intricatæ sunt astutiis & improbitatibus spirituum mundanorum, hujus seculi principum, fallunt, decipiuntque nos ipsis facile credulos. Igitur nemo nostrum, maturitatem ætatis & judicii assequutus, confidat doctrinis in juventute sub titulis sacris haustis, quasi omni fallaciâ destitutis; sed omnia scita sua ad regulam Divinæ sapientiæ examinet, ut discrimen facere possit inter ea quæ à Deo, & quæ à Natura proprie nobis instillantur. Patrarunt olim miracula & Prophetæ, vel à Deo edocti Sapientes; & Chaldæorum, Ægyptiorumque Sacerdotes, Principes, Magi; sed non à Deo, à solis dæmoniis instructi; Sic quoque res nostras quotidianas administrant Christiani, alii à gentibus gentilibus doctrinis instructi; alii à Deo Divinis; atque sic nos Christiani non omnes Christianas sequimur regulas & doctrinas, Christo ejusque Spiritui consonas, sed gentiles plurimi, atque antiChristianas, & sub titulo Christi, antichristianè vivimus, aliosque vivere docemus: de nobis hic tantum loquor Medicis; vel pro me solo, ego enim ipse pro me sum rationem redditurus in die judicii meorum dictorum, scriptorum, factorum; non autem pro me alius. Si quæ dubia nobis occurrunt in Praxi nostra? quare non confugimus ad scripta Prophetica, sed potius ad gentilium authoritates? si non turpe est imitari gentes, multò laudabilius ageremus si ad Prophetas appellaremus in dubiis; scimus enim & hos celebres fuisse ob morborum curationem, & dæmoniorum ex obsessis pulsionem. Quare impossibile judicamus nobis facere, quæ fecerunt illi, si unius ejusdemque sicuti nominis, professionis & confessionis, ita & animi & spiritus cum illis consortes sumus. Ne nos fallat dæmon ultrà, sicuti fefellit hucusque; Christi enim membra sumus, si sumus, non divulsi ab eo per heterogenei spiritus familiaritatem, nisi nosmet ipsos divulserimus; magis proclivi in naturales artes quam Divinas, gentiles quàm Christianas. Si Christus est Deus sequamur Christum; Si Natura, Naturam;

pende-

pendere in utrumq; latus turpe est,&Christiano titulo indignum. Si credideritis, inquit Doctor noster Christus, nihil impossibile vobiserit; Nulli autẽ spiritui credere debem⁹ præter Divino. Sed nos, etiamsi omnia scripta antiquorum & Prophetarum & Medicorum ad unguem teneamus, in carnem & sanguinem nostrum quasi conversa,vix unicum dæmonium idque monasticum ex obsessis abigere poterimus, multò minus aliquod septenarium vel legionarium. Piscatores autem à Christo non nisi per triennium eruditi, claudum ab utero matris, solo verbo, sanitati restituerunt; Nos autem theoriam illam, vilem admodùm judicamus, sed gentilem ei præferimus; quamvis illa multò doctiores & Deo acceptiores nos reddere posset, ægrisque utiliores, quàm hæc.

SECTIO XVII.

Nullus est defectus certè in scripturis Propheticis alicujus Sapientiæ, ob quem eas vel negligere, vel despicere justè possimus, omnes nos qui dæmonia pellere, sive morbos curare, atque illis artibus victum in terris lucrari contendimus. Sed abundè descripserunt hæc nobis Prophetæ omnia. Sapientia humana Divinæ comparari nequit in certitudine cognitionis causarum; rerum earum quas nos ad usus nostros quotidianos adhibemus, ut utiles & necessarias. Moyses, Salomon, Elias, Elisæus, Daniel, alii denique plures ex humano semine humanitùs nati, magnam habuerunt rerum non saltem cœlestium, sed & terrestrium notitiam, quam tamen non ab hominibus, vel per homines, sed à Deo per revelationem,aut tacitum influxum acquisiverunt; Quodque sciverunt ipsi; id cum discipulis suis fideliter & sine dolo communicarunt,quamvis ad nos,posterorum vel incuriâ, vel industriâ, mutilata devoluta essent scripta eorum, vel omninò erroribus & opinionibus ethnicis conspurcata & intrica-

ta. An non, inquit Sapiens, quod eum Artifex omnium docuerit sapientiam, scientiam constitutionum mundi, & virtutum elementalium; principium, finem, mediumq; temporum, solstitiorum, & tempestatum varietates, anni circuitus, & stellarum situs; Naturas animantium, & animos bestiarum; spirituum vires, & cogitationes hominum; differentias plantarum, & radicum facultates. Imò quæcunque sunt manifesta & occulta, scieverunt antiqui Sapientes, non illi, qui inter gentes olim vixerunt, sed & ipsi Patriarchæ, & Prophetæ. An non eundem ingressum in hanc vitam, & inde egressum, & bestiis & hominibus communem, sive vitam hanc quoad naturalia, docuit & docet adhuc Ecclesiastes? Quid autem est, quod in Medico requirat, ejus tituli & officii dignitas, scitu necessarium, præter illa? Quod si autem sufficienter à Sanctis illis, & à Deo edoctis Doctoribus instrui possit Medicus ad serviendum ægris; quare nos neglectis illis ad scholas gentilium nos conferamus, ab illis hauriunt non vera, sed probabilia saltem aut veris similia, attamen vel dubia vel omninò falsa? Labore & vigiliis sapientiæ humanæ doctrinas vix acquirim⁹, nisi ingenii nostri indoles ad eas capiendas sit idonea; Sed Divinæ Sapientiæ mysteria, & rudes piscatores discere possunt, naturalibus sublimiora; idque gratis & minori labore, sumptu, molestiisque quàm naturales discuntur artes. Nam Divina sine nostro labore se insinuant nobis, si saltem à naturalibus concupiscentiis, scientiis, virtutibus eorumque imperimentis, dominiis & imperiis nos immunes reddere studuerimus. Si quis quærit informari de proprietatibus internis & externis corporis hujus, ejusque virtutum? An non id assequi potest per scrutinium scriptorum Mosaicorum, in quibus ordine, quo primum ex tenebris fluxerunt in lucem, & quotidie inde surgunt, & in tenebras revertuntur; recensentur omnia? Omnia quæ hominem præcesserunt in primo generationis septenario, eodem ordine & illâ methodo nascuntur & denascuntur quotidie; & sic h-

bi succedunt uti dies mane, vespera diei, nox vesperæ, noctique dies: Quæris morborum, timorum, anxietatum, dolorum, pudorum, voluptatum origines? Nullibi hæc clarius, doctius, verius, descripta reperies, quam in Prophetarum scriptis, non ita quidem obscura, quam ad prophanationis præcautionem mysticis verbis obvoluta: quas tamen suis ænigmatibus solvere docet & juvat eorum Doctor Sapientia. Quæris in diæteticis clarus fieri, vel ægris prodesse? Certè & clarissimos hujus mundi Sapientes excelles, si saltem regulas diæteticas ex scriptis propheticis promere sciveris: Quis Philosophorum vel Physicorum melius cognoscit naturalium causarum virtutes, vel animalium, herbarum, radicum, carnium, sanguinum, medullarum, florum, fructuum, saporum, odorum, colorum, ponderum, calorum, frigorum, siccitatum, humiditatum facultates; quàm ille qui creavit, ordinavit justo tempore, numero & locis, atque invicem sibi subordinavit omnia, virtutesque quas habent singula, omnibus implantavit. An Moyses non tradidit Leges diætæ Judæis, ex præscripto Dei; Non secundùm opiniones hominum, sed Sapientiæ Divinæ fundatas, ejus quoque arte & informatione ab involucris suis evolvendas à sapientiæ Divinæ studiosis. Ex his fontibus, sed variis diabolicis fraudibus & imposturis falsificatis, hauserunt gentiles sapientiam suam, quam habuerunt, & suos docuerunt discipulos; non enim omnes animi capaces sunt Divinarum doctrinarum, nec etiam qui eas puras receperunt, tales quoque cum aliis communicant, sed plerique aliquid eis de suo addunt, atque sic Divina humanis intricant & implicant, ut tandem hæc illis æquivalere videantur, vel humana divinis in scholis humanis, ut captu faciliora, prærogent. Exstant passim in scripturis leges diætam humanam concernentes, singulis statibus vel ordinibus hominum convenientes; Aliæ pro sacerdotibus, pro Nazaræis, pro populo. Non invidebat Dominus populo Judæi [illegible] Christianis sine discrimine consuetos, atq [illegible]

carnibus, vel ſanguine omnium; ſed eorum valetudini hàc ratione conſulturus; uti hæc in Philoſophia ſacra clarius explicuimus. Nec aliqua vetuit eis, id agere ab aliis edoctus; ſed eorum conditionis gnarus. Nos amamus ſequi dogmata doctorum juventutis noſtræ, quorum præceptores primi gentiles fuerant & ſine Deo ſapientes: Satius imò beatius eſſet pro nobis, imitari Doctores & Medicos à Deo doctos. Gentiles Medici multa laborarunt in vanum, curioſitati potius ſeculi ſui inſervierunt, quàm neceſſitati; ideò multi eorum & nocuerunt ægris, ſicuti multi profuerunt: Gentiles curarunt, & curare docuerunt ægros ſecundum methodum probabilem; Sed Prophetæ & ſervi Dei majori cum authoritate & certitudine; Nos Chriſtiani nominamur; quare igitur regulas Chriſti negligimus vel omninò ſpernimus in praxi Medica, & malumus imitari homines aſtutos, quàm Deum & veritatem. Pari modo deceptus Adam legem beſtialem Divinæ legi præferens, & ſe ipſum & nos, in miſeriam æternam ignorantiæ, dubitationis, pudoris, timoris, morborum & mortis præcipitavit. Multos morbos curavit Chriſtus ejuſque Apoſtoli, quos ſapientia humana nec ſcivit nec potuit; Nobis autem majora promiſit, ſi ſaltem ſyncerè doctrinis ipſius adhæſerimus; Sed nobis Galeni, Avicennæ, Hippocratis, Paracelſi, vel alterius alicujus homuncionis deliria, ſine mente, fronte, falſo prolata, magis placent, quàm Chriſti promiſſa. Quid mirum igitur, quod incredulitatis, temeritatis, & pertinaciæ noſtræ dignas luamus pœnas. Et ſicuti nobis non videtur utile, Divinas doctrinas in praxi Medica imitari; ita tradit nos Deus in mentem omnis judicii expertem, ita ut defatigemur erroribus, ſciemus nunquam. Dixit Dominus, quod alia ſint dæmonia, quæ ejici poſſint per nos; alia non niſi immediatè per ipſum; alia rerum non niſi oratione & jejunio. Nos autem nulla ad ipſum remittimus; nulla vel oratione vel jejunio pellere ſcimus, aut poſſumus; ſed omnia methodo ſcholaſtica, & remediis ex penu hujus

mundi petitis; per catarctica, diuretica, diaphoretica, catholica vel appropriata, eaque exotica; Quæ nostra nobis suppeditat tellus, quamvis exoticis multò utiliora & salubriora, vilia nobis videntur, nō solùm adversus virulentias morborum, sed & ad satiandum voluptatum animi nostri desideria; Atque hanc vanitatem nostram, imò impietatem & Divinæ sapientiæ contemptum, Ethnici ipsi condemnabunt in judicio. Christus nos docuit optimum præservativum adversum morbos esse, declinare voluptates carnis, & fugere peccatorum illecebras. Sed nemo magis peccat vel peccare docet quàm Medici; nec adeò alii tuto peccant ac hi; nam fraudes optimè cedunt nobis, malè aliis; nec est aliquis celebrior Medicus, quàm qui verba dare sciverit doctè patientibus.

SECTIO XVIII.

Quoad morbos externos, ab externis causis inflictos; vel ab internis quidem ortos, sed in superficie corporis sensibiles, ut sunt vulnera, ulcera, tumores, scabies, cum suis speciebus; ad illos curandos multum conducit humana praxis, Experientia, & Ars, ejusque methodi in medicamentis præparandis, præscribendis, adhibendis, augendis, minuendis cautela & solertia. Sed ad morbos internos, & eorum seminaria generationis occasionem; generatorum, sed quiescentium matrices; motuum diversitates, & diversitatis causas inveniendas, vel citius quàm sensibiles fiant eorum effectus, præcognoscendas; valdè est arduum & difficile, imò plurimis impossibile; Cuilibet Medico sua est cognita ignorantia, quam tamen nemo confitetur; sed illi, qui turpitudinem suam agnoscunt, variis operculis eam occultare student, vel inani eloquentiâ, & suaviloquio; Ægri similes sibi Medicos quærunt, & Medici ægros; hi sperant ab illis, quod sperandum minimè esset ab alio, quàm solo Deo; Medici promittunt illis,

quod non in ipsorum potestate, nec scientia est, dare, aut præstare posse. Omnes suas opes expendunt ægri in Medicos, & tamen moriuntur:. Medici mille experimenta adhibent, nobilia vilibus, fortiora debilioribus, exotica domesticis substituunt, sæpè sic enervant ægros, & evacuant sanguine, omnibusq; contentis utilibus & excrementitiis, ut mirum sit, eum vel horam unam vivere posse; & tamen frustra omnia; nam ipse tandem, ad extremum usque excarnificatus, & vitâ vix non spoliatus, tædio medicamentorum concepto, inter spem & metum medius jacet; donec vel moriatur, vel miraculosè convalescat, vel liberius edendo & bibendo, quàm id prius suaserunt; & conducibile judicarunt Medici. Historias narro, non fabulas vel commenta; quamvis exempla reticeam. Ad mitigandum sensibilia symptomata multùm conducunt vulgaria medicamenta, & artis præcepta; sed ad abolendas morborum radices, profundius hærentes, parum aut nihil proficiunt. Ex exiguo interdum corpusculo in extremitate alicujus digiti, vel manus vel pedis quiescente, vehementissimi excitátur in partibus superioribus dolores, motus, convulsiones, flatus, rugitus, tormina, hæmorrhagiæ, & alvi fluxus, vomitus, sudores, lipothymiæ, apoplexiæ, sphacelationes; Quia minerales sunt spiritus, qui corpusculum id incolunt, vel metallici, quamvis non mineralia, nec metalla in nobis generent; attamen vapores illi, qui ægros exercent, illis qui in mineralia & metalla extra nos desinunt, sunt paralleli. Non satis est Medico, vapores illos vel humores malignos & venenatos appellare; sed ejus officii requisitum est, præscire eos, eorumque matrices citius quàm lædant; quod si verò præveniatur Medicus vel æger ab illis; tunc ligandi sunt quam citissimè, qui in centris hærent, ne plures erumpant; quam jam actu ægrum molestant, citius quã hi vel per sudores, vel alvũ, vel urinam, vel alio aliquomodo expulsi, aut dissipati fuerint. Nam si uni atomo tolerando aut superando non sufficiunt vires ægri, à pluribus omninò suffocantur. Occultas qua-

litates finxerunt causarum morbificarum ignari, vel ad scrutandum eas inepti aut ignavi; Omnes autem effectus sensibiles ab insensibilibus fluunt causis, quamvis plurium recenseantur causæ, quæ tamen causæ non sunt, sed causarum saltem instrumenta, vel vincula intermedia, quibus effectus cum suis connectuntur causis, hìs omninò & prius & post sub insensibilitate hærentibus. Qui Medicorum docent, Medicos non nisi circa sensibilia versari, illi fatentur causas morborum vel seminaria, Medicis communibus omninò incognita esse, vel ea à Medicis in cura negligi, sed saltem symptomatis sensibilibus contrairi; Si autem ad inquirendum morborum causas non obligantur Medici, ad quid Ratio, si sensus omnia præstare potest, quæ præstanda sunt? Chyrurgi & pharmacopæi, empyriciq; & circumforanei sufficerent ægris, si saltem circa sensibilia immorari deberent Medici, suo officio satisfacturi. Anatomia corporis humani, & ejus membrorum artificialis sectio; vel signaturarum jam actu sensibilium morbificarum ampla enumeratio, ad ea, quæ circa morborum causas materiales & formales eorumque generationem sunt scitu necessaria, parùm conducunt, nam omnes rerum causæ vel sensibilium effectuum sunt insensibiles. Neminem adhuc audivi Medicorum scholasticorum, qui ex vero definivisset febrile semen, ejusque generationis matricem & quietis locum, extra tempus paroxysmi. Bilem ejus primariam causam esse statuunt quidem omnes; sed nõ omnes conveniunt dè bilis specie; Cum tamen non causa, sed fructus febrilis seminis biliosus humor sæpè sit; uti probavimus; unde verò bilis effervescat, & à quo principio calor extra naturam in nobis incendatur, vel febris justis intervallis reciprocet suas ebullitiones, tacent omnes; Divinari vel opinari non est scire; Ex hujus vel illius authoris opinione morbi causam canonizare; non est, ejus veram originem definire, sed putatitiam. Locos affectos nominare, vel à liberis discernere posse; non est morbum per causam demonstrare; nam loci affecti nõ pertinent ad anato-

niam causarum morbificarum, vel morborum generationem; sed ad sensuum passiones, ægro infestas & periculosas, non Medico. Refrigerare calida; calfacere frigida; humidiora siccare, vel contraria contrariis adhibere; est in superficie morari, & circa causarum effectus, à centro autem & seminariis morbificis longè vagari; Vas lambere, pultemne olfacere quidem. Nam quomodo possit rationalis Medicus dici, qui non ratione, sed sensu duce utitur in scrutinio causarum; Incertus, vel omnino ignarus, an morbus tum demum materialiter vel formaliter generetur dum sentitur, an verò in corpore exstitisset citius, quàm sensui fuisset manifestus; Hoc scire rationis est opus, & rationalis Medici, atque taliter constituti morbosi seminis demonstrare matricem, officium. Non potest quoque rationalis Medici vel sapientis viri exposcere mercedem ab ægro, qui nec sapienter nec rationabiliter tractavit morbum, sed fortuitò & superficialiter eum saltem comitatus, vel stupens cum ægro, quamvis non sentiens. Nam sapiens Medicus prævidet morbum, antequam fiat sensibilis, in centro quietis suæ latentem, & resecare scit ejus radicem citius, quàm in fructus abeant; qui verò saltem ab hinc suam artem inchoat, præpostere agit sua, imò nihil agit omninò, sed natura sine artis auxilio cum morbo confliċtatur ad hujus usque terminum. Artis opus est, prævenire morbum, & silentem auferre ex corpore citius, quàm patienti fiat vel periculosus vel molestus. Ex inordinata diæta non poterit nasci novi symptomatis, vel recidivæ periculum; si ex toto vel radicitus per artem morbi seminarium ablatum fuit; sed si aliqua exigua tantùm seminarii portio in matrice hæret, aliquâ in parte hujus vel illius medicamenti anodyna vi occultata; tùm levi occasione extrinsecæ causæ, excitatur, & fit patienti molesta æquè ac prius.

SECTIO

SECTIO XIX.

MEdicina certè est inter omnes artes ad præsentis vitæ commoda inservientes, maximè utilis & necessaria; Nam quid conducit oculus si ad videndum sit ineptus? quid lingua, aures, quid manus & pedes, si eis ad libitum uti quis non possit? conducibilius est omnino non vivere, quam dolere semper. Ad valetudinem autem conservandam & abigendum morbos, facit Medicina, vel Sapientia, hominem de occultis morborum principiis erudiens, & ea mortificare vel enervare docens. Dominus creavit, & creat quotidie pharmaca; datque hominibus quibus vult, ea cognoscendi, præparandi, & justè administrandi scientiam; sive ut ajit Syracides; Dominus ipse est qui facit Medicum, revelans ei res suas admirabiles, & secundans consilia operaque ejus; si amorem sapientiæ auro prætulerit; Qui non tantùm fidit manibus suis, sicuti faciunt illi qui omnia temerariò tractant, & jactant, vel sensibiliter exequuntur, sicuti figuli & fabri: Sed cujus cor præcipuè respicit Dominum, & ad voluntatem ejus conformat conceptus mentis & opera manuum suarum; nulli plura promittens, quàm præstare vel dare in ipsius sunt potestate; Nam de vita & morte dispensare, proprium est Domini; morbos abbreviare, vel vehementiam eorum mitigare, concedit scientiam hominibus; Et quamvis Medicus omnia sua secundum voluntatem Domini instituens, & tractans in praxi Medica sapienter, finem suum non assequatur ex voto suo vel ægri, vel adeò citò, uti sperabat æger; ideoque displiceat hominibus; patienter ferre debet casus omnes; Deus ita disponit omnia ut non nobis sed ei accepta referantur. Præstat placere Domino in silentio & spe, quàm hominibus, per ora vulgi volitando, vel tentari, vel affligi à Domino. Hoc quidem angit animos plurium sanctorum in hoc mundo, nempe innoxiè contemni à pluribus, & à rudi plebe,

fatuis mulierculis, ambitiosis pharmacopæis, sordidis tonsoribus, judicari oportere. Omnes omnium ordinum, utriusque sexus personæ, sibi arrogant de Medicis & medicamentis judicare; si singuli sibi ipsis in casu necessitatis consulerent, vel consulere scirent; laudandum esset studium id & industria; Hoc enim cuique implantatum est suos uti sentire dolores, ita quoque doloribus mederi; Ita canes, sues, cervi, aves, & sibi ipsis & suis catulis vel pullis medentur, sine concursu humanæ artis: Quid ni igitur homo homini, proximus proximo, amicus amico prodesse vellet: sed abusus, & temeritates sunt inutiles & noxiæ; Ideo qui morborum causas ignorant, quamvis mille sciant pharmaca & experimenta, ab ægris, ut eis inutiles, imò & noxii, æquè imo magis quã morbi; arcendi essent, aut ad curã non admittendi, quia nec sciunt, nec possunt, imò nec volunt quidem juvare; sed saltẽ pecuniæ ægrotũ insidiantur; Et artem sanctam prophanant, non nisi sanctis à Domino recommendatam. Noluit Dominus laudari à dæmoniis, vel apud homines recommendari; ita nec vult ut quæ sancta sunt à canibus & suibus prophanentur, sed à solis sanctis tractentur. Sunt autem & inter eos qui juramenti sacramento inaugurati ad Medicinam exercendam legitimantur, multi illo officio & titulo indigni; non quidem ob defectum in eis cognitionis præceptorum scholasticorum, vel herbarum, vel constitutionis membrorum corporis humani, eorumque constructionis; sed aliarum dotium animi in Medico sancto requisitarum, Sanctam artem tractare volentis. Nam scriptura inquit, quod ille qui peccaverit adversum opificem suum, in manus Medici incisurus sit; Non tanquam in manus carnificis, qui ab eo exigat vel ei infligat pœnas peccato promeritas; sed qui eum juvare sciat aut possit, à plagis ei per peccatum, vel concupiscentiam, & legem peccati inflictis. Non enim est Medicus collator pœnarum in patientes, sed redemptor & salvator ab inflictis, per dæmonia justo judicio Dei. Ideò non à Medico sed à Deo in-

choare debet æger spem valetudinis vel convalescentiæ; & resipiscentiâ reconciliare Deum sibi, hocque reconciliato vocare, vel admittere Medicum. Ideò vitio vertit Dominus Regi Israelis, quod in morbo suo consuluerit Medicos, non Dominum. Medici quoque ad ægros vel ultrò accedentes, vel ab eis accersiti, sine Domino, sapientiâ litterali, & experientiâ temulenti, tempus perdunt, sicuti expensas ægri; Atque sic ambo pœnas luunt suæ imprudentiæ, vel superbiæ, & Divini contemptus. Non curavit Dominus vulnera, vel ulcera, vel ambusta, vel à sensibilibus causis inflictas ægris passiones, & humanâ arte curabiles morbos; sed febres, hydropes, lepras, epilepsias, hæmorrhagias, phræneses, paralyses, contracturas, aliosque inveteratos affectus, quos medici vulgares curare nesciebant nec poterant, claudos, cœcos, mutos, surdos, sanitati, & mortuos vitæ restituit; hoc modo se & Deum esse demonstrans, & eos mundo monstrans Medicos qui ab eo instructi ad ægros accessuri omnibus diebus forent. Non tamen omnes ægri Domino in terris cum hominibus agente convaluerunt; nec etiam omnes huic vitæ restituti sunt mortui; sed quos ille sanare, & suis amicis reddere voluit. Plures etiam curavit solo verbo, & occasione eorum propriæ credulitatis, quàm per externa media & remedia; ita plures quoque convalescerent ægri hodie, quam sit, si plus confiderent Deo quam Medicis: Hic enim non nisi est Minister vel Naturæ vel Dei; nec plus vel scit vel potest, quam Natura vel Deus permiserit. Sunt quoque Medicorum multi qui præsumunt curare morbos verbis, sine herbis, vel ad id destinatis à Deo & Natura remediis: Verbis scilicet vel scriptis, vel prolatis, quæ nec intelligunt ipsi, nec ægri, nec præceptores à quibus ea hauserunt, superstitionem meram, vel impiam idololatriam, redolentibus. Medici autem Christiani, nullam ad usus suos aliam adhibere debent dæmonia abigendi, morbosque curandi formulam, vel media, quam eam & ea, quæ nos docet vel jubet Divina Sapientia. Et quamvis super-

stitiosæ

ſtitioſæ illæ incantationes, & morborum adjurationes, fiant cum ſingulari devotione, jejuniis & relligionem diſſimulantibus ceremoniis; tamen quia gentibus maximè eſt & fuit familiaris; ideò nos Chriſtiani ab omni ſuperſtitione nobis cavere debemus; & omni curationis methodo, cujus exempla in ſacris non proſtant; uti dicemus in Capite ſequenti. Et quamvis herbæ minus habent periculi, vel ſuperſtitionis quàm verba irrationabilia; Et tamen quia in eorum effoſſione multæ concurrunt ſuperſtitioſæ ceremoniæ; ideò à talibus herbis nobis quoque ſtudiosè cavere debemus; ne vel eis utamur, vel aliis aduſus porrigamus. Medicus non peregrinæ inniti debet rationi vel experientiæ, ſed propriæ; quisque enim pro ſe ſolo eſt rationem reddicurus in judicio;

SECTIO XX.

EX ſupradictis liquet, quod non utile tantùm ſed & maximè neceſſarium ſit in Medico Chriſtiano Sapientia, Pietas, & bona conſcientia, qui ſe adverſum ſtimulos calumniæ & ignorantiæ defendere immunem vult: Nam deſtitùtus ſapientià ignorabit myſteria naturæ, & mirabitur cum vulgo omnia; nec cognoſcet virtutes rerum ei in uſum quotidianum facientium; an & quantũ ab his vel illis vel boni quid ſperare, vel mali metuere debeat, hodie aut cras. Neſciet proceſſum generationis rerum ſenſibilium, vel fluxus ſeminalium rationum ex tenebris in lucem, & refluxus ex luce ad tenebras differentiam, an nempe cum incremento formarum ſenſibilium fiat, vel eorum ſaltem jactura. Et ſicut ſuos actus diriget non quo volet ipſe, vel propoſuerit, ſed quo eos ſors detulerit, citra ejus ſpem vel opinionem. Et ſic à communi ſenſuum ſenſualiumque judicio pendebit, & fama & conſcientia ejus; ſive ab illis à quibus mercedem ſperat, vel laudari amat, & vituperari metuit, deſtitut⁹ pietate; Dotibus ſapientiæ & prudentiæ etiamſi abundet, tamen abutetur, Deo iniquus;

hono-

honores qui Deo debentur ſibi imputans, vel imputari affectans. Atque hoc agendo, quantum lucratur vel honorum, vel pecuniæ, vel famæ ex parte mundi; tantum ipſi decedit laudis & futuræ mercedis ex parte Dei: atque etiamſi exiſtimaverit artem ſuam & induſtriam pluribus profuiſſe & profuturam ægris, fallet tamen ſeipſum, ſeipſo mulctatus. Percepiſti, amice Lector, ſine dubio, mentem meam, quam tibi ſufficienter demonſtravi, quid nempe hoc meo ſcripto intendam; Nempe quod non placere omnibus vel ægris, vel Medicinam profitentibus; ſed ſaltem ingenioſis, ſaltem prudenter, & cum reverentia Domini medicamenta quærentibus & adminiſtrantibus. Tales itaque ſolùm invito ad legendum & examinandum ſcripta hæc mea, eos reciprocè obſecrans ad communicandum mihi ea quæ habent, ſicuti me vident promptum in communicatione meorum. Superbos, ſapientiâ litterali tumentes, ſordidi lucri avidos, favorem populi captantes, temerarios, garrulos, ſibi ipſi placentes, & aliena omnia ſine ratione & diſcrimine ſuperbo deſpicientes ſupercilio, nec invito; nec, ſi acceſſerint & pro more ſuo mea arroſerint, eorum calumnias metuo. Nihil quidem habebunt quod juſtè vel repudiare vel contemnere poſſint, pauca enim reperient quæ intelligant aut aſſequantur in eo ſenſu quo à me prolata ſunt; Nulla ego malè dixi, vel maledicere volui; nulla ſine ratione, & non niſi authoritate antiquorum canoniſata; Nulla in ſpem lucri vel honoris; Sed omnia in honorem Dei, ægrorum commodum, Medicinæ amplificandam authoritatem, & eam à prophanatione abuſuque vindicandam. Qui igitur es mecum tali adverſus Medicinam affectus animo, lege & relege; examina, & trutina rationis pondera, ſcripta hæc mea.



CAPUT IX.

De Morborum Curatione.

SECTIO I.

ADeste itaque omnes Sapientiæ proci, Medicinæ, artis nobilissimæ, & utilissimæ studiosi, doctrinæ filii, qui vos ideo huic studio consecrastis, ut & ipsi sapienter, temperanter, & sanctè vivere sciretis, & alios idoneis verbis exemplisque vestris doceatis; à me audituri quæ in scholis juventutis vestræ non audistis, vel hucusque apud alios audivistis non legistis; legite hæc mea, non compilata vel descripta ex aliis; Sed quæ mihi artifex omnium revelavit Sapientia; quæ oratione à Domino impetravi, sedulâ indagine acquisivi, fideliter vobiscum communicabo, sine fraude, sine invidia; non quidem ut noviter inventa, sed antiquitus usitata, attamen ab abusu repurgata, & noviter quasi luci restituta. Ubi quæ sine ratione dixero, indicta sunto; quæ rationibus certis, non sterilibus authoritatibus, comprobata videritis, ne contemnite, citius quàm vero[illegible]bus enervaveritis meas; In censura meorum præconceptas opiniones seponite, non enim ut mihi, sed rationi & veritati credulatis vos obsecro. Ad praxin è scholis egressi ne festinate, etiamsi vos ad eam sufficienter instructos publicis testimoniis, & scholasticis privilegiis existimetis; Sed si fieri potest, studete ut per practicum veteranum, doctum, sapientem, & conscientiosum assuefiatis praxi, atque ita mederi discatis; Credite mihi quod praxis alium exposcat hominem quàm Theoria, aliud quoque ingenium; nisi de humano corio temerariè ludere & per mortes plurium ad meliorem praxin promoveri, vestra sit relligio. Non mendax est quod communiter de Medicis novis sonat proverbium, quod novum Cæmiterium parent, sed verissimum. Elogia & laudes quas

qua

bus sua medicamenta Hermetici Galenicis, vel hi Hermeticis præferunt, fuci sunt saltem mendaces, & umbræ, lucis nihil habentes, quibus decipiuntur & ægri & Medici, ratione sanâ destituti: nam inter insensibiles essentias insensibilis est sympathia; sensibilia ab insensibilibus afficiuntur, sed non hæc vice versâ ab illis. Fortuna elevat Empyricos, non sapientia; Dolus, non virtus; Loquacitas, non veritas. Qui modico contentus esse nescit, non vult, aut non potest; necesse est ut media quærat, & modum fingat, quomodo rem suam augere possit; hæc est ars mundi, quæ sursum deorsum vertit omnia, si saltem satisfiat ei; Durum est egenum esse, despectum esse, obscurum esse & manere; sed hæc omnia sapiens vili pendit, sapientiam divitiis, auro, gemmis, honoribus, voluptatibus præferens: Turpis est beatitudo per fraudes, mendacia, adulationes celebrem fieri, inter homines mortales, mortalem; & omni momento de jactura omnium periclitari. Momentanea sunt omnia quæ hic possidemus & bona & mala, sed futura quæ speramus ab hinc vel metuimus, æterna; Confer hæc cum præsentibus, & videbis quid sit quod possides, quod affectas, quod amas; & quid sit quod per mortem post exiguæ passionis transitum, acquirere possis. Hoc tamen scias velim Lector, quod tentari te oporteat ubicumque praxin Medicam exercere volueris, atque id fieri tibi experieris, per Theologos, per Pharmacopæos, per fœminas, idque multò acrius erit examen, quàm id quod à Doctoribus Medicinæ officio & titulo medico investiendus perpessus es; Nam nisi sacerdotum doctrinam, vitam, mores admirari volueris cum plebe, quamvis nihili minus quàm admiratione digna? malè audies. Nisi Pharmacopæorum pyxides evacuare sciveris, quamvis ægris nihil prosint, à te præscripta; triobularis Medicus vocaberis; & tàm contemptus in loco habitationis tuæ, quantò ægris utilior esse studueris. Quod si verò ad ægros vocatus, cum qualibet fœmina communicare consilia nolueris, & omnibus adulari, vel cum deliris delirare, fabula eris vulgi;

Inter has ſyrtes navigare te oportebit, ſi conſcientiosè officium tuum exequi volueris; igitur oportet, ut hæc tria doctè pati ſcias; aut ut contemni te contemnas. Non ſemel tibi occurrent, ſed ſemper à latere erunt, & te comitabuntur quousque vixeris, tales ſtimuli; tibi quidem ad virtutem & pietatem valdè utiles, ſed rei tuæ domeſticæ valdè noxii; Deſpice tamen omnia; Fiae cœcus & ſurdus, quousque vixeris; Auguſta præſtolare ab hinc, poſt has anguſtias.

SECTIO II.

IMpudens ne ſis fili mi, ne te proſtitue, nec ad ægrum acceſſoris niſi vocatus; nec jactes ſapientiam tuam aut medicamenta, lucri aut honorum avidus. Ne vende, ſed eme Sapientiam, atque ſic vivendo, ſi non hominibus mundanis, avaris, ſuperciliosis, divitibus; attamen Deo & Sanctis acceptus eris oper[illegible] celebrior in orbe, quam alii. Ad ægrum vocatus quemcunque, qualicunque morbo afflictum, & contagioſiſſimo; ſequere; Eum tibi affectum ſuum narrantem audi, & quæ ſcitu neceſſaria [illegible] ad curam judicaveris, ſingula perquire; præſertim ætatem & patientis & morbi; nam ſi hæc ignoraveris, fortuitus erit eventus artis tuæ. Ægro adſtantes obſerva; & tua verba ſic moderare, ut nihil habeant quod contemnere juſtè poſſint, quamvis laudare nihil velint; ſatius eſt tacere, vel pauca loqui, ſed cum ſale [illegible], quàm multiloquio captare auram communem, & ab inſipientibus laudari. Scias te ubicunque fueris, inter ſerpentes agere; Satis eſt, ſi ægro & prudentioribus ſatis feceris; Quæ verò ab ægro audiſti, & ipſe in eo obſervaſti; tecum accuratè examina, ut ſcias quomodo & ſymptomatibus ejus præſentibus, & futuris, ſive eorum cauſis occultis, contravenire poſſis; non eſt enim [illegible] tui, apud ægrum profeſſorem Medicinæ agere, & [illegible] endo prophanare Artem ſummo ſilentio dignam: ſed ſaltem ea

curæ

curare, quorum causâ accersitus es; nempe, ut quantùm, & quam citò possis, liberes ægrum à passione præsenti, futuræque metu & periculo. Quæ fieri possunt per pauca & domestica; non debent fieri per plura & exotica. In cura sequere communem scholarum methodum, & medicamentis communibus utere; sed si & futurorum habere velis rationem; tunc necesse est, ut præcepta scholastica relinquas, & profundiora scruteris, nempe locos quiescentium seminum morbificorum, an nempe in venis, arteriis, medullis ossium, ureteribus, intestinis, vel vasis spermaticis hæreant, an in superficie cutis & membrorum, vel in eorum extremitatibus; Hinc enim disces, an ægrum purgare debeas per vomitum, vel per sedes, vel per sudorem, vel urinam; An phlebotomia conducat, vel cucurbitulæ, vel fontanellæ, vel clysteres, aut balnea, aut ptarmica. Et quid, quando, quoties agendum, relinquendum; quoties repetendum, quamdiu continuandum, quàm citò removendum; accelerandum aut quousque differendum. Hæc quidem inculcant & scholæ; sed alligant tantùm judicia Medicorum indiciis sensibilibus; cum insensibilium præcipuè sit habenda ratio, in omni Medico rationabiliter tractante sua; Non enim Natura Artem, sed Ars Naturam pro exemplari habet. Multa docet observare ars, quæ non adeò strictè custodit Natura, ut non sæpius abbreviet. Concoctioni ciborum in stomacho, nec digestioni in venis sanguineæ, certum definitum est tempus, sed sicuti cibi alii aliis facilioris sunt concoctionis, vel interdum in stomacho brevior digestio, & puri ab impuro separatio, ita & in venis, per intervalla sanguis fortius ebullit, & jam copiosiorem urinam, jam sudorem, jam bilem excernit, jam pauciorem. Potus qui inebriant, vinum, cerevisia, sublimati per destillationem artificialem spiritus, quamprimum in stomachum ingressi fuerint, sine omni digestionis dilatione, à spiritibus animalibus ad nervos rapiuntur, vel nervorum & spinalis medullæ originem, nempe cerebrum infæcundant, & universum

corpus penetrant. Non igitur concoctionis cibi in stomacho, sed seminum morbificorum Medico est habenda cura, ita ut scire motus eorum & quietis locos, temporaque discernere. Non enim omnia semina justis temporibus moventur; quædam vagantur & in motu & in quiete; nec etiam quæ certa intervalla custodiũt, ea semper & omnia æqualiter moventur, sed quædam quartâ vel septimâ hora; vel quater aut septies repetitis intervallis horarum, mensium, annorum: quædam cum Luna, quædam cum Sole, oriuntur & occidunt, augentur & minuuntur, vel sensibilia & insensibilia fiunt. De loco affecto, quis sit; non opus est de Medicum esse sollicitum; nam ille communiter patientis sensui cognitus est, ita ut inde peti possit; sine singulari molestia. Membri afficientis, vel matricis seminarii morbifici major est habenda ratio; hæc enim communiter & Medico & ægro incognita est; uti in superioribus capitibus clarius demonstravimus. Cognito affectu, ejusque seminario, & seminarii matrice, ad motus & quietis intervalla examinanda, est pergendum; an scilicet sæpè vel raro, brevius aut longius doleat æger; an in septenariis, vel quadris recrudescat, vel subsideat malum; Princeps quidem causa quare Medicus ad ægrum vocatur, est, ut eum liberet à præsentis doloris molestia, & periculo, vel si non aboleat omnino omnem doloris sensum, eum tamen sic mitiget, ut tolerabilis sit, & minus periculosus, quàm fuit ante adventum Medici. At tamen quantum fieri potest uno eodemque studio, & præsenti liberari, & contra futurum muniendus erit æger. In consuetudinem quoque ægri inquirendum est, an somnolentus sit? an aliquando in manibus vel pedibus dolores aliquos sensisset, etiam quàm ægrotare cæpisset, an solum in dorso vel alibi? An uxoratus sit, an liber? Nam quandoque à Veneris immoderatione exercitio multorum morborum seminaria à quiete ad motum irritantur; tam in viris quam fœminis; Et quamvis non expediat alicui adstãtium rationem reddere accuratioris indaginis; expe-

dit

dit tamen Medico ad præscribendam ægro curam, & vivendi regulas, singula optime cognita habere. Sunt interdum vehementes admodum & valde periculosi affectus, qui tamen Venerem stimulant, ita ut nesciant se adeò periculosè decumbere ægri, in re Venerea strenui, sicuti in rei veritate decumbunt; nam aliqui in mediis amplexibus vel epilepticis, vel apoplecticis, vel aliis valde acutis symptomatis corripiuntur, difficile ad quietem & tarde redeuntibus; Ex pulsibus non nisi sanguinei motus vehementioris vel remissioris indicia peti possunt, quæ tamen ad curam nihil faciunt, sed aliquid ad fallendum fœminas, quæ ex talibus divinationibus sapientiæ suæ amant trahere incrementa, & consiliorum materias; à sui similibus doctoribus ita sapere edoctæ; Pulsus enim motum sanguinis imitatur, qui mox tardior est mox vehementior, & non saltem à principiis morbificis in venis actu hærentibus augeri & minui potest, sed & à quavis animi mutatione, ira & metu.

SECTIO III.

POstquam cognoveris omnia quæ ex indiciis externis, & relatione ægri cognosci possunt, nempe & ægri ætatem, statum, vivendi consuetudinem; Et morbi causas, vel seminaria, matrices, motus & quietis tempora; tum demum tibi ad curam progrediendum erit, tali methodo, ut nihil agas invitâ naturâ, vel patientis vel morbi; Nihil contra Deum & conscientiam; nec nihil agas temerario, nihil fortuitò, nec aliquid promittas aut ægro aut arti tuæ, quod in tua non est potestate. Interdum quidem necessitas cogit nos etiam invitos, plura promittere quàm præstare scimus aut possumus; Interdum sponte & ex industria peccamus, vel arrogantes nobis, vel promittentes ægris; Et quamvis facile fallamus vel ægros, vel ægrorum amicos, ita ut nesciant illi nos fallaciter agere cum eis, sed serio, & syncerè; tamen

men nobis ipsis cognita est fallacia animi nostri. Præstat tacere & nihil vel mali minari, vel promittere boni patientibus, scilicet tali certitudine, quasi in nostra sit alterutrum vel utrumque situm vel scientia vel potestate. Nam quamvis omnem dolum effugere studeamus in praxi, omnes tamen omninò declinare non possumus, sed sæpè ignari, sæpè inviti, & necessitate quadam coacti peccamus, vel erramus; atque ita in maximo periculo apud omnes ægros versamur vel famæ, vel conscientiæ apud nos ipsos: sive coram hominibus & coram Deo. Nam Medicinam exercere, revera opus est sanctum; Et nisi sanctus sit qui eam exercet, non secundabitur ipse vel ejus posteri; & quamvis integrum mundum lucratus fuerit, mulctabitur tamen se ipso, cum magna posterorum suorum contumelia: Mille id docent exempla. In impatientes frequenter incidimus ægros, qui in momento convalescere volunt, etiam citius quam aliquo usi sint medicamēto; quidam ab omnibus medicamentis abhorrent, alii inobedientes sunt & increduli, sed secundùm ipsorũ imaginationem curari volunt; Rarò in patientes qui casus fatales patienter ferre sciant, atque Medicos ita ut sunt vocandi vel admittendi, admittant; sæpè peccatur utrinque. Ideò magnâ & Medicis sapientiâ & patientiâ opus est, ægro profuturis; & ægris, fiduciâ patientiâ & obedientiâ. Natura seminalis nec ægri, nec morbi, violenter cogi vult, sed utriusque duci amat; Præstat autem contra patientem peccare quàm contra morbum; Nam plurima possunt fieri præter spem ægri, sed nulla contra Naturæ leges. Nam principia morbifica virtutes sunt terrestres, nec agunt sensibiliter vel voluntario, sed à spiritibus suis intrinsecis moventur & ad motum & ad quietem. Obediunt quidem verbis solis naturalia quoque dæmonia; ita ut ignis & aquæ violentia cesset ad imperium, vel increpationem verbalem; sed talem authoritatem non docent artes humanæ, nec ipsæ habent; sed si quis eam acquisiverit vel acquirere studuerit, alibi eam quærere & aliunde sperare oportet, quod

quam-

quamvis valde rarum sit, arduum & difficile, nequaquam tamen est impossibile. In humanis, quia circa naturalia versantur, humanitus quoque est procedendum, & secundum leges à Deo Naturæ præscriptas; scilicet locorum, temporum, mensurarum, ponderum & signaturarum sensibilium vel insensibilium causarum varietates, omnia in arte dirigenda. Nullus error periculosior ægris in morborum artificiali curatione, quàm qui committitur contra leges locorum & temporum, motus & quietis, principiorum morbificorum: non peccatur adeò in modo applicandi, & in injusta medicamentorum dosi, quam si quid injuste egerit Medicus; sive ad motum stimulârit, quod quiescere; vel ad quietē quod moveri debet, ex requisito principii seminalis. Atq; hoc modo varie peccatur à Medicis, in exhibitione purgativorum, sudoriferorum, diureticorum; & externorum adhibitione, ut phlebotomiæ, scarificationis, fontanellarum, & topicorum medicamentorum. Aliter occurrendum est dolori, aliter causæ dolorificæ; aliter symptomati præsenti; aliter recidivo; E. g. Epilepsiæ motus est motui salis parallelus; ita & plurimorum, si non omnium morborum salinorum; nam circa novi & plenilunia, solent recrudescere intervallares, vel ingravescere quotidiani; Sed tempora illa motus salium ordinaria, mutari possunt, & ægrorum & Medicorum vitio, scilicet vel in pejus, vel in melius; cum majori patientis vel periculo vel incommodo; & cum commodo. Nam si semen morbificum per artem figitur, & ligatur ad quietem solummodo, non autem omninò mortificatur, vel ex corpore propellitur; tum quietem illam, symptomatis alterius successivi violentiâ recompensat; Quod si verò omnes ejus atomi, alicujus vehementioris medicamenti virtute, ad motum irritantur, qui singulis symptomaticis circuitibus, non nisi singulatim movebantur, tum aut exanimatur æger, aut non sine magno periculo mortis convalescit; sæpè quidem sine arte tales contingunt seminum ebullitiones, dubio

eventu; ſed ſi per artem ſtimulentur, cum magno patientis & incommodo & periculo. Putant quidem ægri, dilato interdum morboſi ſymptomatis circuitu, in horam, diem, ſeptimanam, vel menſem aut annum; ſe ab omni morbo totaliter liberatos eſſe; ſed ſæpe eos falli, ſera docet pœnitentia. Igitur Medici officii requiſitum eſt, ægros non ſolum liberare à præſentium dolorum ſenſu, ſed & à futurorum metu, vel recidivarum periculis. Uno eodemq; actu autem utrumq; præſtari nequit; Imo ſæpe adeò patientes ægri non ſunt, ut utrumque fiat à Medicis, ſed uno ſaltem contenti ſunt, de futuris periculis nihil ſolliciti, etiam id prævidente Medico. Et quamvis in morbis acutis principaliter eo intendendum eſt, ut ægri ſymptomata, vel ſine periculo vitæ, vel ſine magno doloris ſenſu, tolerare poſſint; attamen nequaquam illic quieſcendum; nam ſymptomata per ſe, vel ſuà ſponte, ad quietem redire ſolent: ſine omni artis adminiculo; ita quoque ſponte recrudeſcere citra omnem patientis culpam. Quia autem communis curationis methodus ſecundum artis præcepta inchoari ſolet vel debet à purgatione; ideò quæ hic notanda ſint, monebimus.

SECTIO IV.

Quia ex communi ſcholarum ſententia, humores ſupponuntur eſſe cauſæ morborum, illique excrementitii; ideò eorum, atque omnium excrementorum & ſanguinis & ſtomachi, ſive reliquiarum cibi poſt ſaturationem & nutritionem ſupermanentium, evacuatio, ex hoc fundamento omnibus artis molimininibus erit præmittenda. Ita quidem eſt, quod ab obſtructa urina vel alvo, aliiſque excrementis ordinariò evacuari conſuetis, multa & magna, gravia & moleſta ſurgant incommoda; ſed nequaquam adeò periculoſa, ut ex excrementis ſanguinis venoſi & arterioſi in extremitatibus manuum vel pedum quieſcentibus;

vel

vel ex spermate, medullis ossium, & spiritibus ipsis seminalibus; ideò alvum semper lubricam habere nunquam nocet; sed semper urgere catharticis & præsertim violentioribus, non semper utile & necessarium, sed sæpe noxium. Nam sæpe subsidet fluxus excrementorum alvi à vaporibus stypticis, non ab obstructione, vel crassitie stercorum; Interdum ingens sanguinis motus, vel fermentatio fortior, rapit vel pellit vapores inferiores sursum, vel excrementa alvi quamvis satis copiosa, deficiente stimulo interiorum vaporum deorsum feriente, hæreant immota in intestinis; quod sæpe in sudoribus & urinis uberius erumpentibus contingere solet; atque in tali casu, solutiva quamvis violentiora & majori dosi exhibita, non alvum cient copiosius, sed sudorem aut urinam; Ideo potius à clysteribus, & suppositoriis inchoandum opus, quàm ab evacuantibus intro exhibitis; Imò & à phlebotomia potius quàm aliunde; quo sanguinis æstus & mot⁹ vehementior mitigari possit; quo facto alvus vel sponte officium faciet, vel levi saltem solutivo proritata. Purgantis Medicamenti virtus est fermentativa, sive ad motum incitans & stimulans quiescentia, vel in latiorem superficiem dissipans, quæ prius arctius unita fuerunt, ita ut iisdem terminis contineri nequeant post, quibus prius, sed ampliorem locum quærant; quem quia non assequuntur in intestinis, ideò foras erumpunt, vel erumpere moliuntur. Atque sic medicamentum purgans æque incitare potest semen morbificum ad motum, suâ vi fermentativâ, ac excrementum alvi, vel contenta intestinorum, prius innoxia; Discimus quidem in scholis, per hujus vel illius medicamenti simplicis aut compositi virtutem attractivam, bilem, vel pituitam, vel melancholiam ex capite, pectore, pedibus, articulis hypochondriis, ad intestina trahi, & foràs pelli, sed eventus non semper respondet legibus artis; Imo nec potest, reluctante opinioni vulgari & naturâ ipsâ, & sanâ ratione. Nam quamvis varia in sanguine hæreant, potentialiter, quæ tandem qualia fiunt

actualiter; tamen purgans medicamentum non agit, ex intentione artis, in ea quæ nondum sunt, sed in actu existentia; sive non juvat ad generationem bilis, vel pituitæ, vel melancholiæ, vel calculi, vel urinæ, vel stercorum; sed ad evacuationem & egressum actu generatorum, atque in orificiis emunctoriorum hærentium: Evacuato per phlebotomiam sauguinè, unà cum eo extrahuntur omnia, quæ exinde generari debebant in corpore existente; sicuti cum lacte & butyracea, & caseosa materia; Sed quando porriguntur aliquæ ad exonerandum patientem bile, aut pituita, tunc ea jam à sanguine secreta sunt; aut si non sunt, purgantis medicamenti virtute fermentativâ eorum excretio proritatur; ex sanguine & venis; atque is erit primus effectus purgantis medicamenti, nempe promovere humorum heterogeneorum ex homogenea sanguinis massa egressum; secundus autem eorum urgere fluxum usque ad monoculum, & perinde foras egressum. Non potest tamen Medicamentum plus elicere bilis ex sanguine, quam illius illic latuit in potentia; sicuti ex lacte non potest plus butyraceæ materiæ provenire, quam illic eius occultabatur; ita nec pituitæ, nec urinæ, vel sudoris; vel alterius alicujus humoris ex sanguine, quàm fuit ejus intus; sed quod medicamentum excitat vim sanguinis digestivam, illud uno actu non unius saltem humoris, sed omnium simul urget excretionem. Synceriores Medici fatentur ipsi quoque, quod non unus saltem cieatur humor purgante pharmaco, sed omnes. Nos hic controversiam hanc latius non prosequamur, sed saltem hic quiescemus asserendo, quod perinde sit, quo pharmaco solvatur alvus, si saltem faciat officium. Quod verò hoc vel illud medicamentum assumptum, copiosior sequatur bilis, cujuscunque generis, vel pituita, vel aliud quid, in hoc aut illo subjecto; inde non potest concludi, tales humores sequuturos idem medicamentum in omni; sed quo humore quis patiens abundaverit quando, ille pharmaco purgante, & ejus virtute fermentati-

tativâ attollitur, ut se prioribus terminis continere nequeat. Hoc tamen notandum est; quod non quodlibet medicamentum, etsi sat vile, cuique ægro, conveniat, sed certa certis; aliqui à vilissimis vehementius afficiuntur quam à vehementioribus; ab his nequaquam moveri possunt; Ante annos 30. dum adhuc in Academia Lugdunensi Medicinæ fuissem studiosus, Ungaro cuidam Ictero laboranti exhibui temerarius, integrum scrupulum croci metallorum, attamen sine omni fructu; cujus hodie granum unum exhibere soleo, non nisi robustioribus; post octiduum exhibui illi eidem non nisi scrupulum rhabarbari cum granis duobus diagridii; & purgavit fortiter; an per octiduum occultari potuerit virtus antimonii in patiente; id, quia longè hinc contigit, disputare nolo. Sed peto & moneo studiosos medicinæ ut caveant à temerario mineralium usu, vel præscriptione; imo & à vegetabilium radicum; nam in eis multa latent periculosa, uti post monebimus. Quorundam purgantium virtus altius non pertingit quam in stomachum, nec profundius vel ad prima intestinorum orificia; uti in sequenti capite dicemus; Ideò talia non nisi vomitum cient, & per vomitum non nisi contenta stomachi, & reliquias cibi educunt, sine bile, alioque humore salso vel acri. Alvum autem inferiorem non solvunt, sed potius solutam adstringunt, hebetando vaporum intus in eis contentorum vehementiam, vomitus proritatione. Quæ verò altius penetrant medicamenta, scilicet ad venas & arterias usque: illa sanguinis massam integram movent, vel ejus tardiorem digestionem exacerbant, ita ut fortius & ocyus plura ejiciat quam fecisset tali destituta irritamento; sicuti cerevisia recens cocta adjecto fermento ad digestionem irritatur. Quod vero sanguis suis quoque excrementis se exoneret per venas mesaraicas, & per intestina communia, jam sæpius demonstravimus: hic, semel dicta, repetere nolumus. Sanguis autem ad fortiorem quotidianâ digestionem purgantis pharmaci virtute irritatus; non saltem ea

quæ ars intendit, sed omnia quæ in eo latuerunt excrementitia excernit, & ad emunctoria ablegat, vel per ea ad intestina communia protrudit; Interdum autem & fæces in extremitatibus venarum quiescentes, generandis unguibus destinatæ, violentiori pharmaco ad superiora trahuntur, & massam sanguineam inquinant, cum magna patientum molestia, & periculo: Non enim adeò facile repercutiuntur deorsum, quam facile ad superiora trahuntur. Ideò in præscribendo pharmaco purgante non intendendum est quem humorem purgare velis, sed quem hominem; an ille scilicet præscriptum ferre possit aut non. Ideò bonum est Medico ut à vilioribus & minus periculosis inchoet purgationis suæ opus, ut scire posset per qualia opus cæptum feliciter, sine periculo & molestia patientis, perficere debeat: Personæ enim non autem humoris vel affectus habenda ratio. Nam uti jam diximus, quodque medicamentum quemlibet humorem trahit sibi obvium, vel attollit & ad motum irritat quiescentem. Non autem excretionis facilitas procedit semper ex valida Natura; nec ex valido medicamenti in excrementum impetu; Ita nec difficilis purgatio à natura prostrata vel medicamenti debilitate; sed sæpè in excremento ipso hæret virtus abstersiva, aut stiptica, ita ut vi medicamenti superari nequeat: Sed citius emunctorii, vel vasis continentis substantia læditur à pharmaco, quàm excrementi virtutes mitigari, & ad fluxum vel confluxum idoneæ reddi possint.

SECTIO V.

NOn omnibus quidem Medicis arridebit sententia hæc nostra, asserens quod non singulari virtute medicamenti unus humor præ alio, etiam à remotioribus partibus trahatur. Sed stent illi suis authoritatibus, ego autem meis stabo rationibus. Allegant quidem aliqui Experientiam testem in suæ sententiæ

cer-

certitudinem, contra nos; Inquientes rhabarbarum, agaricum, Sennam, hydropicis propinata, non pellere ex eorum corporibus humores hydropicos, vel aquosos; sed excrementa saltem crassioris consistentiæ. E contra per scammonium, esulam, gelapam, vel aliud fortioris medicamenti genus, pelluntur è corpore humores aquosi & hydropici: Verùm ad id primum respondeo; ex substantia egressi humoris, de virtute attractiva medicamenti judicare velle, esse valde suspectum & incertum; quia admodum profundè recondita sunt à sensibus contenta corporum nostrorum, præsertim ea quæ nondum actu talia sunt qualia excernuntur, sed demum virtute medicamenti talia fiunt; Quod verò quædam medicamenta humores aquosos, biliosos, acres, imo quædam & sanguinem ipsum per intestina propellant; id fit non ob virtutem eorum attractivam; sed aliam, nempe fermentativam eamque vehementiorem; nam omnia purgantia, fermenta sunt ad motum irritantia fæces, vel ipsos humores, & omnia contenta interiorum membrorum; sed quorundam vis magis est divisibilis ita ut & ad extremitates manuum pedumque pertingat eorum energeia; Illa autem virtus non est tractio; sed dissolutio, aut rarefactio, aut dissipatio. Acetum vini oculis cancrorum superfusum, magnum motum causatur in vase, nam quæ prius unita quiescebant mox ebulliunt, & tanto cum impetu ascendunt ut nisi prosilire possint, vas continens rumpant; Eadem quoque operatur pharmacum purgans; quamvis siccum ingrediatur, omnia tamen quæ vapore suo contingit, ad motum stimulat ita ut prioribus terminis contineri nequeant, sed latiorem quærant locum. Saccharum, vitello ovi cocti evacuato albuminis cavitati inspersum, dissolvitur, & in humorem abit oleaginosum, nec calore nec frigore coagulabilem; sed albumen ab eo induratur: Sed saccharum intus sumptum alvum adstringere nunquam audivimus. Si igitur à sensuali experientia comprobari debebit medicamenti virtus; eodem argumento quo-

que

que impugnari poterit; atque hoc modo plurima & affirmari & negari poterunt ex iisdem rationibus: Et quamvis vulgus hoc modo se duci gaudeat, & ad fidem persuaderi affectet; Tamen in casibus vitam, valetudinem, imò & conscientiam concernentibus, aliter procedendum est, ne cum vulgo desipere insimulemur, & seducamus eos quorum doctores appellamur. Sal aquæ mistum sive calenti sive frigenti, dissolvitur tamen, & cum dissolvente menstruo unitur; Sed oleo, vel butyro, si misceatur aut alicui liquori inflammabili, quamvis talis humiditas ipsâ aquosâ humiditate humidior dicatur, nequaquam unietur, imò ne dissolvetur quidem. Si verò violentiori igne, & per media hermaphroditica, dissolutio ejus cogatur, atque sic ad unionem cum pingui humiditate promoveatur; difficile id succedit & tardius, cum majori ebullitione eâque periculosâ; uti norunt illi qui smegma conficiunt & emplastra coquunt. Si verò extra nos pinguia cum salsis, aut omninò non miscentur, aut si miscentur, non coalescunt tamen in unum corpus; Ita & in nobis fit vel si coalescunt, non sine singulari id fit sanguinis perturbatione, aut contentorum intestinorum. Superfundatur sulphuri communi pulverisato aqua fortis in vitro angusti orificii; & videbis cum quanto rumore elevabuntur ambo, & nisi satis amplus pateat ipsis sic elevatis locus, vel liber egressus videbis vitrum ruptum iri; Qualiter extra nos aliquæ, ita quoque in nobis fiunt omnia. Omne purgans habet vim fermentativam; sed non omne durioribus æque facile imprimit vim suam ac liquidis; Ideo alvum adstrictam à fæcum duritie, non omne solvet, quamvis violentius, sed id saltem quod tardius operatur; quod verò facile & citò ad motum irritat, illud relictis durioribus excrementis in humidiores substantias vi primum impressa vomitum potius caussatur quàm sedes; vel si sedes urgeat, tum neglectis durioribus alvi contentis ad exeundum humidiores proritat, sed his egressis graviori obstructione molestat ægrum post, quam prior fuit.

Qui-

Quidam ægri, nisi subito evomere possint quod in arteriis ebullit, etiam sanguinem, suffocantur subitò; Qui vero sanguinem, etiam copiosiorem per vomitum subitaneum ejecerint; liberantur quidem à suffocatione subitanea; sed periclitantur semper à recidiva. Humores non sunt sic discreti sensibiliter in sanguine, adhuc in venis & arteriis hærente, sicuti in eo per phlebotomiam extracto, sensim heterogeneas formas assequuntur; Sed sicuti cremor & serum sunt corpus homogeneum lactis in principio; ita quoque quæ ex sanguine aliquando excernuntur sub formis heterogeneis, sub homogeneitate in eo occultabantur prius; Nullum medicamentum est virtutis illius, quod solam bilem traheret ex venis, vel solam pituitam aut melancholiam; Vel quod ex cerebro saltem traheret phlegma, per sedes videlicet; Errhina id sola agunt; Cathartica, quæ in stomacho & intestinis contingunt ea simul foras rapiunt; quod vero his ejectis, alia in eorum locum succedant, nempe quæ in orificiis venarum mesaraicarum continebantur, quid mirum? nam talis est omnium sensibilium pondus habentium & se mutuo contingentium successio: Uti clepsydra docet.

SECTIO VI.

QUod verò interdum biliosus humor per vomitum ejiciatur, aliquo pharmaco vomitorio exhibito, isque solus & syncerus sine omni alia stomachi fæce; inde argui nequit, quod humor ille virtute pharmaci ab aliqua remotiori corporis parte fuerit attractus; natura enim sponte propriâ bilioso humore se exonerat, præsertim jejuno stomacho, nullo medicamento irritata; Nec aliquid potest trahi, quod nondum actu existit; non potest trahi cremor ex lacte, sed natus à lacte facilè separatur. Sæpe sanguis per os valde copiosus ejicitur; sed sponte, nullo medicamento ad egrediendum allectus vel attractus; causam illius eje-

ctionis, alibi recitavimus; Quare autem nullum vomitivum sanguinem trahere potest? cum tamen bilem trahat, ex communi opinione, vel pituitam, vel melancholiam; eaque ex cerebro, articulis manuum pedumque, & aliis membris à ventriculo longius distantibus: Sanguis autem ipse sæpe sponte prosiliat! Fluxus menstruus in fœminis vel hæmorrhoidum, vel hæmorrhagia narium, sunt sanguinis evacuationes consuetæ & naturales; Sputum vero, vel vomitus cruentus, naturalis quidem est, sed extraordinarius, inconsuetus & non nisi symptomaticus; quem medicamentum nullum etiam violentius, proritare potest. Unde nam privilegium habet sanguis, quod solus artis media despiciat inter alios humores? Promittit quidem ars, & in eum finem exhibet medicamentum, ut æger liberetur bile, melancholiâ, vel pituitâ; vel aliquo in venis putrescente, vel ad putrefactionem prono humore; cujuscunque saporis aut nominis: Sed si taliter potest mundari sanguis peccante substantiâ, ad quid suadetur phlebotomia, vel si hæc aufert cum sanguine omnia putrescentia actu; quid prodesse potest purgatio? alterutra erit inutilis; Aut Medicus imaginatione suâ imprimere potest medicamento virtutem quam vult; aut nisi hoc fiat, vel fieri possit; tum non quod intendit medicus vel promittit, sed quicquid in intestinis hæret excrementitii illud solum pharmacum purgans sequetur. Excrementum cibi, ordinaria est fæx; Vel separato e potulentis & cibulentis materiis spiritu, massa residua est excrementitia tota; quam vulgo chymum, sed vitiose, appellamus, materiam in sanguinem convertendam asserentes; Sed alia sunt excrementa quæ illi chymo miscentur ex venis & arteriis ad intestina prolapsa; illaque non semper unius sunt saporis, odoris, coloris; quamvis nulla sit in cibis vel potu ab homine facta mutatio; sed in diebus, mensibus, annisque climactericis, variant excrementa sanguinis in singulis ferme individuis; pro diversitate principiorū seminalium in sanguine arterioso & venoso hærentium. Qualia

autem

autem ſalia excernit ſanguis, à talibus premitur patiens ipſe, donec vel generatio eorum & excretio ex venis non ſubſideat, vel jam generata & in emunctoriis actu exiſtentia non expellantur. Quæ ſpiritualia ſunt, ea vel omninò innoxia ſunt membris & ſenſui; vel ſaltem imaginationem turbant. Fit autem quandoque, quod tincturæ ciborum remaneant in excrementis; ſicuti ſi quis myrtillis veſcitur, cacat ſtercora colorata; ita ſæpe & excrementis imprimitur vel color vel odor medicamenti; ut ſi quis ſulphure utatur, vel oleo aliquo fragrantiori, urina odorem ejus repræſentabit; attamen inde concludi non poteſt, quod medicamentum aliquos humores attrahat; ſed potius quod ſe egredientibus permiſceat. Infantes circa dentitionis tempora, interdum ab ipſo nativitatis exordio, qui nullum unquam deguſtarunt cibum, excernunt varia; quæ tamen aliunde derivari nequeunt in inteſtina, quàm ex venis & arteriis, per ductum biliarium dictum & venas meſaraicas, quorum orificia ab inteſtinis gracilioribus excipiuntur. Sic & ægri multifaria excernunt, quæ non ex ventriculo prodeunt, ſed aliunde, ſive ex anatomia venarum & arteriarum, earumque contento; nec etiam ante vel poſt morbum; ſed ſaltem durante ægritudine. Et quodſi medicus tali patienti exhibuerit ad excernendam bilem, melanagoga, vel cholagoga, ille autem ſeroſis & aqueis humoribus abundet, tum non illa ſed hæc fluent; & ſic vice versâ: Non hæc hic ideò repeto ut aliquid detraham artis authoritati; Nam neceſſe eſt ut alium ſequatur ducem, qui ſe ipſum regere ineptus eſt; Sed ut demonſtrem Medicis, non vim eſſe attractivam in medicamentis, vel humorum diſcriminativam; Sed medicamentum educere humorem in inteſtinis actu contentum; non ſecundùm intentionem Medici, ſed ipſius ſubjecti conſtitutionem, quod purgare intendimus.

SECTIO VII.

Diximus & demonstravimus, quod excrementa non varient ob varietatem virtutum attractivarum medicamentorum, uti in scholis didicimus; sed ob varietatem principiorum seminalium sanguineorum; nam si idem medicamentum, in eadem dosi, duobus patientibus propinatum fuerit, discrepabunt tamen eorum excrementa, quod tamen non fieret, si à virtute attractiva medicamenti prolicerentur eadem in utroque. Sed hæc relinquemus; & inquiremus porro, quod nam tempus vel diei, vel mensis, vel anni, vel morbi, ad purgationem artificialem exhibendam sit accommodatissimum. Quod ad diem attinet; matutinum id esse communiter statuitur, & quidem jejuno stomacho; nec id sanâ ratione destituitur; Nam absolutâ cibi potusque in stomacho concoctione, vel virtutum eorum spiritualium ab excrementitiis separatione, multum proderit maturare excretionem superfluæ massæ, uti inutilis, & sponte exitum molientis; atque cujusque individui natura propensa est mane ad excrementorum exclusionem. Male itaque agunt, qui sub vesperam, à cœna & ituris dormitum medicamenta exhibent, vel exhibenda esse docent. Legitimam enim excretionem, legitima oportet præcessisse digestionem, & perfectam utilis ab inutili factam separationem; si hæc errat, errabit & illa; quod si vero ejus incommodum non sentiatur statim ab initio, sentietur tamen sine dubio brevi post. Digestio cibi requirit moram ejus in stomacho longiorem; sed massa inutilis post absolutam digestionem residua, pondere suo primum gravat naturam, mox gravatura & aliter, nisi mature urgeatur egressus ejus; medicamentum autem purgans, non digestioni cibi, sed excretioni fæcum maturandæ exhibetur; quod si igitur medicamentum citius operari cœperit quam digestio ubi in stomacho sit absoluta, tum una cum inutili

utili & utile simul ad intestina propellet; quod an cum commodo naturæ & sine molestia patientis fieri possit, valde dubito. Nam quicquid molitur ars, etiamsi id bonâ intentione faciat, si tamen invitâ fiat naturâ, id est vel jam actu noxium, vel brevi post futurum. Ideò tutius est & Medico & ægro, sequi rationem potius, quàm authoritatem. Et matutinum tempus præferendum vespertino in præscribenda, vel exhibenda medicina purgante; Præsertim ea, quæ ad purificandum sanguinem à Medico destinatur & ab ægro desideratur. Quod si verò non nisi alvus solvenda, & ejus contenta expellenda sunt; tunc melius clystere & balano, quàm intus per superiora accepto solutivo, id perficietur, cum minori periculo, & majori patientis commodo. Purgantia nunquam vesperi, vel stomacho pleno sunt exhibenda, sed saltem manè, vel stomacho jejuno, & omni cibo vacuo. Nam primus impetus purgantis pharmaci fit in contenta stomachi; secundus in mesaraicarum & intestinorum graciliorum; ultimus in monoculi; superiora tamen, vel quæ primum impetum purgantis medicamenti excipiunt, sunt irritamento inferioribus, ad egrediendum, nam nisi hæc cederent, illa minime per inferiora egredi possent, sed versus stomachum facerent impetum, patienti valde molestum, nam intestinorum contenta simul propellerent ad os; sicuti contingit illis, qui morti proximi, clysteres per infra injectos, per superiora evomunt. Clysteres & glandes quocunque tempore adhibueris, non peccabis; hâc tamen cum cautela; ut nulli per purgantia evacuatâ alvo, adhibeas glandem; sed clysteres, eosque emollientes, & semimortuis tutò applicare possis, sed sine admistione violentiorum purgantium.

SECTIO VIII.

SEd quo morbi tempore purgandum est, an vigente, vel quiescente paroxysmo? Præsertim in febribus, & morbis illis, qui

 per

per intervalla justa recurrunt,ficuti febres; In omnibus suis molitiminibus respicere debet Medicus ad rationes & ad Naturam, ejusque requisita; Authoritatis in praxi nulla est habenda ratio; Meæ enim fidei se committit æger totum, non alterius; ideò non secundum alterius, sed meam propriam conscientiam tractandus erit. Hocque fundamento nixus nullam exhibeo purgantem medicinam extra paroxysmum; nec aliquam exhibendam censeo, qui rationabiliter mederi vult; Nam dum nihil sentio, quod me molestet in intestinis, vel alia aliqua parte excrementa cibi, potus, vel sanguinis continente aut evehente; nihil quoque est, quod ad egrediendum urgeam, atque ita mihimetipsi spontaneam creem molestiam. Vigente autem morbo, vel imminente paroxysmo, natura ipsa efflagitat artis opem, & dictat locum affectum, variisque indiciis, nauseâ, pulsus vehementiâ, inquietudine, tetris imaginibus, frequenti respiratione, siti, urinæ ardore vel rubore, ventris rugitu, aliisque signis prodit præsentiam peregrini hospitis, quo libenter liberari vellet; atque si tunc exhibeatur purgans, affectui conveniens, multum inde boni in patientem redundabit; nec sentietur purgationis molestia, ob affectus vehementiam; Ipsa quoque natura in ipso paroxysmo evacuationes molitur, quas nominamus criticas. Ut autem percipias mentem nostram, amice Lector, scias, nos nomine purgantis medicamenti non saltem intelligere ea pharmaca, quæ ventrem purgant per inferiora vel superiora; sed & ea, quæ sudorem, urinamque cient, scilicet diaphoretica & diuretica, imo & errhina ipsa; Nam si podagrico in extremo ipsius cruciatu exhiberes catarctica; peccares certè; imo ipsum in periculum majus præcipitares; sed si ei exhibueris diuretica vel diaphoretica, tunc; prohibebis ascendere salinas exhalationes ad superiora, & quæ ascenderunt prius, eas per sudores vel urinam evacuando, multum detrahes vehementiæ futuri paroxysmi; Quod si verò in cruciatu podagrico adstricta alvus poscat solutionem; clystere

cam

eam largiori, non autem catarctico, solvere studebis: Quem effluentem excipi cura pelvi suppositititiâ, quam vulgus Steck-Becken nominat; Epileptico autem si vomitivum exhibueris, idque antimoniale vel mercuriale in ipso paroxysmo; plus proficies, quàm si extra paroxysmum alvum centies purgasses. Si verò febricitanti porrexeris catarcticum vel brevi ante, aut in paroxysmo, cum paroxysmo morbum tolles; sed sitienti post sumptum medicamentum, non est negandus potus; sed exhibendus quotiescunque postulaverit. Finito paroxysmo, exhibe sub nocte dosin unam Syrupi de papavere, cum scrupulo uno elixiris P.P. & alterâ die, secundùm cautelam, quam in Fragmento Spagyriæ annotavi, ei in extremitate pedum venam secare cura; atque hoc modo omnem febrem tolles, auxiliante Domino: nempe eam, quæ non est continua, sed intermittens; etiam quartanam. Extra paroxysmum nulla purgatio est utilis; sed aliquæ sunt valde periculosæ; nam ex intermittentibus continuos causantur morbos; vel diuturnos ex brevioribus; Impossibile est ut omnia ad unguem enuntiem; qui rationabiles sunt, ex his paucis plura poterunt mentibus suis assequi. Extra paroxysmum immergendi quoque sunt pedes lixivio tepenti, ex cineribus quercinis, vel faginis composito; Post phlebotomiam ab ejus usu omninò abstinendum, donec vulnus per phlebotomiam inflictum consolidatum fuerit.

SECTIO IX.

MEdicus in cura morborum sexus quoque rationem habere oportet; nam aliter est tractandus masculus, aliter puella, jam nubilis, & in, & extrà paroxysmum, id enim ipsa natura inculcat suis moliminibus. Ideò fœminæ omnes menstruum sanguinis fluxum patientes aliter sunt tractandæ in morbis intermittentibus, quàm masculi; nec etiam omnes similiter, sed singulæ

gulæ peculiariter; nam in omni earum cura respectus est habendus ad menstrui fluxum, itu ut hic à nobis ab ordine suo naturali nunquam divertatur; adeò si scimus fœminam febricitantem per ablationem febrilis paroxysmi in aliquod incommodum obstructionis mensium lapsuram; tutius agemus, si febri neglectâ, menstrui rationem habuerimus: Nam hinc plura & graviora metuenda sunt mala, quàm ex febri; nisi fortassis periculum sit in mora, uti in febribus pestilentialibus contingit. Ideo fœminam febricitantem, vel epilepticam, purgare non est tutum, citius quam proxime imminente menstruorum ordinario fluxu; etiamsi pluribus & vehementioribus infestetur paroxysmis; sed si interea temporis alvus sit adstricta; tunc clysteribus erit emollienda; vel balneis aquæ dulcis: Intus purgantia vehementiora nulla sunt exhibenda; nam si fiat, atque prior affectus cessit; tandem periculosa mensium obstructio, vel inordinatus fluxus, sequi solet; patienti magis molestus, quàm vel febris fuit vel epilepsia; Ideò dum puellam vel viduam purgare volumus, inquirendum est in tempus ejus menstruæ purgationis, ne eam ex minori malo in pejus præcipitemus, negligentiâ nostra aut temeritate; nam quicquid molitur ars in contrarium naturæ, id semper & omne est vel actu noxium, vel certò futurum; Itaque ingruentibus mensibus, sive septimanâ tertiâ postquam fluere cessarunt, purgare fœminam conducit, etiam & in ipso fluxu; sed postquam fluere desierunt per dies integros quatuordecim, nullum purgans fœminis porrigendum; si autem alvus obstipata vel strictior, solutionem efflagitet, ea non nisi clystere, balano, aut mannâ, vel melle cum butyro mista, promovenda. Rhabarbarum, Senna, Cassia, quæ admodum mitia dicuntur, omninò vitanda; multò magis Scammonium, Aloe, & alia violentiora. Interea autem temporis, phlebotomia ipsis erit consulenda, præsertim in extremitatibus pedum vel manuum instituta; Sanguis enim tunc quietior, quàm extra id tempus est; uti in fragmento Spagyriæ no-

ſtræ dictum. Eſt autem & in maribus dierum menſtruorum habenda ratio; non ob aliquam cœleſtem efficaciam, qualem aſtronomi fingunt,& dies aliquos tali ſigno ☞,vel ✠. ‡. ab aliis in adhibitione medicamentorum & phlebotomiæ,diſcernendos docent; Sed quod ſalis in nobis contenti,& Maris,Lunæque motus,magna ſit ſympathia: Luna autem in eum finem à Creatore eſt expanſo implantata, ut omnium oculis conſpicua occultorum motuum entium inferiorum depingeret ſenſibiliter varietatem; ſicuti in Philoſophiæ ſacræ opere id latius demonſtrabimus. Cum Luna moventur & ſucci vegetabilium; & ſanguinis noſtri contenta; Luna tamen non eſt cauſa,ſed ſignum tantum vel index motuum inferiorum. Quia igitur ſanguis & venoſus & arterioſus in corpore noſtro jam major jam minor eſt, jam auctior, jam in ſe ipſum contractior, ideo quoque ab arte minus vel magis commode tractabilis; Nunquam enim adeo commoda & utilis erit purgatio lunâ decreſcente, quàm creſcente; In ipſa die novi & plenilunii exhibere purgantia, eſt conſultiſſimum, & ægris utiliſſimum; ex requiſito naturæ ſalinæ; cujus proprietates ſumus reddituri in meditatione Philoſophiæ ſacræ de Mari. Ex ſupra dictis liquet, quodnam tempus anni ad purgandum ſit accommodatiſſimum, obſervatis obſervandis, quæ de diebus & menſibus recenſuimus; Atque ad præſervationem morborum non tam purgationem, quàm phlebotomiam eſſe utiliorem juſto tempore & locis adhibitam. Non animadvertitur quidem error vel peccatum Medici ſtatim, ſed tardius; ideo damnum, quod ab imprudenti Medico patienti infligitur, ei non imputatur, ſed alii alicui non cauſæ, ut cauſæ.

Mundus enim vult regi opinionibus, & decipi potius, quàm veritati obſequi.

SECTIO X.

UT autem sciat amice Lector quam utile sit & Medico & Ægro Naturæ ductui obsequi, & non semper ab authoritatibus scholasticis dependere; multis id probare possem exemplis; sed unum saltem narrabo, cujus sine dubio adhuc hodie multi testes Dresdæ supersunt; Vixit meo tempore illic adolescens annorũ natus ultrà viginti, Gente Bohemus, Melnicensis Patriâ: Hic ab anno ætatis suæ 19. ad annum usque 26. infestabatur cardialgiâ, à qua patiebatur cruciatus ingentes, ita ut clamor ejus de nocte fermè per mediam urbem audiri potuisset; duravit paroxysmus ille per septem horas, jam remittens jam ingravescens; singulis mensibus interdum bis, interdum semel rediens. Per annos quinque omnium quos ubi habere potuit & Medicorum, & circumforaneorum manus & artes perpessus; malum tamen, de mense in mensem, & anno in annum non minui sed aggravari sensit; Quamvis uti Mater patientis, vidua valde dives, asseverabat, ultra quatuor millia imperialium in Medicos & medicamenta expendisset. Vocatus tandem & ego fui dum Dresdam, Matrem meam in exilium sequutus Pragâ, venissem. Invitus quidem accessi, quia animus meus magis tunc ad militiam quàm ad Medicinam excolendam propendebat; Audivi à Matre, patiente ipso, & amicis ejus, quàm vehemens, quàm frequens, & quàm periculosus esset patientis affectus, ita ut jam 18. celebrium Medicorum industriam illusisset: Attamen ex eorum relatione, omnia quæ scire volebam cognoscere non potui; sed ipse illius paroxysmo à principio ad finem usque præsens esse volebam, ut singula accuratius observare possem; Quarto die relapsus in affectum patiens fuit, ad quem ego vocatus accessi; Ingentes admodum cruciatus sensit jam in pectore jam in ventre, cum multis rugitibus; interea extremam sitim passus; nemo tamen fuit qui potum expetenti aliquem

quem offerre voluisset; ita ut miser ille & à morbo & à siti miserabiliter excarnificatus, imo & carnibus & sanguine exhaustus fuisset; nisi extra paroxysmum lautiori diæta & largiori potu collapsas iterum recollegisset & restaurasset vires. Volebam quidem ego tunc ei præsens potum porrigere; sed mater permittere noluit, verita ne filius quem non nisi unicum habuit, moreretur, in hunc timorem Medicorum omnium minis prolapsa. Prævalui tamen ego omnibus postea, recusavi enim matri opem & consilium meum, nisi omnia mea sequi vellet; consenserunt omnes amici, sed patiens solum id sibi licere desiderabat; sentiebant enim se de vita periclitaturum nisi id ei in paroxysmo concederetur. Paucis post diebus in paroxysmum consuetum relapsus patiens; aderant amici & viri & fœminæ p ures, primarius enim fuit è Patriciis Melnicensibus patiens, accessi & ego vocatus; ægroque toties quoties potum postulavit, eum exhibui; quem tamen ille subito evomuit vix in stomachum ingressum, & mox quasi in somnum prolapsus momentaneum quietus jacuit; sed mox iterum à priori cruciatu oppressus, potum sibi exhiberi postulavit; quod toties factum quoties patiens id desideravit; Sed ut brevi dicam, patiens illâ nocte, ultra enim bihorii morbus citra consuetudinem protractus fuit, ebibit cerevisiæ Turgensis, pro Imperiali uno & grossis cōmunibus Saxonicis 18. sive mensuras Dresdenses ordinarias 42. Impossibile id quidem fuisset futurum, nisi bibitam semper evomuisset. Quoniam autem cellâ cerevisiariâ urbanâ clausâ, nulla amplius haberi inde potuit, malum autem torquere ægrum non cessavit, & ille indesinenter potum desideravit, manus violentas sibi illaturum minatus, nisi impetraret; allatæ sunt ex vicinis ædibus cerevisiæ tenuioris mensuræ 12. Quas identidem exhausit æger, sed repente per vomitū ejecit; Vicinis autem dormientibus nulla amplius ab eis cerevisia haberi potuit, ideo ex fonte Electoris stabulo vicino aqua hauriri oportuit, cujus adhuc mensuras aliquot ebibit patiens; postmodum in quie-

tem prolapſus profundiorem; ad meridiem usque continuò dormivit, ita ut adſtantes amici exiſtimaſſent, eum omninò mortuum vel brevi moriturum, per adeo crebras vomitiones omnibus viribus ſpoliatum. Diſceſſi ego quoque diluculo imminente, & ipſe aliquandiu quieturus. Brevi poſt meridiem evigilavit patiens, ſed valde debilis, raucâ voce vix intelligibilia proferens verba: Vocatus chyrurgus qui de vulgi conſuetudine guttur ablueret ſyphone irroratum; is temerarius judicavit patientem agonizare, & paſtorem advocandum conſuluit, quod & factum. Rumor brevi per integram urbem auditus Chriſtianum NN. mortuum, ad meas quoque aures delatus fuit; Et me, aliud quid mihi de ægro promittentem primum perterruit, atque patientem viſitare coegit; Dum ad eum acceſſiſſem nulla ſigna mortis reperi, ſed omnia meliorem ſtatum ægri futurum ſpondentia; In matrem & chyrurgum illius falſi rumoris authorem concitatior fui; & tantillum abfuit, quod chyrurgum pro merito non tractaſſem; tandem ad matrem converſus in nomine Domini ei promiſi, filium ejus non ſaltem victurum, ſed ab antiquo ſuo malo omninò liberatum iri, atque proxime futurâ die eum mecum exiturum & coram oculis ejus ſaltaturum; audivit quidem mater ſuavia me promittentem inter ſpem & metum media; Poſt patientem alloquutus experrectum, quæſivi, quomodo ſe haberet; Ita ut vides, reſpondit, debilis valde ſum; Quæſivi an aliquid edulii ſibi porrigi expeteret; non negavit quidem omninò, ſed ſe non eſurire dixit; attamen oblatum ei ovum frixum, cui poma duo acidiuſcula immiſta fuerunt, condita pauculo zinzibere, avide edit, & ſuperbibito hauſtu vini rubri Melnicenſis, iterum in ſomnum relapſus fuit, & per integram noctem dormivit, donec poſtero die hora octavâ à me ſuſcitatus evigilaſſet; tum ego eum monui ut ſurgeret, unguesque ejus reſecui, manus & faciem frigidâ lavi, induſium recens indui, ſurgere & veſtes induere compuli; comminatus me nunquam rediturum, niſi obſequeretur; ideò indu-

tus ad amicum nostrum communem me comitatus fuit; servo ei adlatus adjuncto; debilis enim adhuc fuit,& libere gradi ineptus; atque sic eum tertiâ die redivivum ad amicos adduxi, nos cum opiparo prandio, quod in eum finem apparari curavi, præstolantes; finito prandio patientem ad matrem de successu filii sollicitam reduxi, non ut prius debilem,sed largiori haustu vini refocillatum; ita ut me authore in conspectu matris cum ancilla saltaret, id enim promiseram pridie futurum; quo facto ad lectum duxi, qui eam noctem quietus transegit; succedente die ambo equis insidentes per horas tres nos exercuimus; ad meridiem domum reversi pransimus; Atque hic fuit morbi illius exitus, nullumque postea sensit amplius ab eo incommodum. Historiam hanc hic prolixius narrare volui, demonstraturus, quod sine adhibitione medicamentorum purgantium multi possint curari & abigi morbi, si plus naturæ quam artis haberetur apud nos ratio. Visitavit me prædictus patiens jam Bremæ habitantem,post años elapsos 19. nullas interea perpessus ab antiquo affectu molestias: fortasse hucusque superstes. Plures possem recensere historias priori similes; sed hæc una pro præsenti sufficiat.

SECTIO XI.

NOn hic hæc scribo in contemptum artis, vel medicamentorum, quasi omnes ægri hoc modo convalescere, vel morbi mitigari, figi,aut abigi possint; Sed ut demonstrem,quod plura & præstantiora fieri possent à Medicis, si solam Naturam ducem sequerentur in suis moliminibus artificialibus, quàm fit, non nisi ab authoritate Doctorum scholasticorum pendere amantibus, & experimentis sine ratione confidentibus, cum ipsorum dedecore, patientumque maximo damno & pernitie. Natura quidem se flecti patitur ab arte huc & illuc, quia bruta est; sed spe ocyus, ad sua officia recurrit, ita ut tandem non ars ipsi, sed illa arti prævaleat.

leat. Nam si natura nitatur evacuare excrementum, ipsi aliquo modo onerosum; si non pondere, attamen sapore, odore, calore; sed per se ipsam id efficere nequeat absq; vehiculo, vel manu auxiliari; Medicus autem neget id, vel tale ei, quod ipsa & quale efflagitat, tum ipse erit naturæ molestior, quàm morbus ipse. Quod si verò Natura excrementi sursum potius vergat quam deorsum, vel huc potius quàm illùc; Medicus verò in contrarium nitatur suis remediis, tum nec ipse assequitur quod vult; nec Natura quod potuisset vel fecisset, quamvis tardius, intentione vel mediis Medici non impedita. Experientia ipsa quoque loquitur, quod medicamenta non semper sequantur opinionem Medici, vel ita operentur uti existimarunt vel ægris promiserunt; sed quo natura excrementi declinaverit magis; rarò secundum intentionem Medici, vel spem ægri ex toto: sed sæpè & huic & illi contrario vel modo vel eventu; nam æger aut moritur aliud quid ominante Medico, vel prognosticante; vel convalescit, contrarium minitante hoc, sperante illo. Ideo semper tutius est, si non ob famam & lucrum, tamen ob conscientiam, Naturæ habere respectum, plus quam artis & ejus axiomatum. Nam quid agere aut relinquere debeat Medicus, præsentem sibi ubique habet doctorem & dictatorem, nempe naturam patientem & afficientem; illam ægri, hanc morbi; hæ autem neutræ mutantur secundùm beneplacitum artis, sed artem & opera, medicamenta, eorumque dosin & administrationis modum, docent variare Medicum, rationis lumine illuminatum; præcepta artis inductiones sunt ad sapientiam & ad praxin; in praxi autem quiescunt; nam hæc quotidie nova aliqua dictat, antiquis Medicis & scholis incognita. Ideo inquit Fernelius; Quod qui methodum, scilicet scholasticam, in omnibus nimium pertinaciter exquirit, pariter cum morbo hominem de medio tollat. Ex hoc causa fit, quod circumforanei, & sordidæ anus interdum celeberrimis prærogent Medicis, ignaræ quid per eas actum sit; casu enim

for-

fortuito, magnos abolent morbos, quos Medici incurabiles reliquerunt; non quidem proprio eorum ingenio, sed quod naturæ plus obsecundaverint quam Medici; Eventus quoque bonus purgantis medicamenti non est judicandus ex frequenti dejectione alvi, vel quod venter prius inflatus detumuerit; vel quod symptomata ægrum molestantia, magnâ ex parte vel omninò cessarint; vel tardius recrudescant; Nam sic judicat vulgus à sensuum testimonio pendulum; vel rudiores ægri; quia id solum vovebant quod contigit. Sed urina benè colorata, satis copiosa, somnus naturalis, nec multus, nec brevis; Membri virilis erectio, mens jucunda, omnisq; metus expers; integræ & duraturæ sanitatis sunt indicia. Quamdiu autem horum aliquæ desunt, vacillat adhuc Natura, inter spem & metum media; atque à recidiva nondum est tuta securitas. Hæc autem dicere vel audiri volumus de morbis chronicis & inveteratis; Quæ purgationes fine necessitate præscribuntur aut hauriuntur; eorum successus ex opinione patientis pendet.

SECTIO XII.

PUrgantibus catharticis, affinia sunt diaphoretica & diuretica; in quorum administratione & usu magna quoq; est opus cautelâ. Horum enim virtute & medio, multũ quoq; consulitur valetudini, & detrahitur morbis. Conducunt autem diaphoretica ad expellendos vapores salinos excrementitios per poros cutis; atque horum evacuatio non saltem æquipollet necessitate & utilitate catharticis, sed interdum his præstat; in morbis præsertim pestilentialibus, acutis & subito invadentibus; ita quoque in omnibus exanthematis, pustulis, & petechiis. Nam in his non cathartica, sed diaphoretica multum prosunt. Diuretica autem, sive urinam cientia medicamenta, vapores per anatomiam sanguinis dispersos coagulant, contrahunt & deorsum repercutiunt adre-

ad renes & vesicam; ideo in hydrope, fluxu hepatico, dysenteria; cum diaphoreticis de utilitate certant. Quoniam vero cuilibet humori, ponderoso, singularia sunt ab arte destinata remedia, chologoga, phlegmagoga & melanagoga ideò dicta; miror certe quare Ars talem differentiam diaphoreticorum & diureticorum quoque facere neglexerit, & sudori bilioso, phlegmatico, & melancholico vel atrabiliario nullum singulare appropriaverit; nam vapores tam variare oportet ac humores; si vero unum diaphoreticum omnibus indifferenter sudoribus pellendis conducit; ex eadem ratione unum idemque solutivum sine discrimine omnibus humoribus educendis pariter inserviet. Si vero singuli humores peculiaria requirunt ad purgationem remedia, tum certe sic & sudores biliosi à melancholicis diversis pelli debebunt; præsertim cum observatum sit, ægros sincerum sanguinem sudasse, æq; ac vomuisse vel cacasse. Vel an sola bilis, melancholia, vel solum phlegma aut sanguis in vaporem dissolvitur; vel vapores ex pluribus ascendentes sic commiscentur & uniuntur, ut unâ opera omnes simul evacuari possint? Mihi videtur si omnes humores sunt obnoxii putrefactioni, ex omnibus quoque vapores spirare, & ex singulis peculiares, tum ad sudorum, tum ad urinæ emunctoria; atque sic peculiari sudori & urinæ, peculiare quoque deberi medicamentum & diaphoreticum & diureticum. Sed respondebit mihi aliquis sine dubio, plurimas diaphoreticorum & diureticorum exstare formulas, tum simplices tum compositas; Ita quidem est, quod nullus in diaphoreticis nec diureticis reperiatur defectus inter naturæ thesauros, sed horum tanta est ubertas ac catharticorum; sed diaphoretica sicuti & diuretica destituuntur titulis humoralibus: ideo hic aliquod latet mysterium, aut omnino cognitionis defectus. Nam diaphoreticorum plurimæ formulæ, scilicet artificialium & compositorum, non videntur inventæ esse ex requisito necessitatis naturæ; sed ægrorum pertinatiæ, quorum aliqui ita obstinati sunt animo,

ut mori malint, quam gustare aliquid de medicamentis amarioribus, vel gustui inamœnis; Atque ob talium gratiam, & catharticorum, & diaphoreticorum & diureticorum tanta jam prostat copia, potius inutilis quàm necessaria; Ex India petuntur cum summis sumptibus & periculis, quorum domi tamen nullus est defectus in rebus, sed in cognitione magnus. Sed scias Christiane Lector quod domestica & simplicia, exoticis præstent & compositis, & efficaciâ & utilitate, tum ad præsens, tum ad futurum. Inter omnia quæ natura parens nobis ubique suppeditat, in familia minerali & metallica, sunt virtuosissima; Sed ego suaserim omnibus medicinam exercere volentibus, ut citius discant cognoscere morborum principia, tempora, generationisque modum, quàm medicamenta specifica ex authoribus corradere; Et prius adsuescant praxi, quàm empyriæ. Botanica & Anatomia per annum unum vel duos ad summum à solerti ingenio addiscitur; sed sapientia, in praxi quotidie novas lectiones & regulas dictat, ita ut meritò vocetur ars longa sed vita brevis. Mineralia Corpora sunt centralia, in quibus degunt spiritus extremè fortes & activissimi; ideò sunt fermenta & purgantia universalia; Sed nisi cautè quis eis uti sciat, plus noxæ quàm commodi inferunt patientibus; nam subitò quidem agunt & vehementer quæ agunt; verùm quia repercussivam vim habent fermentativæ associatam, ideò repercusso vapori vel humori miscentur eorum aliqui atomi, ex quibus, aliquandiu quidem quietes, tandem tamen periculosæ admodum nascuntur recidivæ, primis affectibus graviores, uti suo loco diximus. Verùm ut brevibus dicam, quod volo; Ab omnibus mineralibus & catharticis & diaphoreticis abstine, si per vegetabilia & animalia præstare possis quod vis; in desperatis & malignis affectibus, mineralibus tuto uti potes; hâc tamen cum cautela, ut in ægro integræ sanitati restituto, non negligas phlebotomiam in manuum vel pedum extremitate, ob præcavendas omnes recidivas. Domesticis medicamentis & vegetabi-

getabilibus, Medicinam exercere incipienti, est tutissimum, & ob famam, & ob conscientiam. Inter exotica diaphoretica & diuretica, præstantissimus est lapis bezoardicus Orientalis & Occidentalis; Ille copiosiorem sudorem, hic urinam fortius ciet. Sola sambucus præstabit omnia in defectu exoticorum, & quæ à catharticis, & diaphoreticis vel diureticis speramus. Frutex omnibus terris notissimus, universalia medicamenta ad internos & externos affectus accommodatissima ubique terrarum suppeditat; uti in Capite de medicamentis docebimus. Radices esculentæ omnes sunt diureticæ vel diaphoreticæ; Quarum sapor acrior vel acutior, earum virtus quoque est intensior. Sed qui diaphoreticis aut diureticis uti vult cum bono successu, illis sub noctem iturus dormitum utatur, ita ut cum somno operari possint; Atq; tunc omnia & sine periculo & sine molestia succedent; Nam diaphoretica & diuretica non possunt integras suas virtutes exerere vigilante animali, sed id faciunt tantum dormiente; nam spiritus uniti sunt fortiores, quam divisi; Ideò massa sanguinea magis calet, & fortius movetur de nocte quàm de die; & quamvis plures vapores spiret de nocte quàm de die, plures tamen consumere & expellere potest quoque de nocte. Sudoris bonitas judicanda est, non ex ejus copia, sed ex subsequente totius corporis jucunditate, quam, quo nomine appellare debeam nescio; quia tale bonum est, quod non est communicativum sui, nec alteri alicui notum, quàm illi qui expertus est. Hîc quoque aliquid de errhinis, bechicis, & apophlegmatismis monendum esset, eorumque usu; sed ea ad Caput de medicamentis differemus.

SECTIO XIII.

IN sectione 9. hujus capitis mentionem brevem fecimus, de cautelis in purgandis fœminis observandis; sed ea prolixius hic repetere operæ pretium judicavimus. Quia igitur natura & Deus ipse hominem per sexum divisit, necesse est ut Medicus præ-

ſertim in curatione morborum utriusque ſexus juſtum quoque faciat diſcrimen. In cura fœminei ſexus ſolius menſis eſt habenda ratio, non autem lunæ cœleſtis; nam fœminæ menſtruatim purgantur, non tamen ſingulæ ſimul & ſemel; ſed diverſis temporibus diverſæ; nec certum eſt id axioma quod docet, ſeniores vetere, juniores autem novâ lunâ purgari; Et tamen omnes menſtruis intervallis purgari debent, quæ purgatio ſi ſemel ſaltem ab ordine conſueto aberrârit non erit ſine noxa; multò magis erit noxia ſi id ſæpius fiat, vel diutius continuet. Tempus autem menſtruæ illius purgationis nullum eſt à natura juſtum definitum, ejus vel exordii vel terminationis: In quibusdam ocyus, in aliis ſerius & prorumpunt & ceſſant menſtruæ purgationes. Ab anno autem nono vel undecimo in plurimis futuri ordinarii vel menſtrui fluxus ſe produnt indicia, ita ut aliquæ in pectore, aliquæ in capite aliqua præſentiant imminentis incommoda; non nullæ convulſiones epilepticis non diſſimiles patiuntur aliquandiu citius quàm menſes erumpant; quæ durare, & circa tempora eorum imminentis fluxus ingraveſcere ſolent, usque ad annum 14. vel 16. circa quæ tempora ordinarius menſtruus fluxus incipit. Igitur maximâ cautelâ in affectibus puellarum curandis opus eſt; Nam hæ non ſunt purgandæ extra tempus apparitionis ſignorum prædictorum; Quædam furiunt omninò, quædam vero prophetico more agunt, & viſiones ſe videre autumant; cum tamen imagines ſint, ex ſanguine ebulliente menſtruatim fictæ, viſiones illæ quæ puellas exercent, vel turbant aut dementant. Quod ſi indiciorum talium obſervatio negligatur à Medico in exhibendis catharticis violentioribus; tum periculoſæ ſolent ſubſequi tales Medicorum errores, menſium obſtructiones, vel erronei fluxus, ſi nempe puellæ medicamenti purgantis violentiâ ab ordine naturæ ſuæ deturbatæ fuerint primùm; & valetudinariæ manent per vitam integram: Nam natura per artis ductum ſe patitur deturbari à lege ſua, & tranſmu-

tari per consuetudinem in virtutem peregrinam; cum patientis magno & irreparabili incommodo. Quod si igitur puella novennis epileptica, vel tussiens, vel febricitans, aut alio aliquo affectu graviori affecta alicui curanda occurrat; illa quamvis nondum menstruas patiatur sanguinis efflorescentias, in tali mensura & modo uti post; tamen justis intervallis produnt se impetus in sanguine subsequuturi fluxus, menstruatim ingravescentes, in quibusdam subjectis circa annos illos; Igitur in talia signa inquirere debet Medicus, & eorum intervalla studiose observabit, ob errores evitandos; patienti ob futura incommoda valde periculosos; Nec exhibeat tali puellæ aliquod purgans vehementius, nisi præsentibus indiciis sanguinei motus; sed saltem clysteribus, si adstrictior fuerit alvus, vel cibis liquidioribus, succurrat obstructioni. Præsentibus autem indiciis sanguineæ ebullitionis, tum & pro præsenti valde bonum successum habebit, & adversus futura mala eam præservabit. Fermentativa enim medicamenti virtus, digestivam facultatem sanguinis excitabit & juvabit in opere ejus naturali, quæque in sanguine hærent naturæ onerosa, ea justis temporibus evacuari consueta, eum ordinem continuabunt & in successuris annis. Infantes minorennes, purgandi omninò non sunt, nisi circa novilunia; vel vomitivis admodum levibus; Lactantibus, si tantillum spiritus vini exhibueris, plus proficies, quàm alio aliquo pharmaco; In prægnantium cura, semper est respiciendum in tempus prioris menstruæ purgationis; Nam circa eosdem dies & in prægnantibus efflorescit sanguis quandoque; Et quod si non per matricem, per venas tamen hæmorrhoides, imo quandoque per vomitum, vel sputum cruentum, suis se exonerat, vel exonerare quærit molestiis; Nec semper tutum est, ejus motum cohibere vel reprimere; Ne quid contra naturæ legem moliamur, atque infanti simul sicuti matri noceamus; Nam si malignitas excrementi sanguinei imprimetur infanti; tum ille vel defectum aliquem in membris patietur,

vel

vel in vita, vitæque requisitis: Si autem sanguinem ad motum irritaverimus, eum ad quietem proniorem, tum infans valetudinarius manebit, per vitam integram; vel fœmina abortiet. Fœminæ ætatis provectioris, quorum motus sanguinis ordinarius cessavit; Circa tempus prioris eorum consuetudinis purgandæ sunt; nam cessante excretione, non cessat omninò impetus in sanguine, quamvis ille menstruatim remittat; tamen signa quædam vel motus ejus ordinarii indicia remanent in sanguine, continuantque diu, & fluxu emanente; Nec etiam innoxiæ omninò sunt in venis sanguini permistæ fæces; sed vel in capite, pectore, dorso, matrice, vel hæmorrhoidibus, & pedibus, suis tincturis salinis se produnt; interdum ulcera phagædenica producunt, vel alio modo vexant fœminas. Novi honestam quandam matronam, quæ anno ætatis 14. filium enixa, sine ullo menstrui præcedentis indicio; dum annum egisset 21. septimi infantis mater fuit, vegeta & valens semper; quam diu vixerit; asseverare nequeo; tamen à discessu meo, elapsis annis 12, eam adhuc vivere audivi plurium liberorum parentem. Alia, & quidem provectioris ætatis, nempe prope 50. annorum, ab ipso imprægnationis exordio, continuo hæmorrhoidum fluxu vexabatur; 14. autem dies ante partum, venâ in utroque pedis pollice sectâ, ab affectu suo quasi in momento liberata fuit, filiolam peperit bene valentem, sine omni doloroso conatu; quæ etiam vixit quousque ego ipsi in vicinia cohabitassem; sed & longius, discessi enim ego ad Exercitum Suecicum vocatus; Pirnæ hæc facta sunt, Anno 1630. Ideò autem ego hic hæc repeto, ut demonstrem, artis præcepta in praxi strictè admodum custodienda non esse; sed plus ad naturam & patientis & morbi respiciendum.

SECTIO XIV.

INter evacuationis ſpecies recenſenda quoque eſt phlebotomia & ſcarificatio, per quas ſanguis ex corpore extrahitur, vel emittitur; atque hoc modo inſtituta evacuatio æque utilis, imò neceſſaria judicatur eſſe, & eſt, ac per ſedes vel vomitum promota. Igitur & quæ hic notatu digna ſint, in gratiam praxin Medicam exercentium, monebimus: Prius dilutis quibusdam dubiis penes communem doctrinam de phlebotomia occurrentibus; Diximus nos ſanguinem in venis contentum, eſſe ſuccum homogeneum, ſive ſingulas ejus particulas ejusdem eſſe nominis cum toto; ſed in eo occultari materialiter infinitos ſapores, odores, colores; & ob hanc cauſam eum appellavimus, abyſſum, ex qua emergunt in lucem formæ prædictæ variis gradibus ab invicem diſcrepantes; ſed hâc ſententiâ læſimus auriculas unius Philoſophi, qui tamen nihil habet in ſua Philoſophica ſynopſi, quod non corraſerit aliunde; ita ut confuſum chaos pronuntiaret ſententiam illam, quæ materiam rei generabilis in ſuperficiem & abyſſum dividit; & nimiæ impudentiæ ſignum eſſe, contrarium Ariſtoteli ſtatuere, judicaret: Sed ſi mihi fata vitam protraxerint aliquandiu, reſpondebo illi bono viro ſecundum meritum ejus, tantiſper gaudeat ſuâ garrulitate. Attamen idem quod & ego de ſanguine, ſed aliis verbis, docent ſcholæ. Dicunt enim humores quatuor ita accurate & exquiſite permiſtos eſſe in venis, ut nullus ne minimum quidem à cæteris disjunctus compareat; Sed an id non eſt idem dicere quod nos diximus? Si dixero lac humorem eſſe homogeneum; alter vero aſſerat cremorem & ſerum in lacte ſic contineri ut nullo ſenſu ab invicem diſcriminari poſſit, dic quæſo amice Lector quomodo diſcrepemus ſententiâ? Sed ſanguis ſine dubio talis effluit venâ ſectâ, qualis eſt in venis; ille autem eſt aliquandiu omnino homogeneus & in vaſa è venis exceptus: ſed ſenſi-

sensim mutatur & heterogeneam acquirit formam qualem prius non habuit; Nihil autem generatur ex sanguine, quod prius in eo sub homogeneitate occultatum non fuisset. Si autem homogenea est sanguinis substantia ante, in, & post; Hinc nova orietur quæstio, nempe an sanguis vel vires vel vasa gravās, vel quantitate & qualitate peccans, homogeneus tamen sit, sicuti bene se habens? Quodsi autem sub utraque conditione talis est ejus constitutio; Quomodo potest de eo dici, quod aliquà sui parte putrescat, & febrem causetur; nempe eâ quæ in venis cordi proximis hæret: Nam si putrescit aliqua ejus pars; tunc ea putredo non est intermittens, sed continua; atque continuæ febres nascuntur inde non autem intermittentes; Quod si vero non aliqua saltem ejus portio putredine infecta est, sed integra substantia; tum sententia prior de Febrium origine vacillabit. Vel novum iterum nascetur dubium; Nempe quomodo possit sola bilis putrescere, cum tamen à sanguine, phlegmate, vel atra bile discreta non sit? Quod ex sanguinea massa, heterogenea procedant excrementa, de eo nullum est dubium; Sed quomodo una pars sanguinis putrescere possit, altera non, cum tamen ambæ sibi invicem arctissimè permistæ cohæreant; id solum est demonstratione dignum. Quare autem fit quod vel per hæmorrhagiam narium, vel pustulas labiorum; vel per sudorem ex universo corpore erumpētem, vel per sanguinis ex vena evacuationem à corde remotiori, solvatur febris; si tamen ejus radix non alibi hæret quam in venis cordi proximis? Si sola bilis putrescit, vel solum phlegma, vel humor melancholicus, quare igitur sine discrimine sanguis evacuatur syncerus & homogeneus, in quo egresso nulla omnino apparent putredinis indicia; nullus fœtor, qui tamen putredinis individuus comes est; aut sanguinis putrefactio alia erit putrefactionis species, quæ singularibus debet manifestari indiciis, non autem illis quæ in carnium putrefactione adesse solent. Attamen revera causa morbi hæret in sanguine; nam non cessarent vel sympto-

ſymptomata ingraveſcere vel continuare poſt phlebotomiam, ſed manerent poſt in ſtatu phlebotomiam præcedente ſimili; quod tamen non fit: ſed ægri ſentiunt reverà remiſſionem dolorum poſt admiſſam phlebotomiam. Si ſolo pondere, aut quantitatis exceſſu naturæ fuiſſet oneroſus & patienti dolorificus; tunc detractâ illa quantitate quà juſtitiam requiſitam naturæ exceſſit, convaleſcerent ægri; ſed plurimi æque dolent etiam eo largiſſime effuſo; Atque ſic phlebotomia ſuaderi debebit non ſaltem ob minuendam quantitatem ſanguinis, ſed ob arcenda vel abigenda alia incommoda, quàm quantitatis exceſſus eſt; ſcilicet caloris, ſaporis, vel motus vehemẽtiæ mitigationem. Sanguinis nulla eſt in venis hærentis homine ſuperſtite putrefactio; ideò ad eam prohibendam vel arcẽdam nulla mediorum vel remediorum eſt neceſſitas; Si ſanguis in venis putreſceret, tum motus ejus omninò ablatus eſſet, nec proſiliret tanto cum impetu, præſertim conſtrictâ venâ, ſicuti fit, vulnere ei inflicto. Sed ſangis in venis indefeſſo movetur motu, jam fortiori jam remiſſiori; non tamen circulari ut ſomniant aliqui; ſed digeſtivo, qualiter muſtum in vaſe movetur; nam pars ejus una incipit eſſe ſanguis; altera autem eſſe deſinit, utriusque vero partes per vapores colligantur; nam vapor eſt citius quàm ſanguis fiat, ita quoque vapor ſanguinis formam exuens induens excrementitiam, ſublatâ illâ in corpore mutatione vaporosâ, ceſſat vivere animal, & divellitur ſpiritus à corpote vel ejus cum hoc commercium aboletur. Si igitur plures vapores in ſanguine naſcantur iique acriores, quam naturæ quotidiana lex eos ferre poteſt, tunc dolet homo, eousque quousque generatio vel multiplicatio ſuperfluorum vaporum interrupta non fuerit; quo facto, & dolor remittet, & calor extaordinarius & motus vel pulſus vehementiâ; Atque id ſolum confert utilitatis phlebotomia in præſenti, præſertim ex venis ab extremitate remotioribus prolecto ſanguine; Vulneratis autem venarum extremitatibus, tum non ſaltem pondere vel quantitate

ſan-

sanguinis exonerantur venæ; sed seminariis aliis, quæ massam sanguinis integram variis inquinarunt tincturis. Quo crassior autem & gravior fuerit sanguis ex venis egressus, tantò majus commodum sentit phlebotomiam passus. Nam portio sanguinis in extremitatibus pedum hærens, non est inquinata, sed inquinans; ita ut hujus unica gutta plus molestiæ & damni causare possit, quam superioris unciæ plures; uti alibi demonstravimus.

SECTIO XV.

SCarificationis quoque magna est utilitas, præsertim illius, quæ in manibus pedibusque fit; nam sunt ægri, qui valde metuunt à phlebotomia, ita ut decies malint scarificationem pati, quàm semel admittere phlebotomiam; ideò sæpè hæc loco illius suadetur: atque ad præcavendam fontanellorum incommoditatem est accommodatissima; Nam vapores per universum corpus oberrantes & variis saporibus ægros infestantes, foràs prolicit, & evacuat, unà cum sanguinis portionibus extrema petere consuetis, quæ communiter fuligines salinas continent, per sudorem erumpentes, vel cutim nisi maturè satis proruperint, pruriginibus, lichenis, & variâ scabie defædantes; ideò vapores infernè ad caput ascendentes fortiter revellunt, vertiginosis, cephalalgicis, epilepticis affectibus multum conducunt; Sequentes tamen cautelas adhibere bonum est citius quàm ad scarificationem veniatur: 1. Ut cucurbitulæ solæ sine scarificatione admoveantur bis vel ter, vel biduum aut triduum ante scarificationem eadem horâ quâ postero die scarificare proponimus. 2. Ut nulla scarificatio fiat supra genua, sed saltem infra & in pedum convexo: quamvis cucurbitæ prædictis locis affigi possint. 3. Ut pluribus cucurbitis affixis, non nisi unam, scilicet infimam, scarifices, reliquis tempore scarificationis omnino remotis. 4. Si æger pati velit; ut circa un-

gues pollicis utriusque vulneretur cutis, ad proliciendum inde sanguinem quantum illius haberi possit; nam nullus est salsior, atque proinde corpori pernitiosior acille, qui ad radices unguium hæret; ex quo putrescente pterygia nascuntur. Si in manibus scarificandum, eædem cautelæ erunt servandæ; Cervici, scapulis, brachiis applicari quidem possunt vel debent cucurbitæ; sed scarificandum saltem in manibus, remotis cucurbitulis omnibus superioribus in scarificationis actu. Sanguinem per scarificationem prolicitum, cura in hortum deportari super gramen vel herbas; vel in fluentem rivum abjici; ob causas certè non superstitiosas, sed justas & naturales, quarum alibi mentio fiet. In scarificationis actu, temporis quoque est habenda ratio, & diuturni & menstrui; nam Lunà cadente, diebus novilunio proximis, horisque pomeridianis instituta, multum proderit; secus erit inutilis. Exigente necessitate eam menstruatim repetere conducit, eo quo dictum est modo. Sunt qui per scarificationem aquas hydropicorum educere tentarunt; sed raro cum bono eventu; quamvis interdum eventus voto responderit; attamen nulli id suaserim, nisi in morbis omnino desperatis, & qui incisionem qualemcunque pati volunt, quàm molestias hydropis. Fœminis scarificatio est noxia, si eis adhibeatur appropinquante menstruorum fluxu; sed postquam menstrui purgatio quievit, ad diem usque 12. adhiberi tutò potest; ideò in sexu illo non Lunæ cœlestis, sed cujuslibet individui habenda erit ratio, sicuti in phlebotomia, & evacuatione per catarrthica, ita & in scarificatione. Ut omnia rationabiliter fiant.

SECTIO XVI.

NOn autem purgantia tantum vel solutiva semper efflagitat necessitas; sed sæpe & coagulativa, ligativa & stiptica; quando videlicet vel alvi, vel sanguinis, vel sudoris, vel urinæ fluxus.

fluxus immoderatior ægrum molestat, quem sine jactura virium, imò vitæ periculo diu pati consultum non est; sed quantum per artes & vires humanas fieri potest, cohibendum cogit præsens, vel mox imminens, periculum præsenti majus. Sed singulari prudentià opus est in cohibendo omni symptomatico fluxu; sed Critici, nam eorum est magna commoditas, omninò ab arte sunt negligendi: Ideò primum semper attendendum est in causam fluxus omnis immoderatioris intrinsecam, an ea sit fatalis, an autem arbitrio subsit patientis vel Medici; vel an sit cohibenda aut relinquenda, donec sponte quiescat: Sæpe enim idem est, si constipetur fluxus aliquis, ac si guttur comprimatur, vel repressâ respiratione suffocetur æger; Attamen omnem sine fræno relinquere, identidem periculosum, præsertim viribus jam exhaustis: Quid igitur in singulis fluxibus agendum. In alvi immoderatiori fluxu à clysteribus exordiendum, iisque pinguioribus, ut intestina eorum lubricitate muniantur adversus acrimoniam salis, interiorem substantiam intestinorum arrodentis; quod ex excrementis videre est, si fiat vel non. Quod si verò clysteres pinguiores non sufficiunt ad mitigationem saporis humorum per intestina egredientium; tum illi parandi erunt ex decocto capitis vel pedum vitulinorum; Interea anodynis extrinsecus fovendæ manuum & pedum extremitates: Potus diuretici præbibendi vel vina optime defæcata, vel spiritus sublimati, ut ad poros vel renes derivari possint ab intestinis excrementa salina alvum vehementius abstergentia. Alternis quoque diebus præsertim in noctem, exhibendum erit granum unum Laudani Opiati, cum alicujus diaphoretici vehiculo; Diuretici & cibi & potus subministrandi; nonque tam constipandæ alvo, sed sanguinis immoderatiori fermentationi succurrendum; frigidæ potus, etiam cerevisiæ vitandus, si verò ægri frigidiorem exigant potum, vinum est eis exhibendum defæcatissimum, & valde inebrians; nulla decocta, syrupi, vel julapia. Lienteriæ imò

& dysenteriæ sæpe largiori haustu vini & sublimati, singulis vesperis continuato curatæ sunt; uti in Exercitu Serenissimi Regis Sueciæ ad Norimbergam commorante, in quo tunc maligna diarrhæa grassabatur, millies experti sumus; non sine rationis censura. Tutissima autem sunt in omni alvi fluxu symptomatico anodyna, à prudente Medico in justa dosi, & tempore debito præscripta; Hæc enim sanguinis motum vehementiorem reprimunt, & vapores inde copiosius halantes mitigant, & dolores demulcent; non ob vim saltem eorum stupefactivam; Nam si stupore saltem sensibus inducto patientem à doloris molestia liberarent, non possent constipare alvum, sed hæc nolentibus volentibus ægris flueret; quod tamen non fit; Habent enim anodyna vim quandam ipsis insitam repercussivam & unitivam, eamque valde subtilem & penetrativam, ita ut pertingat ad medullas usque. Quod si verò post unam & alteram dosin medicamenti anodyni, allevari malum non sentiatur; quod ex urina copiosiore & ventris crepitibus deprehendi potest; suaserim ut Medicus quantum possit sibi temperet ab internorum medicamentorum præscriptione; sed saltem externis utatur; epithematis, unguentis, emplastris; ob evitandos rumores vulgi sinistriores.

SECTIO XVII.

SÆpè quoque ex venis sanguis prorumpit, ita ut jam per vomitum copiosius valdè ejiciatur; jam per sedes, per urinam, per hæmorrhoides, per uterum, per nares; interdum ex ruptis venis pedum valde largus effluat; Quibus affectibus per experimenta potius, quàm rationabilibus mediis obviam itur, sed rarò cum felici successu; Omnibus talibus affectibus medetur phlebotomia vel scarificatio, à rationali Medico justè adhibita, & pro diversitate necessitatis sæpius repetita. Quod si verò tardius accesserit

ritad patientem Medicus, quàm ut citra periculum patientis, vel famæ & conscientiæ suæ eam suadere ausit vel possit; sanguine videlicet jam magna ex parte exhausto: tum extremorum membrorum, nempe manuum & pedum fomentatione acidis & salsis, sed frigidiusculis fluxum ejus remorabitur; Sunt verò hæmorrhagiæ aliquæ omnino lethales, aliæ quidem molestæ & periculosæ; sed tardi mot⁹; aliæ vero quoq; salutares; uti hæmorrhagia narium, fluxus hæmorrhoidum; Imo & aliqui vomitus cruenti; & quæ fit ex venis in pedibus ruptis. Omnes hæmorrhagiæ quæcunque à causis fiunt internis, ex variis salibus trahunt originem; nihil enim est adeò divisibile inter omnia entia terrestria ac sal; & quod individuum vel quæ radix aut semen sale abundat; illud quoque ditissimum est, quoad virtutes materiales; ita ut sub una gutta ponderositatis ejus plures lateant signaturæ, quàm in alterius individui libra una & pluribus; Tres sunt species, vel potius tria sunt summa genera salium terrestrium; Est enim Sal vegetabile, Sal minerale & Sal metallicum; Omnia quidem tria hæc sunt summa divisibilia; Nam unum granum salis vegetabilis per plures species vegetabiles est multiplicabile; uti docuimus in superioribus Capitibus; ex varietate stercorum animalium diversorum, iisdem pabulis altorum. Sed sal vegetabile minimum est inter salia, atque suâ extremâ violentiâ vix attingit infimum violentiæ gradum salis mineralis. Sic se quoquoque habet sal minerale comparatum sali metallico, sicuti vegetabile collatum cum minerali. Atque ob hanc inexhaustam salium communicabilitatem vel divisibilitatem salia præsertim mineralia venena dicuntur, sive naturæ mortiferæ respectu animalium. Atque ex hac causa corpora metallica ipsissima sunt venena, quamvis in sui superficie saporibus omnibus destituantur, à quorum diversitate salium variæ surgunt differentiæ; quia vero ligavit Creator spiritus metallicos vinculis arctissimis, ideò varias mutationes locorum & temporum exigunt citius quam a-

liquem saltem libertatis assequi possint gradum revelationis virtutum suarum; à diversitate salium varii quoque in corporibus humanis nascuntur motus; nam nos constamus ex iis ex quibus nutrimur; ita & cibi potusque nostri ex mineralibus & metallicis prodeunt centris; vel à seminibus & spiritibus vegetabilibus ex tenebricoso terræ sinu in lucem evocantur, sic distracta & divisa ut vix una gutta mineralis virtutis maneat in corporis vegetabilis libris pluribus; nisi enim sic fractæ essent corporeitates terrestres, non possent accommodari nutritioni animalium, & hæc nobis; Et quam non nisi fracta, contrita, & in subtilissimos vel insensibiles vapores redacta principia specierum & individuorum familiarum inferiorum nostra fiant caro vel sanguis; & servilem in nobis aliquandiu habeant conditionem; attamen non omninò exuunt virtutem suam in nos ingressa, vel in nobis aliquandiu innoxiè hærentia; sed iterum festinant fieri, quod fuerunt extrà, citius quàm à nobis comesta fuissent; scilicet, terra mineralis aut metallica; & sicuti extra nos varias mutationes perpessa sunt, citius quàm in carnem, ossa, & sanguinem mutari potuissent; ita quoque variè in nobis mutantur, citius quàm in nobis fiant quod fuerunt extra, nosq; ipsis similes reddant, scilicet terram, & reducant corpora in id quod fuerunt antea. Hinc tot motus in sanguine; tot calorum, frigorum, siccitatum, humiditatum, in nobis differentiæ, in sensibus nostris varias passiones magis vel minus dolorificas aut voluptuosas excitantes. Si igitur Medicus præcavere, vel abrumpere velit turbas tales sanguinis, massam ejus dilatantes & attollentes, ita ut se in locis suis ordinariis continere non possit, absque metu vel periculo suffocationis subjecti tales extraordinarios motus sanguinis perpetientis; necesse est ut sciat diversitatem naturæ salium in quolibet individuo hospitantium; nam sine horum cognitione, nec ipse aliquid scire, nec ægris prodesse poterit. Sunt salia quæ motus excitant, sunt & alia quæ eos reprimunt, & in quiete custodiunt

ad

ad motum prona, vel ad quietem ducunt & cogunt, jam actu mobilia. Et quamvis evacuatione sanguinis per phlebotomiam, vel scarificationem, vel per spontaneam sanguinis eruptionem latius relinquatur spatium in venis, & motui illic hærentis sanguinis, commodius; tamen eo modo non aufertur ex sanguine Sal, motus ejus extraordinarii principium; Igitur repercussivis primùm debet sanguis reduci in quietem, sive vapores ponderibus vestiri; vestiti ponderibus deorsum præcipitari; præcipitati eousque uniri, quousque per unius cochlearis sanguineæ massæ evacuationem, & priorum symptomatum, & posteriorum futura seminaria, patiens à dolore præsenti, & futuri periculo liberari possit. In omni autem fluxu vel motu sanguinis extraordinario, à talib⁹ medicamentis cavẽdum est, quæ orificia emunctoriorum constipant; nam his compressis non aboletur motus in sanguine, sed intenditur; & nisi vi prorumpat sanguis, in periculo est patiens subitaneæ suffocationis. Medicamenta bilem incrassantia, hic quidem innoxia sunt, sed inutilia; latius enim spatium sanguinis motus postulat sibi dari, & nisi concedatur, per violentiam quærit, & quà proximè potest prosilit. Attamen post injunctam vel adhibitam phlebotomiam aut scarificationem, suâ utilitate non destituuntur; Post adhibitis adhibendis.

SECTIO XVIII.

Sunt adhuc fluxus quidam sympathetici valde fœdi, alius masculino, alius fœminino sexui familiares; ut gonorrhæa nocturnaque pollutio maribus; sed mensium alborum vel pallidorum fluxus, fœminis infestus; Quos cohibere, vel omninò abolere singularis est ars, non saltem utilis, sed & necessaria, tam ægro quàm Medico: Nam quamvis non ita doloribus uti febres, chyragræ, colicæ, odontalgiæ, molesti existant patientibus, hi affectus; attamen alia sunt incommoda quibus infestantur ægri,

tantò

tantò molestiora illis, quantò sunt turpiora; nam non pudet hominem laborare podagrâ; vel fœminam prægnantem esse, & prægnantium perpeti dolores; sed prædictis affectibus affectis, pudor æquè gravis est ac dolor podagricis. Ideò ad turpitudinem eam propellendam etiam Ars Medica præscribit & porrigit modos & remedia: non quidem omnibus sine discrimine, sed saltem obsequiosis: Quoniam autem affectus prædicti non sunt adeò frequentes ante annos spermaticæ generationis; nec etiam viris ætatis provectioris, vel anubus; ideò inde concludere possumus, quod ex venereis si non exercitiis, attamen stimulis & concupiscentiis, trahant originem. Igitur hæc, & omnia venerearum occupationum irritamenta sunt fugienda; talibus ægris maximè autem immoderata venerea exercitia, carnalesque copulæ; sed maturanda & filiorum & filiarum connubia. Nam effervescente lascivâ carnis concupiscentiâ, imprimitur sanguini motus extraordinarius, & fæcum ejus ordinariarum, & spermaticæ materiæ valde ferax; vel jam generatæ ad egrediẽdum impetus; unde plura post brevem voluptatis sensum, & valde lenta sequuntur incommoda, primum in sanguinem & spiritus, sensim verò in carnem & ossa desævientia. Puellæ sine maritis longius relictæ, in turpem illum fluxum prolabuntur, sanguine earum sic sæpè turbato; & tandem maritis junctæ sterilescũt, cum phthisi continuo colluctantes. Vel si mitius fuerit inde natum malum; facies ipsarum variis pustulis defædantur, aut pudenda scabie & pruritu inficiuntur. Atque talibus laconica, vel balnea frequentia, & singulis mensibus parata conducunt; nam immundities omnes hoc modo abluuntur, & inde surgentes incommoditates arcentur. Quædam puellæ vero, occasione lascivientis in sanguine salis, in epilepticas convulsiones incidunt, & variis cruciatibus distorquentur; donec acquisiverint quod quæsiverunt, & tamen revelare prius veritæ. Concupiscentiæ carnales, revera ignei sunt stimuli & flammæ vel æstus à spiritu mundi in occultis excitatæ; quos

fræna-

frænare sine concursu virtutis de Cœlo impossibile est, multò minus mortificare. Attamen otiosa vita, commercia & colloquia venerea cibique delicatiores earum sunt fomenta. Et maritatis hæc nocent ante impregnationis tempus; sed primo enixo partu, non sine hujus damno tamen, minus sunt noxia.

SECTIO XIX.

Omnium autem vel plurimorum, diuturnorum & vehementium salinorum morborum cura absolvi potest sine multis intus porrectis medicamentis, solà phlebotomià & scarificatione justis temporibus ex debitis locis institutà, semel vel sæpius repetità; aut si nō prædictis modis, tamen transplantatione: quæ quidem videtur primo intuitu, non nisi esse fœtus animi humani, vanæ curiositatis, vel superstitiosæ credulitatis; Attamen revera est remedium valde efficax ad præcavendum ægros & liberandum à morbis multis atrocibus, difficile, vel secundùm communem methodum, curari omninò impossibilibus. Est autem transplantatio actus artificialis, per quem justis mediis morborum seminaria ex uno subjecto in alterum transferuntur, unius speciei, vel diversæ ab ægro. Quod morbi ex uno subjecto in alterum mobiles sint ut transplantabiles; non poterunt negare illi, qui pestem aliosque morbos plures contagiosos esse docent; nam ex talium opinione, non saltem homines ab hominibus, sed & à canibus, columbis, felibus, vestibusque, vel hæc ab illis inficiuntur; Ideò in locis in quibus talis sententia pro authentica habetur, grassante pestilentiali lue, canes, feles, omnia denique animantia domatim cursitantia, & cum hominibus conversantia ex domibus & habitaculis humanis arcentur, ob metum infectionis propagandæ; Quod si autem id verum est in uno morbi genere, quod nempe migrent morbi ex corporibus humanis in quæque alia; quare non concederetur in omnibus, præsertim naturæ

ſubſidiante Artis operâ. Et quamvis minime approbem, quod tempore peſtiferæ luis ſæviatur in animantia, falſo metu contagionis; attamen morbos eſſe transplantabiles ſtatuo, ſed ab arte ſolùm illius myſterii conſciâ. Quod dæmonia homines obſidentia, invita migrant ex hoſpitiis ſuis, & in abyſſum tenebrarum non niſi vi ſuperioris Spiritus ſe abigi patiantur; exemplum eſt unum illius dæmonii Legionarii apud Evangeliſtas, Marc.5. Luc.8. Attamen dæmonia ex hominibus abigi, & alio transferri poſſe, vel ad inferiores ſcenas relegari; eadem docet hiſtoria; Talem autem modum curationis morborum, vel expulſionis dæmoniorum, hic ego appello Transplantationem. Requirit autem transplantationis actus plura; nempe ut ſciat transplantator radicem morbi, vel matricem ſpirituum morbificorum; ſecundò, ut ſciat ſympathiam rerum extra nos ſitarum, cum rebus nobis inſitis; hæc quidem ſenſu nullo ſentimus, attamen ratione & intelligentiâ ſcrutemur neceſſe eſt; alioquin ab actu hoc abſtinere debebimus; Nam dæmonia ſpiritus quidem ſunt ſpecierum nobis inferiorum, attamen terreſtris ſunt conditionis, & habitare amant in vehiculis ſenſibilibus, ex quibus & per quæ & in nos migrant & ex nobis. Atque ideò ad transplantationem artificialem adhibentur ſanguis, ſanguinis excrementa, excreſcentiæ corporis, ungues, pili & ſimilia: nam hæc aut actu ſunt in conjugio ſpirituum carni noſtræ affinium; aut fuerunt aliquandiu, donec videlicet adhuc ſanguis fuiſſent: & tamen ex inferioribus familiis in nos aſcenderunt. Hæc eſt ratio quare multa mirabilia fieri poſſunt ab arte, mediantibus rebus prædictis, tam ad pernitiem, quam ad vitam & ſalutem mortalium. De hac ſympathia, ejusque virtute, multi docti & ſapientes viri multa ſcripſerunt, quorum tamen ſcripta aut vilipenduntur, aut ut ſuperſtitioſa & nefaria ex Scholis Chriſtianis relegantur, ſine mente & ratione: ab illis videlicet, qui de cauſis rerum naturalium multa fantur, ſed nulla certo ſciunt; Et tales judices agere

volunt in casibus mysticis & spiritualibus; cum tamen & in sensibilibus & naturalibus cæcutiant. Si veneficæ suis maleficiis multos infligere possunt morbos hominibus bestiisque, imo uti placet Fernelio, dæmonia; Quare non possunt Christiani Medici certis quoque mediis vel remediis morbos simul & dæmonia ex corporibus obsessorum abigere, atque ita obsessos ab obsessione liberare? Plura & majora miracula patravit Moyse, quàm Magi in illis artibus exercitatissimi; nec tamen male audivit à Domino; quamvis multa in eo desideravit Galenus; An autem hodie brachium Domini virtute antiquâ est destitutum; ideò saltem, quod pauci saltem inter nos reperiantur Moysis, Eliæ, Elisæi, Salomonis, Christi Apostolorumque æmuli; vel plurimi increduli, irrisores, impostores in officiis sacris. Quid causæ est, quod hodie non possint à nobis ligari dæmonia in centris tenebricosis; vel ex corporibus ægrorum abigi spiritus morbifici? aut ex hominibus & animalibus, in arbores herbasque relegari; ob liberandum hominem ex eorum servitiis & plagis; cum tamen Christo permittente etiam duo millia porcorum præcipitata fuerint in mare, unius saltem obsessi gratiâ: Quod nostrates Exorcistæ, suis exorcismis id minime possint; de eo non dubito; sed unde hæc eorum impotentia; an ob defectum artis & cognitionis in ipsis; an verò virtutis in animis hominum? Prius senserim, non posterius; aut nos fallunt Divina elogia fidei nostræ, si saltem aliquam habere affectaverimus, talia promittentia privilegia & virtutes. Deus ignorantiæ hostis est, nec diligit aliquem, nisi eum, qui habitat cum sapientia; uti hæc latius in Philosophiæ Sacræ opere demonstravimus.

SECTIO XX.

Quod verò Divinam Sapientiam improbi, nefariique impostores, suis maleficis artibus æmulentur; accitâ per execran-

das, superstitiosas & abominabiles incantationes dæmonum, vel spirituum elementalium astutiarumque mundi hujus, ope & auxilio: Id Divinæ Sapientiæ dignitati, ejusque cultoribus, nihil derogat: Habeant suos exorcismos, incantationes, imprecationes, carmina, characteres, imagines, cantica, sonos, numeros, potiones, suffitus, unguenta, fascinationes, præstigia, superstitiones, Magi, aliiq; Malefici Artistæ, & à dæmonibus, eorumq; vasallis edocti discipuli; Omnia nos talia execramur, & ut Deo exosa abominamur abominandaque judicamus; Attamen morbos curare, dæmonia ligare, relegare, vel ex corporibus humanis in abyssum cogere, aut alio aliquo transferre, si saltem fiat in honorem Dei, salutem hominis, & citra profanationem sacrorum, sive modiis & mediis licitis, imo à Creatore ei usui destinatis, cujusque vere Christiani Medici est officium & requisitum. Hæc est potestas nobis à Christo Domino Antesignano nostro & concessa & promissa. Quam nemini negavit, negat, aut negabit Spiritualium donorum dispensator Deus, eam syncere affectanti & ab ipso efflagitanti. In mea quidem potestate non est alicui donum sapientiæ conferre; imò si esset, malè agerem si Deum eo honore defraudarem; multa enim facere possemus, quæ tamen illicita factu sunt; Qui mihi impertitus est mea; eadem & tibi Christiane Lector daturum se promisit, imo millies majora; si saltem agnoverit Cor tuum omnis doli & fraudis, ambitionis & avaritiæ, esse expers. Ego quæ habeo tecum libenter & sine invidia communicavi, atque communicabo; utinam saltem abessent hinc canes & sues.



CAPUT

CAPUT X.

De illis quæ ad quotidianum usum faciunt Medicorum & Ægrorum.

SECTIO I.

INgens admodum est profunditas tenebrarum animos nostros in hujus corporis domicilio occupantium; Nam non solum cœlestia ignoramus, mensuras mundo huic consuetas excellentia; sed & in eis cæcutimus quæ nobiscum de terra nascuntur, quibus cum quotidie conversamur, & quibus carere omninò non possumus, scilicet ex quibus constamᵘˢ,simus,& vivimus; Certè brutis ipsis à natura miseriores sumus; nec satis est nos mutos & ad humana artificia ineptos nasci; sed etiam doctorē & dictatorem exigimus,qui cibi vel potus nobis conducant aut noceant,per vitam integrā,præsertim morbo obsessi; & quod si sciamus genus cibi vel potus nobis salutare vel noxium; erramus tamen in ejus capiendi mensura & pondere; Ab uno latere urget vel cogit nos carnis concupiscentia voluptatis stimulo gustare, vel comedere & bibere quæcunque sunt sensibus præsentia; ab altero terret nos morbi & mortis metus, ita ut nihil libere gustare ausimus, nisi consultis Medicis vel amicis nostris æque ignaris & meticulosis ac nos ipsi sumus; Scimus quidem quod famis & sitis desideria non dependeant ab arbitrio nostri spiritus,nolentes volentes enim & esurimus & sitimus, vel fatali quādam necessitate cogimur ad actus edendi & bibendi; At tamen vel dubitamus vel metuimus sequi legem illam inevitabilem, quæ tamen est lex ipsa vitæ hujus corporis; Irruente in nos autem voluptate vanà, petulanti potius quàm necessarià, facile ei obtemperamus, externis terriculamentis quamvis durioribus omninò spretis; cum tamen ejus ductui obsequentes promptius,

in morbos & mortes prolabamur, quos sæpius, si non semper, declinare possemus, si ejus stimulis reniteremur, vel reluctaremur aliquandiu, vel non nisi consultis sapientibus, doctoribus & præpositis nostris ductui ejus obtemperaremus: sicuti facimus nos ad edendum & bibendum fame vel siti instigante. Sed amice Lector si tibi cordi est sapientibus obsequi consiliis, author tibi sim ego ut Medicus, ut neminem consulas in eis quæ merè naturalia sunt, sed impetus intrinsecos naturæ tuæ sequaris, tibi per famem vel sitim acclamantes, sine omni metu & dubitatione; Nam nemo est qui esuriat vel sitiat in te alius, quam ille qui hujus corporis carnis est plastes spiritus, qui cum spiritu tuo in unum coaluit corpus in ipso exordio humanitatis tuæ, quamvis illa unio facta fuerit contra vetitum Creatoris tui; ideò tandem aliquando divelli debeat, te à socio fœderis illius, & accola corporis hujus liberato, destructo nempe vinculo eo quod te carni, carnemque tibi adstrinxerat. Spiritus enim hominis est à Deo Creatore ordinatus in imperatorem & dominum spirituum animalium, vel naturalium; Hi vero nostra fuerant & manere debebant mancipia; Inversus quidem est hic ordo; attamen quod per fraudem amisimus, per industriam recuperare possumus, si saltem rebelles fuerimus in non necessariis spiritui, nos per voluptatem falso necessitatis titulo decipiente. Natura in necessariis aberrare nescit; ipsa enim sibi non contrariatur, nec appetit ei noxia futura; Nisi nos invitam ad illicita sæpe cogeremus. Surdi cœcique, esuriunt & sitiunt, non à sensu, vel externis irritamentis excitatis eorum desideriis; sed ab intrinseca lege spiritus carnalis, corporis eorum accola, coacti. A spiritu prædicto immunes nec esuriunt nec sitiunt amplius, æterni seculi incolæ. Quod si sitienti bovi vel equo, objeceris pabulum, id non gustabit citius quàm biberit; nec bibet nisi sitierit, etiam oblato potu; Nos verò homines dubitamus vel metuimus bibere sitientes; vel comedere, esurientes nisi consulto Medico, etiamsi affatim præsen-

ſentia habeamus & ſitis & famis remedia; atque ſic & in eo caſu brutis miſeriores ſumus; naturalibus deſideriis juſta denegantes obſequia. Utinam nos nos adeò rebelles declararemus voluptuoſis, & lege Dei vetitis concupiſcentiis ſicuti facimus in neceſſariis; certe beata eſſet & præſentis hujus vitæ conditio; Sed nos juſta & neceſſaria declinamus; ſed in vetita; periculoſa & noxia cœco impetu ruimus.

SECTIO II.

IGitur quicquid, quando, quoties, quantum, eſuriveris, & ſitiveris, & æger & bene valens, ſcilicet cogente neceſſitate, non autem dictante voluptate, non ſenſu externo, ſed lege ſpiritus intrinſeci efflagitante; id, tunc, toties, & ſecundum menſuram eſurientis vel ſitientis affectus ſine omnis metus & dubitationis obſtaculo, ede & bibe. Nam metus & dubitatio naturæ legibus inevitabilibus contraria, majus & periculoſius malum eſt, quàm ipſe morbus, vel omne id quod membris noxium exiſtit. Et quamvis prudentia humana, ex opinione tua, tibi ſalutaria ſuadeat, cibum pro potu, vel potum pro cibo exhibens à natura hoc non illo efflagitato; Elige tamen obſequi naturæ, quàm contra eam directis conſiliis, quamvis extrinſecus valde ſpecioſis. Natura enim errare neſcit in neceſſariis, imò nec errat, niſi imaginatione noſtrâ depravata; & voluptuoſis moliminibus ad injuſta protruſa vel coacta. Omnis autem externa perſuaſio naturæ inimica, quamvis aliud quid diſſimulet, morbo ipſo eſt pernitioſior. Non enim Ars eſt, vel artis præceptum, ſecundum quod corpus hoc noſtrum animale in utero matris formatur; Sed eſt ſpiritus, vel illa ipſa eſſentia quæ id formatum informat, auget, reſtaurat, ejus ruinam præcavet, & propagationem urget; quæ in nobis ſitit & eſurit ſine nobis; & non niſi neceſſaria ad vitam hanc dictat, docet, concupiſcit, à contrariis metuit, afficitur, patitur, dolet, triſtatur,

statur,& non nisi victa succumbit. Si quam sequi artem vel legem æquum vel bonum est; tum optimum est sequi naturam vitæ authorem, famis sitisque doctorē; Si cui autem obsequium negandum est; negandū est animali astutiæ, voluptuosa & inutilia, imò à Deo vetita appetenti; aut agere suadenti; Natura enim non nisi lex est necessitatis, cui Deus creavit remedia; sed voluptati legem opposuit, ultrà necessitatē lascivienti, vel lascivire imperanti. Jejuno nequaquā bibendum esse, pronunciat ars; Sed sæpe à jejunis potum efflagitat natura, ab internis stimulis irritata, à quibus vim patitur, & se gravari vel premi dolet. Tu autem arti non naturæ obtemperandum æquius existimas; sed quare? An sitire, non est æque naturale ac esurire; Ego existimarē quod utrumq; ab uno eodemque surgat principio. Si vero utrumque naturale est, quare non liceret jejunis sitientibus bibere, sicuti licet esurientibus comedere; si natura prius potus quam cibi indiga, illum non hunc citius affligitaverit. Infantes recens nati sitiunt citius quam esuriant; & tamen illis non denegatur potus; Sunt qui recens natis citius offerant vinum vel cerevisiam quam lac, & tamen non peccant; etiam per integrum triduum; quibus tamen loco lactis sufficiunt humores prædicti ad satiandum internos defectus. In quodam pago vidi bubulcum gregem boum in pascua urgentem, quem alluebat amnis transfluentis aquæ, sed aliqui boves descenderunt in amnim, alii ad pascua festinarunt; Jejuni prodibant ex stabulis omnes, & tamen alii sitiebant alii non; itaque cogitavi penes me ipsum quod boves hoc in casu hominibus prudentiores essent; quod naturæ ductui in necessariis obtemperarent illi; hi vero obtemperare vel dubitarent, vel metuerent. Imò si Scripturam sacram examinaverimus deprehendemus omnes actus illos legitimari qui naturæ desideriis sunt congrui; Potuumque diversa genera, sitientibus; Ciborum vero esurientibus dicata esse remedia, ab ipso Creatore: citra omne periculum vel morbi, vel mortis, vel alicujus incommodi quæ minatur

ars ejus præceptis obedire recusantibus. Sitiebat valde Simson, per cædem Philistæorum defatigatus ad mortem usque, sed postquam bibisset, revixit animus ejus, inquit Scriptura. Bibit autem jejunus non satur cibi; nec bibit vinum vel aliquem ab arte confectum potum, sed aquam frigidam ex cavo Lechi salientem. Ita quoque Amalekita ille, qui per triduum nec comederat panem, nec biberat aquam, restitutus fuit in integrum, cibo ad satietatem refectus. Et quamvis natura, quia bruta est, se in extrinsecis ad utrumque actum adsuefacere patiatur, ita ut citius edendo vel bibendo quàm esurimus vel sitimus, citius quoque esurire quàm sitire discamus; tamen consuetudo legem necessitatis non abolet, quamvis illam alteram naturam appellemus. Attamen exigente necessitatis casu, cõsuetudinis lex postponenda erit; quamvis huic non illi adstipuletur ars injusto judicio; tutius tamen est naturam sequi quam consetudinem. Fiat, edamus citius, naturâ per famem citius cibum efflagitante; Quod si verò natura anticipet per sitim exigere potum, & nos bibere urgeat; quare nos metuimus vel dubitamus ei obsequi, in hoc actu magis quàm in illo, cum tamen uterque sine nobis in nobis oriatur; & natura melius sciat defectus suos quam ars; quare nos in rempublicam corporis nostri ingerimus naturæ seminali peregrina, vel omnino exosa & noxia: ea autem quæ illa appetit, ei subministrare recusamus, ideò saltem quod ars id facere suadeat, falsà persuasa authoritate, vel nixa fundamento, Si exemplis quisque suam munire voluerit sententiam, plura certo pro natura quotidie facient, quàm pro artis persuasionibus; hæc fortuita sunt & casu fiunt. Ars est utilis & necessaria; sed ea quæ naturalia desideria discernere scit & docet à non naturalibus, vel Divinâ lege prohibitis; Quæ verò naturæ in contrarium molitur; illa quamvis speciosa videatur, & persuasoriis verbis utatur in consulendo, periculosa tamen est & noxia; si non statim à facto, tamen brevi post futura. Stat itaque sententia, ægris cibum vel potum quem & qualem, quocunque

tempore efflagitantibus, sine omni metu & dubitatione exhibendum esse, ad satietatem usq; naturalis affectus; Natura enim paucis contenta est, nisi ad excessum à morbo vel voluptuosa libidine inflammetur: Et tamen per morbum nata desideria, naturalia quoque sunt, quamvis morbus sit quid peregrinum in republica spirituum animalium, ad quem expellendum desunt naturæ media, ideo ea sibi extrinsecus porrigi expetit, per indicia sitis & famis, aliter nobiscum conversari nescia; Atque vel jejunandum omnino, sive ab omni cibo & potu abstinendum, si naturæ soli confidimus quod externis destituta subsidiis morbi superare possit violentiam, & eo se exonerare; aut naturæ parendum in necessariorum subministratione. Ideo clamant prudentiores Medici, quod felix illa sit medicatio, cui adjutrix natura succurrit; Nemini autem succurrit natura, quam ei qui ei amica subministrat, non qui fastidiosa vel contraria. Sed qui sitienti cibum offert, vel esurienti potum; vel poscenti carnes bubulas, pipionem, vel flagitanti vinum, aut frigidam, julapium vel carnium jus, loco desideratorum; ille à natura nihil sperare potest boni, ei in omnibus contrarius.

SECTIO III.

SEd hic iterum objiciunt nobis momuli, nos extra materiam propositi nostri vagari; Nam quid faciunt desideria cibi & potus, vel ciborum & potuum varietates ad considerationem salis, de cujus saltem resolutionibus nos in hoc scripto philosophaturos in titulo promisimus? Quid fami, siti, esioni, bibitioni, somno, vigiliis, venereis amplexibus, aliisque rebus in vita extrinseca consuetis cum sale, vel ejus proprietatibus; Sal est corpus minerale, cui nihil est commune cum affectibus animalibus; nihil cum siti vel fame; multo minus cum somno & vigiliis, morbo vel sanitate; Ita quidem est, quod sal extra me nec esuriat,

nec

nec ſitiat, nec doleat, nec gaudeat, nec vigilet nec dormiat; Attamen omnes actus tales in me, moderatur ſal; nam nec vita, nec mors, nec gaudia, voluptates, morbi, dolores, ſunt ſine ſale id quod ſunt. Anima carnis hujus, vel vita animalis, ſal eſt, quod corpus hoc à putrefactione cuſtodit & præſervat; aufer animam ex ſanguine, & ruet totius corpo is ſtructura, fietque quod fuit prius citius quam animæ animali inſerviviſſet, ſcilicet terra, & quicquid terra ſub hoc titulo complectitur. Sal in terra ab extrinſeco calore vel frigore, humiditate vel ſiccitate, varie mutatur; idem fit ab iiſdem cauſis & in me; Imaginatio autem mentis meæ & exa tat ſalem in me contentum, & exaltatur ab illo, ſive ſtupefit & acuitur à ſale, meque vel gaudio, vel dolore, vel metu, vel furore replet, mediante ſale: Ignis quid eſt, quid aqua, quid terra? Niſi ſalinarum virtutum theſauri; inexhauſtæ ſunt virtutes ignis; quo plus cibatur plus eſurit; quo plus ardet, plus æſtuat. Mare dulces aquas abſorbet & tamen ſalſum manet; quoque plures abſorbſerit, plures deſiderat, nunquam ſaturum. Nos, animaliaque omnia, inſulſa edimus & bibimus, ſalſa tamen mingimus, cacamus, & excernimus; Hydropici frigent, & tamen ſitiunt febricitantium inſtar; Unde ſitis in utriſque, dum tamen hi æſtum patiantur imoderatum, illi vero extremum frigus? Unde calor in ſanguine, unde ſyſtole & diaſtole cordis, arteriarumque pulſus? Unde fames & ſitis? unde morbi, ulcera, vel oſſa, membranæ, & omnia membra corporis tui? [illegible] omnia ex ſale, quem copioſiſſimum, ut naturæ ſuperfluum excernimus ſinguli; Et niſi excernamus, unde dolemus quàm à ſale preſſi? Quomodo quis igitur auſit negare ſitim vel famem a ſale proficiſci, vel actus & affectus ſuos à ſale ſeparare contendat, cum tamen omnia continentia & contenta purum putum ſal ſint. Ex familia animali, vegetabili, & minerali cibantur corpora noſtra, vel ſpiritus corporum formatores & informatores; Sed & inde in nos morbi derivantur. Sine ſale nullus ſapor; Sed ubi nullus ſapor,

Iii 2 illic

illic nulla gustus necessitas; Qualis autem vita sine gustu! Ecce quàm profunda est abyssus sapientiæ; quam spatiosa sunt ejus palatia; Si illi qui quotidie indefessis studiis scrutantur ejus profunditates & altitudines, longitudines & latitudines, magnitudines & numeros, vix aliqua assequuntur, sive tantum paucissima & minima, æternorum & infinitorum avidi; quomodo placere possint omnibus qui non nisi singularia amant & finita, his defatigati imo oppressi ocyus quàm ut assequi possint æternorum cognitionem, amoris omnino expertes. Omnes mundi hujus creaturæ aliquomodo ab invicem diffident, attamen nullæ sic ut reconciliari non possint aliquando. Inter solos homines est hiatus irreconciliabilis inimicitiæ, odii & diffidii; in nos derivatus ex tenebris profundissimis, in quibus est fatigatio perpetua sine quiete, & quietis spe; Nisi reconciliati fuerimus Uni ex quo Uno procedunt infinita, omnia tamen æquis ordinibus dislocata, sine necessitate sitis & famis, ira, odio, invidia, voluptateq; inanitatis, viventia in perpetuum: sed de his latius in Philosophia sacra philosophabimur; jam ad propositum nostrum revertemur, sciolorum judicia nihil moraturi.

SECTIO IV.

Aliud quidem judicium exigit à nobis casus necessitatis; aliud, arbitrariis vel superfluitatis vanitatem concernens. Sed Medi[illegible]ue in utrumq; paratus esse debet, tam in necessariis quàm voluptuosis judicare posse. Donec leguminibus saltem, vel sponte de terra natis vescebātur homines; vel ubi non nisi pane, aut simplicibus ferculis alūtur homines, illic singulari prudentiâ scholasticâ opus non est; Sed ubi est ciborum varii generis, potuumque superfluitas, illic quoque vel dubitant voluptuosi vel metuunt, sine discrimine omnibus uti, nisi consultis Medicis quos cibos & quo ordine comedere; vel qui potus aliis sint salubriores, ideoque ad voluptatem interturbandam magis vel mi-

nus

nus accomodati: An elixa frixis & assis; humidiora ficcioribus, carnes piscibus, vel legumina & bellaria carnibus sint præmittenda; quæ parcius aut largius deglutienda: Ecce in quam molestiā prolabimur necessitate neglectâ, & ductu voluptatis ad imitationem proposito. Divina quidem providentia videtur connivére nostris desideriis lascivientibus, cibulentorum, potulentorū, aliorum ad vitam requisitorum abundantiâ nobis abblandiens; sed reverà non ita est; nam idem nobis minatur, quod parentibus primis, nempe morbos & mortem, quotiescunque dolosis concupiscentiis titulo vel specie alicujus falsæ beatitudinis citra necessitatem & æquitatem obsecundaverimus. Interdum largius nos cibis & potibus exhilarare non prohibet, sed tristitiæ æque paravit remedia ac dolori, Artifex omnium Sapientia; sed tantum gulæ vel libidini inhiare, æque magnum scelus est ac olim fuit, & hodie; Quid si jubeat, doceat aut permittat ars, ciborum varietatem aut pluralitatem, voluptati humanæ affinis, & sanis & ægris; major tamen est habendus respectus naturæ, quàm artis; & virtutis, quam voluptatis, & Dei quam carnis. Si unus cibus, vel unum potus genus sufficiat ad satianda naturæ desideria, & restaurandum defectus virium, vel longiori morbo, fame & siti consumptarum; ad quid plures vel varii? Si verò duo vel tres apponuntur, non ex causa, ut delectet eorum varietas, sed ut sufficiat ad satietatem quantitas; tum non peccatur, si prius hunc quam illum degustaris: si saltem ultra satietatem non progressus fueris: Quem vel qualemcunque cibum ingesseris non exigente natura, ille suo onere eam gravabit, quamvis sit optimi succi, & ab arte approbatus: multò gravius molestabit te, si quem ingesseris naturæ fastidiosum, vel abominabilem; & non citius cessabit natura dolere, quam peregrinum vel hostem ex corpore abegerit: Et quamvis non omnes cibi etiam ab ipso ingestionis momento naturæ onerosi, tamen non statim sentiuntur esse tales quales sunt, sed brevius aut longius post, se inutiles vel noxios omninò fuisse demon-

ſtrant; tamen nec tempore vacationis eorum omninò ſteriles ſunt, ſed variis ſe aliqua in corporis parte produnt indiciis; hic ſpaſmo, ulcere, æſtu, frigore, tremore, palpitatione, alibi flatu, rugitu, tinnitu, nauſea, vomitu; urinæ ardore, ſtillicidio, frequentiâ, paucitate, rubedine vel cruditate; Sal enim à leviſſimis mutatur cauſis; & mutatum quamvis citò evaneſcentibus, tamen aliquomodo ſenſibilibus ſe manifeſtat ſignis: Omnes cibi quos natura nec faſtidit, nec abominatur, boni ſunt; & ad ſatiandum famis ſitisque deſideria, & ad reſtaurandum vires deperditas, accommodati; ſed alii minori copia & ocius naturæ explent defectus; alii ſæpius exhiberi debent, quia ocyus diſſipatur eorum ſubſtantia; quamvis facile expleant naturæ defectum; ſicuti ligna alia flammam ignis alunt, alia carbones. Si igitur aliquis ciborum fieri debet delectus, ille ſecundùm regulam quidem artis, tamen à ſingulari proprietate ægri erit petendus & faciendus; ita ut quod cuique naturæ magis eſt familiare, id exhibeatur, non autem quod ars boni ſucci, vel concoctu facilius eſſe judicat; nam ſunt ægri, qui citius bubulam conſumunt, quam pullos; vel æquè cito ſemicoctam, ac alii non niſi igne attritam, & omni ſapore exhauſtam.

SECTIO V.

VEſcimur jam homines non ſaltem leguminibus, fructibus arborum, fruticum, herbarum, fungis omnisq; ſpontaneis terræ excreſcentiis, vel herbarum locuſtis; ſed & carnibus omnis generis animalium, volucrum, piſcium, beſtiarum ſylveſtrium, pecudum, reptilium, ſerpentium, conchyliorum aquaticorum & terreſtrium; imò pulli nondum ex ovis excluſi, & catuli in uteris matrum latentes à noſtris dentibus & gulis tuti manere vix poſſunt; nonque tam fames, vel ciborum ad ſatiandam famem penuria, nos in tantam luxuriam cogit, ſed inſatiabilis ex orco in

nos

nos derivata libido. Omnia quidem quæ parit aqua, aer, terra, sive crescentia sive viventia nostræ libidini exposuit Dominus, attamen circumsepta æquitatis legibus; ita ut aliis crudis omnino vesci audeamus; aliis verò non nisi igne coctis; aliis sine condimento omni, aliis non nisi aliquo modo conditis; Ideò non omnia omnibus conducunt; ideò nec etiam omnia singuli appetunt; sed singulorum ferme appetitus in diversa fertur; Alii piscium, alii volucrum, alii quadrupedum, bestiarum, pecudum, alii domesticorum, alii sylvestrium carnibus delectantur; non tam omnes ex consuetudine, quàm ex naturæ in hunc vel illum cibum majori proclivitate. Ita ut Medicus ab ægris consultus, quæ eis quando potius conducant, ad omnia & docte, & prudenter, & pie, & syncere respondere scire debeat, ex requisito illius & officii & tituli. Salia enim extra nos mutationi sunt obnoxia diversa diversæ; ita & in nobis contenta, à cibis ingestis varie afficiuntur, cum majori vel minori voluptatis, utilitatis, & jucunditatis, vel morbi, doloris & tristitiæ sensu vel periculo. Inter nos homines aperta est & occulta amicitia & inimicitia, amor & odium; ita & inter spiritus nostros alimẽtales manifesta & occulta quædam gliscit sympathia & antipathia; ita ut deglutito hoc vel illo cibi genere, vel voluptatis, vel doloris, vel damni, vel periculi magis vel minus sentiamus. Ad præcavendum talia incommoda, vel abigendum consulunt ægri Medicos, ipsi eâ felicitate judicii destituti; quæ ipsis præsertim ægris, sed esurientibus sine damno & periculo comedere conducant? an legumina vel carnes, an aves vel pisces; an bestiæ vel pecudes; & quæ ex singulis? Ars mille finxit, & quotidie fingit, materiam hanc concernentes regulas; multas quidem doctas, utiles, honestas, & necessarias; sed multas stolidas, superstitiosos animos in majorem superstitionem, curiosos curiositatem, voluptuosos voluptatem, vel ignaros ignorantiam, & meticulosos metum, detrudentes, inanes & frivolas. Quæ morborum potius sunt augmenta & irrita-

ritamenta, quàm remedia & obstacula: Voluptati enim per voluptatem non indicitur bellum, sed objicitur nova lasciviendi occasio; atque sic ægro novi morbi seminarium. Mundus quidem vult falli & decipi; sed qui mundo se accommodant eo modo iisdemque præstigiis falluntur ipsi & decipiuntur, quibus alios sibi facile credulos fallunt; atque incidunt in reprobum sensum justo judicio Dei; Ego consulerem Medico cuique ingenuo, & artem suam ex requisito Sapientiæ charitatisque Christianæ tractanti, ut neglectâ lucri proprii cupiditate, syncere responderet ægris; aut omnino taceret ad eorum interrogata; vel joco absolveret vana & non necessaria: Et si meticulosi sunt in minimè metuendis, eos & eo metu quo captivi tenentur liberaret, vel liberare studeret. Si enim nullus cibus à Domino nobis ad necessitatem ordinatus, & oratione nostrâ consecratus, est rejectaneus; sed sine metu & omni dubitatione capiendus ab omnibus, quemcunque ex necessitate & naturæ dictamine esuriverint; quare ars vellet prohibere, quem & Deus & Natura permittit, imò consulit & jubet capiendum esse, intus in spiritu ægri excitatis illius cibi, & non alterius, desideriis? Qui enim revera ægri sunt, illi vel omnes cibos fastidiunt etiam familiarissimos; vel aliquos saltem; & eos non sine tædio deglutiunt, non tam pellecti ad edendum fame, quàm amicorum precibus, & metu omnium virium amissionis. Igitur permittēdum ægris vesci omnibus qualiacunque appetierint; aut omninò ab omnibus abstinendum; quàm naturam morbo, vel peregrini salis violentiâ & onere pressam, molestare & gravare magis cibo in accepto, cum nausea & fastidio ægri, in corpus ingesto. Cibi novi & ægris inconsueti, alterant quidem salia in nobis contenta; attamen non omnes in melius, sed quidam in pejus, aliud sperante ægro vel promittente amico, decepto scilicet exemplo; quia enim semel alicui bene & ex voto successit talis cibi, vel medicamenti operatio; putavit sic cessurum omnibus. Virtutes medicamentorum nullæ sunt alimenta-

mentales, ideò ad refocillationem virium nihil faciunt; sed aliqualem saltem vaporum internorum alterationem. Ideò tutissimum & utilissimum est, ut æger totus sibi ipsi relinquatur, edatque quod appetit, Natura enim ipsa sui melius est conscia in necessariis quam ars; saltem ne lasciviat illa providendum, ab hac. In esu autem carnium, piscium & volatilium, regula ea summâ diligentiâ est observanda, quam à Deo edoctus Moyses, dictavit populo Judaico; & abstinendum ægris, ab omnibus cibis in lege vetitis; nisi pertinaciter eos efflagitet æger; præsertim autem à sanguine.

SECTIO VI.

EXperientia autem quotidiana loquitur, non tam esurire ægros vel tot, sed plures siti exagitari; Igitur Medici officium est scire an bibere conducat ægris; quid, quantum, quando, & quoties? Bibitionis actum æque ad vitam animalem hominis necessarium esse ac esionem; nemo est qui dubitet; Nam sitire & esurire sic nobis est naturale ac vivere; attamen sæpe dubitamus bibere sitientes; vel sitientibus & potum efflagitantibus ægris eum exhibere; metuentes ne ex malo magno pejus, vel nondum tali, tale efficiamus; bonâ quidem intentione; cui tamen non semper æqualis respondet effectus vel eventus; nam sæpè siti discruciamus longius, & interficimus ocyus, ægros, quàm illi à sale intus furente afflicti vel exanimati fuissent; si sitientibus potum exhibuissemus, vel non denegassemus. Nam salis est hæc natura linguam sapore, sed alia membra æstu, vel frigore, vel pondere exercere; Deliberarunt scholæ & disputarunt hucusque an liceat vel conducat bibere ægris; nondum tamen aliquid certi determinatum est; sed variis opinionibus distracti prodimus ex scholis Medici; ægris non tam utiles consilio, quam verbis affabiles aut tædiosi: Non negamus quidem ægris sitientibus syrupos, ju-

lapia, eclegmata, electuaria, decocta, condita, simplicia vel composita, quæ sitim extinguere, aut arcere posse didicimus; Nec peccamus id agentes; nec ægris molesti sumus, tam varia à nobis postulantibus; Sed quia ægrorum multi sunt qui non nisi vinum sitiunt, vel lac, vel cerevisiam, vel frigilam omninò; medicamenta autem ab arte composita omninò fastidiunt vel abominantur: Quid in tali casu agendum; quid ægris concedendum, aut negandum? Apparet enim interdum, ægros ipsis noxia appetere; nam febricitantes sæpè sitiunt vinum, quod tamen calefacientis est virtutis; illi verò jam valde æstuãt; ideo si biberint quod sitiunt, febrim irritant & acuunt, suo damno; atque ex hoc fundamento ars dissuadet ægris vinum; ad præcavendum nempe interni æstus incrementũ: Attamen multi sunt qui pereunt, quamvis à calefacientium esu & potu sibi valde cavissent, & non nisi æstui refrigerando dicata, edissent & bibissent; quamvis non hæc, sed alia & sitivissent & esurivissent, quæ illis tamen negavit aut dissuasit ars; fortasse fatis eo artem dirigentibus, & quasi urgentibus, eventus futuri ignaram, vel aliud quid quàm futurum est intendentem, ex persuasione præconceptæ & in scholis haustæ opinionis. Sunt quidem multi quoque, qui convalescunt, arti potius, quam intrinsecis desideriis obsecundare eligentes; sed fatuum est, ex eventu judicare de prærogativa artis vel naturæ; nam fortasse plures pereunt à doctissimis etiam Medicis tractati, quàm qui nullis omninò Medicis usi sunt; quis est qui contulisset numerum horum & illorum; Et tamen & artis & naturæ ubique est magna utilitas; si nempe consentiant, vel junctis viribus profligent morbum; si verò aliud ars, aliud suadeat aut expetat natura, atque æger vel revalescat vel moriatur; cui erit imputandus eventus! revera soli arti neuter; sed naturæ alteruter vel uterque; nam sunt aliqui ægrorum, qui malint mori, quàm aliquibus uti medicamentis, ita fastidiunt medicamenta; Et tamen multi eorum æque cito convalescunt ac illi, qui ad omnia à Me-

 dico

dico præſcripta ſunt facillimi. Si exemplis probare deberemus veritatem ſententiæ hujus,ſine dubio plura pro nobis haberemus ubique terrarum, quàm qui contrarium ſentiunt. Magna quidem eſt vis imaginationis humanæ externis perſuaſionibus exaltatæ. Sed quæ ab internis principiis inflammatur, multò eſt vehementior,& profundior, ideoque homini eam patienti vel utilior vel damnoſior; præſertim ſi in moralia feratur, per legem vel Dei vel humanam prohibita; quæ neceſſaria ſuadet, ſcilicet eſum, potum, ſomnum,præſertim aliquandiu cum morbo conflictata, nunquam eſt vitioſa aut noxia, quamvis ſæpè inconſueta, imò & abominabilia homini ſano,ægris imperet. Uti Pica docet. Si imaginatio per artem falli poſſit, patientis commodo; nec id eſt relinquendum; attamen raró bene res cedit, præſertim ſi omnino contraria naturæ ſubminiſtraverit ars; uti apparet in illis qui caſeum faſtidiunt, vel carnes bubulas, aut ſuillas: nam tales non falluntur quoad naturalia, niſi quoad guſtum. In Capite præcedenti narravi exemplum morbi diuturni curati vel aboliti ſine omni medicamento; ſaltem per ſufficientem quantitatem potus ab ægroto æſtuante efflagitati; Hic narrabo alterum priori ſimile, morbi trimeſtris, hauſtu vini à Medicis interdicti ſubitò ſopiti. Fuit Baro ſexagenarius Pragæ, qui per tres menſes integros febricitavit,febre quidem quotidianâ ſed intermittente, attamen valde vehementi. Hic, toto illo tempore operâ duorum Regni Medicorum uſus,eorum conſilio à vino, quod tamen quotidie unicè ſitiebat,abſtinuit; interea temporis cholagogis à Medicis præſcriptis uſus; minabantur enim ei Medici triſtem morbi exitum,niſi eorum conſilio obediret. Toto tamen illo tempore continuavit febris, parum vel nihil immutata; Contigit ſemel quod ſervus Baronis illius ſerius ad Dominum reverſus fuiſſet, ad Patruelem Patientis,juſſu ejus ablegatus,& ab eo more aulico inebriatus. Hic à Domino increpatus reſpondit, Dominus Patruelis Generoſitatis tuæ me aliquot pocula vini in ſanitatem veſtram

 ebi-

rebibere cogit, cujus jussui recusare nec ausus, nec volui, nihil enim mihi gratius esset quam vestra salus: Interrogatus à domino quid bibisset, quod adeò ebrius subitò evasisset? Respondit, vinum rubellum Melnicense, à Generositate vestra ei dono missum; cujus simile in cella quoque vestra adhuc est; Vestra dominatio obsequatur mihi, submissè peto, & hauriat unum saltem haustum illius, & juro ei quod sit convalitura; nisi verò fiat, vel si ei haustus vini malè cesserit, sinat me laqueo suffocari. Hisce sermonibus servi exhilaratus patiens, jussit sibi porrigi haustum vini illius, quo exhausto, secundum & tertium addidit; tandem vini virtute in somnum prolapsus profundiorem, totam noctem quietus dormivit, nec ullam amplius sensit à febri molestiam; abrogatisque Medicis, nullo unquam amplius per vitam uti voluit; vixit autem ad annum ætatis usque 80. Cubicularium verò suum, cujus consilio vinum biberat, libertate donavit, mancipium enim fuit ejus, adjecto prædio, & mille Imperialium honorario. Ecce quàm noxia sæpe est Medicis pertinax scholasticæ methodi custodia, & probrosa, ægris autem damnosa.

SECTIO VII.

VAriæ sunt potulentorum species, non tam à Natura, quàm ab arte confectæ, non tamen in usum medicum, vel pro ægris, sed quotidianum & domesticum. Fontes aquarum, & scaturigines, terra sponte sudat in commodum publicum hominum & bestiarum. Sunt & arbores quædam sylvestres, quæ per corticem externum vulneratæ stillant humorem copiosum, qui collectus & reservatus multos patres familias per annum integrum, à majoribus expensis absolvit. In Normandia, una Galliarum provincia, paratur ex succo pomorum & pyrorū expresso revera potus nobilis vino parallelus, largius enim bibitus valde inebriat, sed ad sitim sedandam æstumque reprimendum vino est præstantior,

tior, ita ut ægris tuto ſuaderi & exhiberi poſſit ad ſatietatem; Incolæ provinciæ nominant eum, Syder. In quibusdam Germaniæ locis conficitur quoque potus, quoad materiam talis, ſed quoad ſaporem & virtutem Gallico minimè comparandus: In Perſia, Moſcovia, & illis vicinis Regionibus, ſimilis potus conficitur ex moris hortenſibus & campeſtribus, ex aliisque nobiliorum & vulgarium fruticum fructibus, guſtu amœnus, & virtute vinum æmulans. Item eſt potus quidam ex melle & aqua paratus; Ex anthino confectus, horeo eſt præſtantior: Cui aliæ potuum ſpecies deſunt, illi habetur potus ille pro delitiis; imò revera nobilis potus eſſet, niſi humanæ avaritiæ vitio, vel ignorantiæ, evaderet pernitioſus; & corpus flatibus & rugitibus moleſtaret. Sunt alia quoque ſine dubio potuum genera hic recenſitis æqualia vel nobiliora, ſed nos de uno ſaltem hic quædam monebimus, & de vino ejusque virtutibus vel vitiis tacituri; nempe de potu, qui per integram Germaniam, atque ipſi adjacentia loca eſt notiſſimus, appellaturque Cerevifia vel Zythus, quaſi vinum ex hordeo factum. Nobis Bohemis, Piwo; Germanis, Bier. De hoc potus genere hic dicemus, quodnam alteri in quotidiano uſu, vel ad medicinam præferri debeat, ſi delectus haberi poſſit: Non ratiocinabor autem ex me ſolo, nam ego longiori peregrinatione, & neceſſitatis eruditione omnipotentem, uti in proverbio eſt, contraxi ſtomachum; ita ut paucos habeam, qui me imitari poſſint. Nos verò Medici non ſaltem de nobis ſolliciti eſſe debemus, ſed & de aliis, qui noſtro videlicet uti volunt conſilio, de pauperibus æque ac de divitibus, ne ab illis tyrannidis, ab his autem ignorantiæ convinci poſſimus: Diſſuadentes concedenda; vel ſuadentes neganda.

SECTIO VIII.

EST autem cerevisia potus non saltem siti restinguendæ, sed & alendo corpori idoneus, ex aqua & polenta alicujus frumenti, vel tritici, vel hordei, vel avenæ, vel frumenti saracenici dicti, compositus; Lupulo & sale, alius largiori alius parciori, conditus. Qui postquam secundum consuetudinem loci cujusque confectus sit, reconditur vasis alibi quercinis, alibi vel alius abietinis, alibi fictilibus. Ex aqua itaque & polenta, aliisque ingredientibus de ejus virtute judicare possumus, quæ cerevisia siti restinguendæ, quæ alendo corpori sit idonea, imò quæ loco cibi ægris substitui possit; sæpè enim in tales ægros incidimus qui nihil nobis inconsultis vel edere vel bibere volunt. Quia autem aqua menstruum est id quod polentæ superfusum virtutibus ejus imprægnatur, sed vice versa ei suas permiscet, igitur & aquæ *ipsius* est instituendum à nobis examen; nam aqua quamvis occultas, magnas tamen virtutes habet alterandi contenta corporis nostri, nec est omninò sterilis, uti sensui apparet, vel humectans aut refrigerans solū superficialiter; sed alia aliâ virtuosior in sudore & urina pellenda; alvo adstringenda aut solvenda; nec polenta tantum aquam imprægnat, sed & aqua polentæ vires acuit sæpè vel obtundit. Ad confectionem cerevisiæ non sufficit aqua quævis sine delectu; In quibusdam locis fontana fluviali præfertur, alibi hæc illi; tamen nec fluviales nec fontanæ sunt omnes sibi similes; fontanarum aliæ vitriolaceas, aluminosas, nitrosas, aliæ antimoniales, mercuriales, ferreas, plumbeas, vel salinas redolent tincturas, quæ æque efficaces sunt in cerevisia ac ipsius polentæ virtutes: Iterum fontanarum aquarum quædam sunt perennes vivæ, & continuò scaturientes; aliæ percolatæ saltem, sed fluviales revera aut pluviales; Ita quoque fluviales ab invicem discrepant, nam scaturiginibus proximæ, virtutes habent minerales

les & integras, originis suæ naturam redolentes; Longius autem à fontibus suis remotæ, soli quod alluunt acquirunt tincturas; Mari propiores, ut mox salsæ futuræ, & animalium usui inutiles, ob necessitatem quidem sunt ad usum permittendæ, sed si ex fontanis compositus Zythus haberi possit, ad ægrorum utilitatem magis faciunt, & fluvialibus, præsertim per limosa & cœnosa fluentibus sunt præferendæ. Consuetudinis autem ægrorum, & appetitus diversitatis semper est à Medico habenda ratio; atque secundum hanc vel permittendum vel negandum omne; nunquam est arti, vel opinioni propriæ pertinaciter adhærendum, nec aliis plus credendum simpliciter quid affirmantibus aut negantibus, sed ratio sola est consulenda & conscientia; Cerevisiæ hordeaceæ, est avenaciâ suavior, sed hæc subtilior, ideò ad sitim etiam vehementiorem exstinguendam in minori quantitate bibita efficacior; præsertim ex fontanis confecta. Calculosis & podagricis, hydropicis & febricitantibus utilis; sed non hecticis vel phthisicis, sanguinem screantibus vel mingentibus, & inordinate sudantibus. Triticea, hordeaceâ quoque dulcior est, magis alimentalis; minus urinam, alvum melius solvens, præsertim pinguior: Quæ ex polenta frumenti saracenici conficitur, illa alvum solvit, & nauseam excitat suâ dulcedine superficiali, præsertim in aqua fluviali cocta; Vinum ex sapore, odore & colore judicatur, quòd alio fit nobilius; sed in cerevisia non saporis vel coloris, sed saltem aquæ & polentæ est habenda ratio, tum lupuli & salis; dein vasorum in quibus quæ asservatur: Maximè autem consuetudinis & appetitus bibentium. Vasa, cerevisiæ quoque aliquid imprimunt de suo; in abietinis & resinatis vasis, diureticæ vires exacuuntur; sed quercina eam obtundunt, vel mitigant. In Anglia est quoddam cerevisiæ genus, quod in vasis fictilibus reconditur, & non nisi in æstate bibitur, alvum solvens, urinam pellens, guttur suavi quâdam acrimoniâ quasi frigore adstringens; ægris valde jucundum & utile; Nullum cerevisiæ genus

est negandum ægris, sed sitientibus hoc vel illud, sine discrimine exhibendum; Præsertim id quod ex fontanis vel viventibus aquis compositum est; Medicus ingenio facundus ut sit necesse est; Bonum enim est bonum in ordine suo stans; in peregrino & melioratur & pejoratur. Sed hæc de potuum generibus & differentiis dixisse sufficiant.

SECTIO IX.

QUid, quando, quantum bibendum sit ægris, vel à Medico bibere consulendum vel dissuadendum, ob arcenda morbi incommoda, vel abolenda; diximus; Nempe quod non tam ars in casibus necessariis sit authentica, quam natura; non tam methodus scholastica, quam cujuslibet individui peculiaris appetitus. Jam & de somno vigiliisque quædam observatione digna monebimus. Nam sicuti edere & bibere, esurire & sitire; sic vigilare & dormire, laborare & quiescere vitæ præsentis est requisitum, cuique individuo vel utile vel noxium; vel salubre vel morbosum. Audivimus & didicimus in scholis quod sex aut septem horas dormire, juveni senique sufficiat. Nemo enim vel vix inter mille unus est qui longius dormire vel possit vel velit, adultorum; Sed an cuilibet ætati & vitæ conditioni conducat à scholis definitum vel authentizatum dormitionis tempus, breviter disquiremus. Docent quoque scholæ, somnum meridianum esse fugiendum; ob incommoda quæ inde nascitura minatur scholastica authoritas. Quia vero sæpe desunt rationes scholasticis præceptis, ita ut nobis Medicis, secundùm præcepta scholastica, sex vel septem horarium somnum suadentibus; pomeridianum dissuadentibus, & ægri, & discipuli tutò credere vix possint, sine ratione quid affirmantibus aut negantibus; igitur necesse est ut vel inquiramus vel examinemus causas, & sufficientiæ unius, & noxæ vel periculi alterius, ut nihil inconsiderate, nihil temerariò sua-

dea-

deamus, doceamus, vel dissuadeamus nostro consilio indigis. Necessaria certe est hæc materia, disquisitioneque accuratiori digna; nam æque læditur corpus nostrum, & turbatur respublica spirituum animalium inordinato vel immoderato somno & vigiliis, quàm cibo & potu, eorumque excessu aut defectu. Somnus inter omnes animales functiones morti est affinissimus; nam dormiente animali relinquunt spiritus exteriora membra, vel se ad interiora centra sua tenebricosa subducunt aliquandiu, iterum ad intermissa exteriora alacrioresque redituri. Ad animalis itaq; vitæ integritatem tantum facit somnus, eamq; vel conservandam vel recuperandam; Ubi vitam animalem vivere desierimus, nulla quoque vel famis & sitis molestia, vel quietis intervallaris aut somni necessitas vel utilitas. Ad colendum & custodiendum terram Homo est conditus à Domino, ideò & corporis hujus animalis quod terrestris est conditionis curam habere tenetur, ac medii ad communionem ejus cum mundo requisiti. Vigiliarum itaque necessitas incumbit nobis omnibus ad colendum terram destinatis; nam si tantum dormiremus, & mundus nobis & nos mundo inutiles essemus. Exculta quidem fuit terra omnibus ad vitam necessariis à Domino citius quàm homo factus fuisset; Attamen custodia vel propagatio culturæ mundi, soli homini præ cæteris animantibus est recommendata, uti docet Moyses; nosque in Philosophia sacra hæc latius explicabimus. Quia autem quievit Creator, absolutis omnibus quæ ejus sapientia creare decrevit; Ideò cultoribus quoque mundanis, sive spiritibus seminalibus rerum omnium, legem implantavit quietis, sive cessationis ab operibus externis & sensibilibus, non saltem suo exemplo, sed expresso mandato: Non omnibus quidem radicibus rerum iisdem mensuris commensuratam, sed locis & temporibus variantem: ita ut alia longius alia brevius externis laboribus occupentur; & quasi violenter tum ad quietem tum ad laborem trahantur. Uti vegetabilia, mineralia, metalla, fontesque aquarum & ipsa maria;

in accessu & recessu suo quotidiano: de quibus plura alibi. Ex hoc fundamento traxerunt originem anni climacterici, & dies critici; Quartam partem diei concessit Creator quieti animali, tres autem laboribus destinavit. Nam Solis cursus ab ortu ad occasum intra horas 24. unâ circulatione absolvitur, diei longissimæ horas sedecim, & brevissimæ totidem relinquit, cum suis crepusculis; Reliquum tempus nempe quod intercedit inter occasum & ortum solis, labori humano & cultui terræ liberum reliquit. Si verò instaret aliquis; Quodsi justum tempus somno definitum esset secundùm noctis horas, vel intervallum id quo lux solis à nostro occultatur visu, tum non semper, secundùm artis præcepta sex saltem horis dormiendum esset, vel septem; sed jam pluribus jam paucioribus, prout diversis temporibus plures vel pauciores inter solis occasum & ortum intercedunt: atque per consequens diutius nobis esset & vigilandum & laborandum in æstate quàm dormiendum. In hyeme autem quiescendum & dormiendum. Ita certè; omnes enim animalium species non tam arbitrariò quàm fataliter tractantes sua, sic agunt. Nec nos peccaremus, si nos legem hanc mundi catholicam custodiremus, ad quam nos omnia externa invitant; nam sic vivendo & vegetiores essemus ad labores diurnos, & salubriores, & beatiores, & longæviores quàm sumus. Verùm voluptati, luxuriæ, avaritiæ, vanitati obtemperantes magis, quàm necessitati, & sanctitati, dolemus frequentius, defatigamur ocyus, & morimur præcocius. Ecce in quæ mala nos præcipitavit carnalis concupiscentiæ & rationis obsequium. De nocte dormiunt qui dormiunt inquit Scriptura. Atque sic non improbat Spiritus somnum jam longiorem jam breviorem, si saltem sit nocturnus; sed omnem diurnum cavere nobis jubet, præsertim eum damnat, qui à nocturna crapula, vel vigiliis voluptuosis in nos de die irruit, atque à diurnis laboribus avocat, noctem diei & diem nocti exæquando. Nam qui sic peccant, non saltem legem Dei violant, sed & naturæ ordinem pervertunt; at-

que

que sic non cultores & custodes terræ sunt, sed destructores & deformatores; & ad naturalia, & ad humana, & ad Divina inidonei. Qui vero cultui Divino horas aliquas nocturnas impenderit; ille vespertinas lucratur pro commodiori quiete, atque de mane & ad meditandum & ad laborandum fit alacrior. Ætas verò prima & ultima vitæ hujus, longiorem exigit somnum, ut tenebris viciniores; ideo nec infantes nec senes à somno longiori arcendi non sunt; quamvis vespertinus & nocturnus utrisque conducibilior sit quàm matutinus vel diurnus. Ita & ægris est permittendus prolixior, quamvis diurnus dissuadend⁹, hic enim nocturnæ quietis prædo est. Experientia quoque ipsa testatur, eos qui de mane surgunt, & vesperi se mature quieti tradunt, eos esse si non longæviores, attamen salubriores aliis.

SECTIO X.

Quare autem somnus diurnus noxius potius sit quàm nocturnus, præsertim meridianus, vel meridiei proximus, jam expendendum est. Multa enim incommoda somnum meridianum sequi, non saltem authoritas scholastica, sed & veritas ipsa attestatur per quotidianam experientiam. Ex qua vero causa? Non ideò certe quod stomacho cibis repleto irruat, vel caput copiosioribus vaporibus oneret; aliàs crapula nunquam tuto per somnum solvi posset. Nam etiamsi jejunus dormieris circa meridiem, æquè ea incommoda senties, quæ satur, nisi majora & graviora, somniaque tristiora; Nocturnus autem somnus, mox à cœna, vel brevi post admissus, nihil noxæ habet, nihil periculi; si saltem fuerit continuus. Imò si quæ immineant à cibo & potu per diem ingesto pericula, ea per somnum talem abolebuntur & reddentur innoxia. Meridianus autem somnus omnimode est inutilis, si non plane noxius, nam ille præsentia mala aggravat, & futura attrahit; Ex causa potissimum ea. 1. Quod nec sit nec esse

possit continuus, sed ab externis occasionibus interrumpatur sæpius, ita ut spiritus ab interioribus ad exteriora debito ocyus retracti, fractis sint & quasi divisis viribus. 2. Quod non sit à Deo legitimatus, nec naturæ animali, ei videlicet quæ cum humana coaluit, congruus; Nisi noctuam & vespertilionem, vel felem, vel murem æmuletur homo. Diem enim laboribus humanis, noctem quieti destinavit Creator. Malefici nocturnas amant tenebras, ideò tenebriones dicti. Turbatâ autem ordinariâ quiete, necesse est turbari & ordinarios labores, officiaque humana. Qui aliter panem suum lucrari nequeunt vel nolunt, nisi nocturnis temporibus, illi quamvis fortes & vegeti per vitam, nec pro exemplo citari possunt, multo minus pro lege; Est quoque aliquibus in locis consuetudo inveterata sed & turpis, & ægris noxia, invisere nempe amicos de nocte; nam ægri sæpe cum magno tædio, viriumque jactura sermonem in profundam noctem continuare coguntur, vel audire alios confabulantes, in somnum proclivi; atque à talibus amicis magis incommodantur, quàm ab interni morbi molestia: Qui enim per diem dormiunt ægri, de nocte à somno impediti, revera non dormiunt, sed dormire se saltē putant; imminente autem justo somni tempore dormire nequeunt, sed vigilare debent etiam inviti. Nec etiam conducit, dormientem è primo somno excitare, præsertim largiori haustu oneratum; nisi horas circiter quatuor continuasset somnum, vel ipse sponte propriâ evigilasset. Ideò illi, qui à cœna dormire consueverunt, somno sunt relinquendi, nec interrumpendi. In aprico dormire quoq; valde est periculosum, quamvis somnus profundior irruere soleat in homines soli expositos, quia caput æstuans ex profundissimis centris evocat vapores, quibus non saltem cerebrum gravatur, sed & corpus integrum periculosè oneratur. Igitur de die omnino non dormiendum; aut si somnus evitari nequit, vespertinus est matutino præferendus, sed meridianus omnino fugiendus.

SECTIO

SECTIO XI.

BAlnearum quoque & laconicorum omnis generis est usus frequens inter populos Septentrionales, & Orientales; quorum loco apud Meridionales & Occidentales in rivis aquarum natationi studetur, sive baptisteriis. Est autem utrorumque magna utilitas; non solum ad mundandum corpus ab externis sordibus; sed & ulcera cutis curanda; atque internas salis exhalationes mitigandas. Ideo balnearia habentur passim per Germaniam non saltem privata, sed & publica, magno plebis commodo: Nam multi scabie, psorâ, leprâ, aliisque valde molestis cutis exulcerationibus infecti, balnearum medio convalescunt. Sunt quoque & laconica, sive balnea, quæ sine aquis fiunt, ad sudorem saltem proliciendum, extrinseco saltem vapore, qui ex candente lapide aliquo humore perfuso spirat, atque corpus integrum irrorat, poros laxando, atque suâ subtiliori portione se illis insinuando; Sed de his scholæ ad superfluitatem tractant; & quælibet fermè Regio & Provincia peculiarem habet & balnearum & laconicorum utendi modum; qui potius à consuetudine quàm ab arte est petendus. Thermæ autem differunt à catholico balneandi modo; nam in his nihil ars valet, sed sola natura. Nam sunt aquæ è terra scaturientes, calidæ & ad lavandum valde commodæ vel utiles, ob ipsis insitam mineralem virtutem, quam secum ex specubus terræ profundioribus evehunt; Sunt itaque thermæ balneis artificialibus præstantiores: Sunt autem omnis generis balneationes multis virtutibus celebres; de quibus consulantur Practici; nos hic illis longius immorari nolumus, sed laconismo utemur; Interim omnia genera balneationum omnibus recommendamus & sanis & ægris; & virili & fœmineo sexui; & juvenibus & senibus; senioribus quidem calidiores; Sed junioribus & fluviatilium aquarum immersionem, præsertim æstate;

& horis vespertinis, sole à meridie jam aliquantulum prolapso: In aquis autem non stagnantibus, cœnosis vel limosis; sed lympidis, fundum arenosum alluentibus; præcipuè autem marinis: Singularem autem lavationis modum quem recommendavit Christus Dominus morti proximus discipulis suis, nos hic præ cæteris quoque recommendabimus, omni & ætati & statui, & sanis & ægris.

SECTIO XII.

Et qui mundus est non opus est nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus; dixit Christus Dominus ad Petrum, Joh. 13. Si autem in his Salvatoris mystici lateat aliquid altiore indagine digni; judicent alii me ingenio ditiores; ego uti Medicus in sensu medico de hac hic materia breviter philosophabor, quãtum eam ægris profuturam judico: Sentio autem quod pedum lotio & ad conservandam, & ad recuperandam valetudinis integritatem multum conducat; non saltem verbis Salvatoris id sentire persuasus, sed & certis argumentis ex naturæ fonte petitis; hâc tamen cum cautelâ, ut & sexus, & ætatis, & morborum varietatis habeatur ratio: quæ omnia ritè servata, revera valde proficua erũt lotionem hanc frequenter admittentibus. Nam & simplici humori immersi pedes, si non profundius, attamen ad talos usque, sordibus suis mundabuntur; atque unguium excrescentiæ suppeditabitur major commoditas; cum quibus ex corpore multa maligna & venenata, sive integrum corpus sæpe inquinantia, foras protruduntur. Si vero simplici humori substituatur lixivium necessitati præsenti pro judicio prudentis Medici adaptatum, tanto majus lucrum redundabit in patientem. Si herbas aliquas aromaticas vel aquæ vel lixivio adjeceris; non peccabis quidem, sed eo acceptius efficies balneum, quamvis virtuti nihil adjeceris lixivii. Sal enim quo aqua ex cineribus imprægnatur, præcipuum

est ope-

est operans in hoc actu; aqua non nisi vehiculum est quo mediante virtus salis & mitigatur ut minus cutim lædat; & subtilizatur ut profundius penetrare possit. Liquor simplex sterilis est, nec nisi sordibus externis abluendis conducit; sed aliquo sale impregnatus, varias aquirit virtutes, vapores in anatomia venarum & arteriarum contentos contrahendi, uniendi, præcipitandi; & ea quæ in extremitatibus pedum hærent excrementitia, gravia; & valde divisibilia, ligandi; sive eorum putrefactionem, & ad superiora ascensum arcendi; atque sic corpus integrum à vaporibus morbificis liberandi, & ab infectione præservandi. Omnia symptomata febrilia abbreviabis, si horam unam vel alteram citius quam invaserit patientem febrile symptoma pedes ejus in lixivium tepidum, non autem calidum, immerseris, & immersos custodieris. Quartanas hoc modo curavi, quæ valde difficiles curatu sunt; præsertim justo tempore phlebotomiâ ægris injunctâ; & sanguinis non nisi exiguâ quantitate detracta. An non ex pedibus trahunt originem vehementissimi affectus epileptici, aliiq; plures morbi & continui & intermittentes, quos vulgus falsis & putatitiis imputat causis: Ita ut per pedum affectus multi superiorum partium præcaveantur & dissolvantur morbi, qui celeberrimos sæpe scandalizant practicos, secundum methodum tantum scholasticam sua tractantes. A pedibus revera periclitatur integra spirituum animalium œconomia. In pedibus quiescunt intermittentium morborum seminaria, septimo quoque intervallo horario, menstruo, hebdomadali, vel annali remittentia aut recrudescentia; Vide Fernelium, quid responderit dæmonium Medicis, id secundum methodū vulgarem tractantib⁹. Per pedes inquit in Regiam intravi, à pedibus egrediar, quum præstitutus dies adventarit. Lib. 2. de abditis rerum causis. Cap. 16. pag. 240. Multa in Galeno aliisque Medicis exstant in testimonium nostræ sententiæ exempla, sed nos rationem malumus sequi quàm authoritatem. Ita ut revera, secundùm verba Salvatoris, qui valet, nihilo opus

habe-

habeat quàm solà peduni lotione; Per aquam salis alicujus virtute impraegnatam, frigidam, vel calidam, secundùm quod occasio & necessitas efflagitarit. Omne lixivium liquor est vel aqua sale impraegnata illius rei cujus cinis ei permistus est. Qualia autem operatur sal in proprio corpore, talia & in peregrino. Ex colore, sapore, odore, judicatur vini virtus; Quare non ex iisdem indiciis judicare possemus de omnium herbarum quoque vegetabiliumque operationibus; si in animis nostris aliquae esset judicandi potentia, à peregrinae opinionis toxico immunis. Quid vides, gustas, olfacis in sambuco? quid in juglande, avellana, quercu? quid in fago vel betula? Quare diversas eorum figuras tuis usibus adaptare nescis, aut dubitas? quare potius credis alterius persuasioni, quam tui ipsius animi scrutinio? In igne ab igne, alia pereunt & evanescunt; alia non; sed permanent viribus integris; Igitur ex illis, de his judica; haecque tuo usui admovere discas. Omnis cinis salem habet in se reconditum; sed non unius ejusdemque virtutis & efficaciae; pro diversitate herbarum, & lignorum variant salia, in cineribus; atque in operatione lixivii per salem impraegnati. Salis virtus unitiva est; custodit unita in unione; & dispersa trahit in unum; unde quoque salis nomen tractum est à sapientibus in symbolum concordiae, pacis & foederis. Non autem perinde est quo tempore utaris lixivio, vel cui aetati ejus usum suadeas, vel sexui. Nam foeminae non conducit ejus usus omni tempore; Imminentibus menstruis omninò est cavendus; Balneum simplicis aquae tamen suadendum paulo calidius, incitat enim vel irritat motum digestivum in sanguine; quem lixivium reprimit. Postquam autem cessarunt menstrua per dies 12. tuto pedes lixivio immergendi non autem ultrà. Junioribus puellis decrescente lunâ lixivium ne permiseris; sed crescente, nam communiter cum novilunio erumpere solet sanguis menstruus; si vero aliter fiat, in jam fluxum menstruum patientibus, mutari quoque debet medici consilium;

filium; ne quid contra, sed omnia secundùm naturam moliamur; Attamen mysteria hæc artis non sunt turpiter diffamanda, & cum fatuis quibusque mulierculis communicanda; nec Deus nos, nec charitas ad talia obligat; sed à prophanatione arcet sanctisq; sancte utendum docet. Sed quomodo quis quæ sancta sanctè custodire potest, omnibus destitutus mysteriis, & non nisi vulgari methodo instructus vulgaria sapiens; Utinã plures essent, qui sapientiæ, pauciores qui honorum, favore populi, & auri cupiditate se occupare mallent Medici, multum & his & ægris consultũ esset: Quotiescunq; pedes ablueris, hoc pro corollario tibi à me dictum habe, ut ungues reseces, callosque abradas, novorum successioni hoc modo occasionem daturus.

SECTIO XIII.

DE condimentis ciborum & potulentorum humanorum hic breviter aliqua monebimus, de eorum utilitatibus & noxis. Condimentum res quidem est esculenta vel potulenta, sed quæ rarò aut nunquam sola editur vel bibitur, nisi esculentis & potulentis permista, ut per eam cibi tum gustui jucundiores, tum deglutitioni aptiores, tum ad concoquendum in stomacho faciliores, atque ita esui fiant tutiores. Horum varia sunt genera; nam quiliqet ferme cibus peculiari conditur condimento; alius pingui, alius salso, alius aromatico; ut vel naturæ vel voluptati subveniatur. Ideò sunt condimenta alia domestica, alia exotica; Inter domestica alia petuntur ex scena animali, alia ex scena vegetabili aut minerali; Ex minerali familia ad condiendum cibos nullum est præter sal solum vulgare, quod vel foditur, vel ex fontanis aquis ex terra scaturientibus per artificialem elixationem conficitur, aliud aliò salsius. Ex animali familia pro condimentis petuntur butyrum, adeps, sævum, pecudum & bestiarum sylvestrium, non quidem omnium, sed eorum saltem, quorum carni-

bus vescimur. Ex vegetabili familia innumera sunt, nempe fructus, radices, succi, vel liquores, semina, & olea. Ex quibus variè mistis multa iterum componuntur embammata & intinctus. Inter omnia condimenta Sal primas tenet, nam non saltem cibis & potui saporem conciliat gustui amicum, sed & præservat à putrefactione, & digestionem promovet intrinsecam; sive & solvit, & ligat spiritus alimentales. Quæ salis imitantur virtutes, inter domestica, sunt acetum, & mel. Exotica sunt plura & varia; Saccarum nempe, piper, zinziber, garyophylli, macer, crocus, cinnamomũ, nux moschata: Omnia condimenta hæc & his affinia, sales sunt varii, linguã sapore suo alii, & colore oculos, & odore olfactum afficientes amœno. Acetum ex potulentis fit materiis, vino, cerevisia, aqua, quæ vel sponte acidum acquirunt saporem, vel per artem; Interdum acetositas de citro; vel succus uvæ immaturæ expressus, qui agrestum dicitur, interdum spiritus vitrioli, aceto substituitur. Acida pleraque coctione magis acescunt; Quædam verò vapescunt, vel insipida fiunt; uti acetum ex Gallico sydere paratum; ideo in acetariis & lacticiniis frigidis adhibentur, sed ad condiendum cucumeres, & alia, quæ sale communi vel aceto vini condiuntur in nostris culinis, sunt inepta. Acetum vini in frigido infrigidat, in calido calefacit; ideò qui multum sudant à calido ejus usu; qui vero parum, à frigido, abstinere debent: Diaphoretica cum aceto calidiori exhibita, vel accepta, operantur felicius: Extrinsecus applicatum, sive solum, sive sali mistum; lipothymias & hæmorrhagias curat. Exceptò sale, melle & aceto, reliqua condimenta quotquot sunt, magis ad irritandam gulam, quàm ad necessitatem faciunt. Inter Exotica piper & zinziber, garyophilli, crocus, saccarum; culinis sufficiunt; Zinziber tamen solum quia radix est, eaque diuretica, ægris nunquam prohibenda; piper & garyophilli quia pinguedinem habent sapori mistam, nisi necessitas exigat, parcius exhibendi. Pinguia & olea, nisi ægri ea singulariter appetierint, nullis cibis per-

permiſcenda. Butyrum tamen majale, cum melle virgineo vel anthino, ana miſtum, ad omnia vitia pectoris, & alvum lubricam reddendam, eſt valde utile, vulgari pani butyraceo ſubſtitutum, præſertim jejuno ſtomacho. Optimum tamen condimentum cibi fames; potus verò ſitis eſt.

SECTIO XIV.

POſt condimenta Opſoniorum quoque facienda erit mentio; ſive eorum eſculentorum, quæ jam ſaturis convivis, & poſt primam menſam, vel ubi plures, in ultima apponuntur, & bellaria dicuntur. Et quamvis communis eorum apparatus non ad neceſſitatem faciat, ſed ad pompam hoſpitis, & magnificentiam Domini domus amplificandam; attamen quia nobis Medicis non ſaltem cum pauperibus tantum, quibus cum ſale panis, quotidianus cibus eſt, ſed & cum magnatibus convivare contingit, atque ſic cum ipſis opſoniari; igitur non ſaltem de neceſſariis, vel ad nutritionem & vitam requiſitis, ſed & de aliis quibuscunque gulæ delectamentis interrogati, non omninò obmuteſcere debemus; probroſum enim id eſt, ſed & de opſoniis docte reſpondere rogati, quænam aliis ſalubriora ſint; Nam inter duo mala minus eligendum eſſe, humana ſuadet prudentia. Tantò verò audactius hic de bellariis philoſophabimur, quia ſcimus ea à quibusdam Chriſtianis primæ menſæ apponi; nempe ab illis, qui diebus ab Eccleſia Romana definitis, à carnium uſu abſtinent, & non tam cœnant quàm opſonantur; ſive edunt vel ſemel tantum de die, vel ſi bis; ad mitigandam tamen potius quàm ſatiandam famem. Bellariorum quædum quoque pauperioribus nequaquam bellaria ſunt, ſed famis ſatiādæ remedia, præſertim hyeme. Nam in quibusdam locis niſi in æſtate providerent ſibi pauperiores de talibus, qualia apud ditiores pro bellariis habentur, vix poſſent hyemem ſine magna fame tranſigere. Igitur ut &

magnatibus, & pauperioribus, & ægris satisfaciamus, hic de bellariis philosophabimur, non tam aliorum authoritate, quam propriâ experientiâ & ratione eruditi; Ægri, omnes interdum carnes fastidiunt & quadrupedum, & volucrum & piscium; sæpeque de opsoniis aliquid gustare vellent, nesciunt tamen quibus tutò vesci possent, nisi consulto Medico, adeò enim sunt meticulosi, ut sæpe periculosam patiantur famem, quousque à Medico de vitandis, aut edendis erudiantur: Tam magnum malum est ignorantia, metus, persuasio, & superstitio, ubi invaluerint, ut ex hominibus liberis, mancipia efficiant. Sunt autem bellaria cibi quidem à natura producti, sed humano labore aliquantum à naturali conditione immutati; vel nobiscum nati vel ex peregrinis Regionibus allati. In Bohemia carnes fumo induratæ, suillæ & bubulæ apud ditiores pro bellariis habentur; ut Pernæ, botuli, farcimina, omnis generis, vel domi parata vel aliunde allata; sed per integram ferme Germaniam vulgarissimus cibus est: miserrimaque est domus illa, quæ talibus destituitur, vel cibis, vel bellariis. Alibi pyra, poma, cerasa, myrtilli, fraga, pruna, uvæ, persica, cotonea, vel recentia vel ignem passa, aut insolata; alibi castaneæ, amygdalæ, nuces juglandes, avellanæ, melones, secundis apponuntur mensis; Hæc & similia quæ de terra nascuntur, & insolantur, vel in clibano exsiccantur, ut diutius asservari possint, jam pro cibis, jam pro bellariis adhibentur; & modicè sumpta, in secunda quoque mensa, nihil periculi habent, ægrisque dissuadenda non sunt, præsertim cocta, sive recentia, sive prius jam vel solem vel ignem passa. Hæc tamen illis sunt tutiora; quia nullas extraordinarias turbas excitant in stomacho vel intestinis: sed saltem insolata, hoc nomine ægris periculosa sunt, præsertim alvum lubricam habentibus; nam quamvis minus periculosa sint quàm omninò cruda; attamen & hæc in stomachum ingressa, digestionem ciborum illic hærentium intendunt; quia adhuc eis aliquid inhæret cruditatis; atque sic cibos ex stomacho citius

quam

quam omnis vis nutritiva inde exspiraverit, pellunt; Igitur tosta in clibano, vel insolata quidem sed prius elixa quàm exhibeantur ægris, sunt tutiora. Si autem adstrictior fuerit alvus; tum insolata, vel recentia & cruda, in clibano tostis meliora sunt. Recentia omnia comesta, & myrtilli, qui alvum constipare docentur; & cotonea, & pyra, imò & pruna sylvestria, quæ primum adstringunt, tamen post lubricam efficiunt alvum. His adnumerari possunt omnes succi inspissati, & marmoladæ, ex cotoneis, ribes, berberis confectæ, simplices & compositæ; nam hæc ignem expertæ, mitiores virtutes habent quàm recentes fructus, vel insolati tantum; ideo ægris omninò negandi non sunt; sed pro desideriis eorum exhibendi sine omni metu. Quæ verò ægris innoxia sunt; ea à bene habentibus deglutita, nihil mali minantur. E contra omnia saccara & saccarata secundæ mensæ apposita, non saltem inutilia sunt, sed & noxia; præsertim ægris, & restauratione virium vel corporis indigentibus; Nam saccarum, quamvis sit inter succos vegetabiles recensendum, quia ex vegetabili provenit corpore; tamen minerales habet virtutes easque sali communi valde similes; nam impedit digestionem in stomacho largius sumptum; ligat spiritus alimentales ita ut minus commode animalibus inservire vel jungi possit; ideo vinum saccaro conditum minus inebriat, attamen capiti est noxium & onerosum, urinæ materiam quoque suffuratur & ad intestina propellit, ita ut ex nimio saccari usu, plura incommoda sint metuenda, quam ab uno ex bellariis omnibus. Quæ verò saccaro incrustantur, vel condiuntur radices, semina, cortices; ea tutius mane, vel jejuno stomacho quàm à prandio vel à cœna usui nostro adhibebimus, sive bene sive male habentes. Nuces, amygdalæ, pistaceæ, ob oleoginositatem vitriolaceam, quam intus reconditam habent, sub vesperam vel à cœna comestæ salubriores sunt, quàm à prandio, somnum enim svavem conciliant, & vaporum salinorum acrimoniam mitigant, ideò dysentericis, sanguinem

screantibus, mingentibus, aut ex quacunque corporis parte fluxum ejus symptomaticum patientibus, tutius concedi possunt, quàm alia austera, stiptica, vel incrassantia, aut refrigerantia appellata.

SECTIO XV.

DE jejunio quoque, vel abstinentia ægrorum aliquid dicere constitui, an videlicet aliquid ad mitigationem affectuum dolorificorum, vel morborum abolitionem conducere possit; Nam sæpè incidimus in tales ægros, qui voto obstricti, nec de cibo, nec de potu, imo ne de medicamentis quidem aliquid gustare volunt, violationem voti declinantes, & pessima quæque vel periculosissima perpeti promptiores, quàm quæ voto eorum in contrarium futura putant. In capitis hujus sectione 2da. docuimus; quòd Medicorum pertinax scholasticæ methodi custodia, ægris frequenter sit non saltem onerosa, sed & valde noxia; dum nempe ægris, cibi vel potus ab eis tantum & valde desiderati, omninò exhiberi prohibentur; è contra medicamenta, vel cibi aut potus, quos tamen fastidiunt, invitis obtruduntur, imò per vim ingeruntur. Quod si vero æger aliquis, nullâ externâ persuasione, vel extrinsecus haustâ imaginatione pellectus, sed vel ex voti requisito, vel etiam aliâ & spontaneâ voluntate, ab omni cibo & potu, imò & medicamenti usu abstinere in animo concluserit suo, existimans se eo modo convaliturum; An hoc ægri propositum, & consilio Medici, & naturæ desideriis est præferendum? Actum hunc Germani nominant, sich deß Trinckens / deß Essens / und Gebrauch der Medicamenten gar enthalten. Non quod non esuriat, vel quod debilior sit quàm ut aliquo medicamento, præsertim evacuante, uti possit; sed quod ita in animo proposuerit suo, nihil omninò vel edere vel bibere, etiam à siti, à fame, à morbo, ad edendum vel bibendum sollicitatus; & à Medico jussus.

sus. Quid in tali casu quæso agendum? Qui medicamenta fastidiunt, attamen vel cibos vel potus admittunt, falli à prudentioribus possunt, ut nescii, medicamenta tamen admittant; sed qui omninò & à cibo, & potu abstinent, quamvis medicamentis uti necessarium eis esse existiment Medici, falli nequaquam possunt; Solliciti sunt quandoque amici de ægris adeò obstinatis, vel parentes de liberis; in eam angustiam non solum propria opinione, sed & Medici persuasione prolapsi; non putant enim ægros eo modo convalituros, sed prostratis omnibus virib⁹ à morbo & inedia, certo morituros esse. Sed errant revera suo malo, sic affecti ægrorum amici; Nam tali modo magnos & multos sæpe abolitos fuisse morbos vidimus, aliud quid ominantibus vel minantibus Medicis, vel metuentibus ægrorum amicis. Præsumptio enim propria, si pertinax sit, & continua, multum potest contra morbi & violẽtissimi impetum, præsertim intervallaris, qui justis temporibus recurrere solet; Non enim obtundit saltem ejus acrimoniam constantiâ, sed & eum ad centrum vel quietem ocyus redire cogit; atque quietum sic ligat, præsertim si sæpius se ei opposuerit, non aliter quam flamma & ignis suffocatur, superposito aliquo medio aerem intercipiente liberum. Si quis stimulante fame & siti, præsenteque cibo & potu, edendi bibendique licentiâ, vel externâ lege aut vi compulsus, edere tamen vel bibere renuerit; ille unâ operâ duos profligat hostes alterum internum, alterum externum, utrumque valde fortem. Et quamvis rarum, imo impossibile videatur, famis & sitis sævientis intus, præsentibus externis eorum violentiam mitigare aptis mediis, superare stimulos; sicuti impossibile est ignis flammam perpeti; attamen non adeò impossibile est quàm verum, etiamsi rarum; Qui enim obstinato animo se carnalibus desideriis opposuerit, non saltem pugnandi sed & ea vincendi animo, ille superior ipsis evadet, etiamsi suâ violentiâ ignis æstum æmulentur; ideoque sagittæ ignitæ dæmoniorum appellentur in scri-

ptura, vel ignes ipsi. Talis enim animi obduratio, præsertim si fiat per virtutem ab alto, fidei est æmula, vel fidei rudimentum, à principiis per quæ nata est primum faciens incrementum; nisi se ab externis aliquando emollire patiatur, jucundiora persuadentib⁹. Qui igitur ægrorum tam forti est animo, quod famis & sitis, imo morbi violentiam superare possit absque externorum subsidio, Ille certe brevi victor evadet etiam violentissimi morbi; Nam si à febre sitim autuleris, vel eam sine molestia perpeti sciveris, omnia superabis; nullo indigus extrinseco remedio. Sed si æstus, fames, sitis, fortiores sint quam eos superare possis; tutius est ut bibas & edas quod ad satiandos ejus stimulos efflagitat natura, quàm quod consulit aut objicit ars; melius est ut bibas vinum, si vinum sitiveris; quàm julapium; si hoc fastidiverit animus tuus; Multi præsertim infantes, siti pereunt, quos ars liberare à morbo non potest; atque ideò satius fuisset eos satiare desideratis, quàm afflictis afflictionem augere, denegatis afflictionum remediis. Sed semper serò sapiunt Phryges.

SECTIO XVI.

IMaginationis humanæ exaltatæ magna certè vis est, in morborũ solutione, & ligatione, attractione & abactione; ita ut sine concursu imaginationis ægri, vel parũ, vel nihil proficiant medicamenta, vel admodũ tardè operentur, quæ felicius operata fuissent imaginatione ægri exacuata. Nam cujuscunq; rei imago im-prægnaverit mentem; in rem eam trahit quoq; omnes internas & externas possessoris facultates, & sensoria, corporisq; membra; Imo in rem eam integrum quasi conformat, vel conformare studet hominem ipsum, tali imagine prægnantem; nisi seriò se opposuerit, & internæ imagini, extrinsecus contraria molitus fuerit. Imaginatio autem habet suas quoque pedissequas, nempe amorem aut metum; vel tristitiam vel gaudium; vel motum vel quie-

quietem; vel studium, vel odium. Igitur Medicus, qua Medic⁹, vitæ & valetudini corporis ægri consultur⁹, exhilarare mẽtem debet & excitare ad talia quæ ad rem ægri faciũt & corporis beatitudinem, per imagines visui vel auditui patientis objectat, intẽtioni Medici, & spei ægri conformes; omnemque metum, tristitiam, dubitationem & quæ illorum sunt seminaria arcendo & removendo; quousque nihil periculosi animadverterit adesse in corpore ægri; Sed his præsentibus, peccabit si de periculis non præmonuerit; Male agunt utrique, & illi qui suis persuasionibus & promissis, sed falsis vel dubiis, erigere volunt ægrum, quem nequaquam erectum iri sciunt, vel saltem dubitant; in pejus omnibus indiciis propendentibus, quæ judicio occurrunt Medici: Et illi qui ægrum minime periculoso, quamvis gravi morbo decumbentem, falsis tamen vel fictis periculis terrent; Morbi conditionis omninò ignari, quamvis magnam prudentiam verbis dissimulent. Laudabilius est ut moriatur æger morte piorum quàm impiorum; periculo non obrutus, meliora sperans ex persuasione Medici; sed de periculo monitus; etiamsi quid præter spem aut judicium Medici ceciderit, vel æger convaluerit, quem Medicus externorum indiciorum violentiâ territus, moriturum, vel diu ægrotaturum, ominabatur; Si enim cõvaluerit præter spem & suam & Medici æger? lucrum est; sed si spe suâ frustrat⁹ Medici persuasione suffultâ, occubuerit; & ægrum fefellit Medicus, & se ipsum ignominiæ exposuit apud homines, & cõscientiam oneravit crimine. Tutius est minari periculũ, quamvis cõvaluerit æger; quã promittere meliora; si occubuerit. Pauci admodũ sunt ægri, quib⁹ nuntius mortis nõ sit terribilis; attamẽ promittere Medicũ vel falsa vel dubia, vel omnino impossibilia ægro, & promissis juramentũ appẽdere; si utile est ob lucrum, impiũ tamen est & probrosum, propter conscientiam, artisq; nobilitatem. Imaginatio ægri, si omnia indicia in melius tendant, est quidem per artem erigenda, nequaquam terrenda aut deprimenda; si verò indicia in pejus vergant, vel nullum ex illis

certum de futuro eventu colligi possit judicium? tum vera loqui, vel nihil promittere nihil quoque minari consultius est; sive tacere. Nam ex dubiis indiciis favorem populi vel honorem venari velle, si non noxium est semper Medico, tamen sæpe ægro. Imaginatio hominis uno vel altero exemplo suffultâ, superstitionis est seminarium; Superstitio autem fidei virtutem æmulatur, & sicuti fides semel radicata difficile movetur, sic & superstitio. Differuntque saltem objectis, nam hæc ex terrestri; fides autem ex cœlesti exemplari suam haurit idæam; ita ut idem sit superstitio in naturalibus scientiis quod fides in Divinis. Utraque quidem interno nititur testimonio; sed superstitio saltem probabili, vel apparenter vero; fides autem semper necessario. À Divino Spiritu nunquam superstitio; à naturalibus aut terrestribus, nunquam fides propriè dicta surgit; nam hæc non acquiescit sensibilibus, sed solum carni & sensui impervestigabilibus. Si itaque Medicus intendit imaginationem ægrorum mutare in superstitionem? facile id efficiet, per media naturalia & sensibilia; Sed si superstitione liberare? Nec ipse sine fide id præstare potest, etiamsi in naturalibus sit peritissimus; nec etiam alteri fidem dare quam ipse habet, nisi cœlum ejus adspiraverit intentioni. Magna est superstitionis efficacia in naturalibus; Sed fidei in Divinis tantum; sed & in naturalibus superstitiosis major.

SECTIO XVII.

OMnia dogmata scholastica & consilia Medica, quæ formidolosos reddunt ægros, animosque eorum deprimunt non erigunt, sunt vitanda à Medicis; Nam dubius aut meticulosus Medicus, tales efficit & discipulos & ægros. In scholis didicimus nobis ab aliquibus metuere & cavere morbis; scilicet à pestilentialibus, & omnibus illis qui contagiosi dicuntur; sed melius est ignorare metum, quàm profiteri. Amoveamus itaque ex mente nostra tria illa adverbia, quæ nobis ut singularia adversum pestem

amuleta vel antidota, recommendarunt præceptores nostri; Citò; longè; tardè; Nam nemo effugiet pestem qui eam fugit, metu scilicet in fugam pulsus; alia sunt effugia, eaque multo tutiora, quæ in hunc finem Divina docet Sapientia; hæc si sequutus fuerit quis; non saltem pestem, sed & ipsum pestis terrorem effugiet: Majus enim malum est metus ipse, quàm id quod metus fugiendum docet. Quot quæso evaserunt mortem vel pestem meticulosi? Aliquos nosti; sed si conferres numerum eorum qui perierunt metu, decuplo illis plures essent; Nec ideo effugit aliquis pestem quod eam declinaverit, vel se contra eam terrestribus muniverit pharmacis; sed quod ei pepercisset; vel eum vulnerare saltem, non autem omninò perdere, jussus fuerit interfector Angelus; aliquo eorum duriori malo objiciendo quàm pestis est; Nam qui à peste immunes evadunt, alii hydrope, alii apoplexiâ, epilepsiâ, phthisi; per plures non menses tantum sed & annos vexantur, ita ut mallent mori quàm vivere; Angeli percussores non sunt bruti; nec arbitrariò agunt, nec percutiunt omnes obvios sine discrimine; sed alios vulnerant tantum; alios omnino necant; sic instructi à Domino; Non inanis enim character est quo secernuntur illi, quibus parcere vult Divina providentia, ab illis, qui potestati percussorum relinquuntur. Nec fabula est aut figmentum, doctrina nos de tali discrimine erudiens. Amuleta & antidota quæ humana parat vel parere docet Sapientia, ex rebus de terræ penu petitis; sunt valde utilia imò necessaria; non ad arcendum pestem a nobis; sed ad curanda vulnera pestilentialia, nisi omninò sint mortifera. Nos autem Christiani omnes tam Medici quàm ægri, non solum nobis providere debemus remedia ad curanda vulnera & ulcera, utilia & necessaria; sed & ad placandam iram Numinis, & conciliandum furorem percussorum conducibilia; Nemini autem infensi snut hi, quam incredulis, quàm meticulosis, quàm superstitiosis, & gentilismo aliquo modo infectis. Sæviunt homines grassante peste in

in canes, in feles, in aves; quasi hæc animalia essent contagionis vehicula; sed errore admodum turpi & ignominioso; Ecce in quanta mala nos ducit metus, incredulitas, ignorantia, & mundi hujus amor, vel amoris ejus in nobis præsentia; Si vere Christiani essemus, sine dolo & hypocrisi; ab omnibus talibus incommodis & molestiis immunes foremus; aut nos Divina elogia fallunt. Omnes itaque meticulosi & Theologi & Medici, sibi ipsis, omnibusque suis discipulis & ægris, ipsâ peste pestilentiores & damnosiores sunt; plebsque & propria, & ipsorum luit peccata, morbis & morte, ab ipsorum consilio & persuasione pendula. Si occultarent metum suum; minus essent noxii; sed quia meticulosorum agnem ducunt, ideò suspecta est eorum fides, superstitionis, Et doctrina fraudis: Medicus & Miles meticulosus; uterque pestis est; ille reipublicæ; hic exercitus.

SECTIO XVIII.

AEr, quamvis quoad mensuras communes, quibus hæc sensibilia elementa & elementata metimur, merum nihil sit, atque sic ad Medicos, qui circa sensibilia tantum versantur, non pertineat; ideò ad examen aeris nullus labor requiratur; vel profundior, quàm quem sensibilium examen exigit; Tamen quia in aerem primus fit impetus à spiritibus terrestribus, sive ex tenebris in lucem, sive ex luce in tenebras peregrinantibus, undè omnes mutationes, generationes & corruptiones sensibilium originem trahunt; ideò & hic de aere paucula quædam monere volui, quantum nempe ille & qualis, sali corporis nostri prosit aut noceat. Est autem aer materia prima & universalis rerum corruptibilium, sine exceptione, omnium; Spirituum, vel formarum quibuscunque aliqua agendi virtus implantata est, habitaculum; Et quia aer ipsissimũ nihil est; Aqua tenebricosa; inanis & informis abyssus; ideò omnium signaturarum sensibilium capax est; Ex e-

jus

jus chao, vel centro, egrediuntur formæ activæ cujuscunque nominis, in sensibilem scenam mundi hujus; & redeunt quoque in eum, quæcunque formas sensibiles exuunt. Nam si Aer, sive nihil non esset; nullum esset inter entia mundi hujus & spiritus, commercium; Nihil generari novi, nihil corrumpi, nihil mutari, alterari, augeri, minui posset, sed immutabilia essent omnia; ut in Philosophia sacra docebimus. Primus itaque sensibilitatis gradus per calorem vel frigus erumpit; sive per formam talem, quæ tenebris & spiritibus est maxime affinis, & à mensuris locorum & temporum exclusis; Calor & frigus, actus sunt spirituum omni voluntate & cognitione destitutorum, sive virtutum terrestrium; ideo cœci, surdi, muti, gustu, olfactu & loco motivà destituti, à frigore tamen & calore afficiuntur; tanquam à primis & profundissimis virtutibus terrestrium spirituum; Ex calore & frigore, illi qui aliqua sensus vel judicii facultate pollent, quid novi vel metuere vel sperare debeant, docentur. Nam nihil fit sub sole novi, cujus caloris vel frigoris gradus non fuissent prænuntii: Sic omnes morbi, omnia vitæ exordia, à talibus pendent indiciis; imò omnes in universo mundo mutationes; Extremus calor dissipat omnia, quæ aliquandiu fuerant sensibilia; atque aufert signaturas sensibiles, quæ fuerant numerabiles à legibus numeri, ita ut amplius numerari non possint. Nam si mille lapides pretiosos conjeceris in ignem, nequaquam eos candentes ab invicem discernere poteris, & quamvis revera discrepent & in tali statu; deficit tamen sensum visus, virtus eos discernendi. Extremum frigus sic omnia numerabilia opprimit quoque, ut nihil sint vel non nisi unum, quoad externi sensus mensuram, esse appareant, quamvis sint infinita; Sic in terra sunt mineralia, metalla, arbores herbæ, pisces, volucres, animalia, cum omnibus suis signaturis, sicuti butyrum & caseus in lacte; sed frigus terræ, sic ligata tenet sub tenebris omnia, ut sine calore de nullis judicare sciat vel possit sensus. Sic sunt in sanguine nostro omnium morborum

seminaria; sed ligata sub tenebris, ut ea adesse nesciamus, quæ tamen caloris & frigoris varii gradus, sensibus nostris per vices & intervalla jam exhibent, jam subtrahunt. Aer itaque frigidior, vel temperatus calor, vitæ animalis, præsertim humanæ, sunt optima præsidia; Sive & calor & frigus sic temperati, ut non sentiantur, nec dissipant, nec obruunt virtutes animales; sed si alter sentiatur in nobis, sive calor, sive frigus; tunc vel in dissolutionis, vel in oppressionis periculo versatur vita nostra præsens; & nisi remittat incrementum hujus vel illius, dolemus; quousq; mensuræ sensitivæ non dissipentur omninò vel opprimatur. Et quamvis in nobis ipsis surgant rudimenta & caloris & frigoris, compagi corporis hujus inimica; attamen ab externo quoque calore & frigore sæpe periclitamur; sive interna incenduntur, & ex tenebris in lucem progredi occasionem rapiunt, quæ tardius id fecissent, nisi ab externis occasionibus irritata. Ideò suademus ægris talia, quæ interioris vel frigoris vel caloris incrementum prohibere, ex nostri animi judicio existimamus; Ex saporum varietate indagamus calorum frigorumque virtutes, sed sæpe decipit nos judicium à sensu edoctum; nam sensus non judicant nec capiunt alia, quàm quæ in luce sunt; ad tenebras penetrare nequeunt, & judicium rationis in profundiora pertingere impediunt. Lingua non semper est idonea ad judicandum sapores; nec etiam ubique terrarum idem est sapor omnium unius speciei individuorum; sic vina discrepant, sic omnes fructus vegetabiles, & omnium animalium carnes; Imo & unius corporis diversa membra non saltem saporibus dissentiunt; sed alia intensioris caloris vel frigoris gradus requirunt, non saltem intrinsece, sed & exterius diversa diversis foveri gaudent; Nam caput nec caloris nec frigoris illius capax est, cujus auctioris fotu gaudent extrema manus & pedes; Pedes si adversum omnem frigoris vehementiam muniveris, etiam pluribus tegumentis, non peccabis; sed capiti unum idque leve vel exiguum sufficiet: per calorem paulo intensiorem reddes one-

onerosum, ita & si frigidior id contigerit aer aut aqua. Hæc ratio potius quàm sensus erudiat nos oportet.

SECTIO XIX.

INter ea, quæ salem corporis nostri alterant, & quæ vice versa à sale acuuntur vel obtunduntur, Ira est & Venus; Igitur de duobus hisce affectibus salinis, pauca quædam monebimus, quantum nempe ad vitæ præsentis beatitudinem conducant, aut ei noceant. Ira quid sit, non opus est ut verbis loquar, omnes enim sciunt quid Ira sit, qui ejus commodum aut incommodum aliquando in ipsis experti sunt; sed nemo est qui ab ira omninò immunis esset; ideo nemo est quoque, qui ignoraret quid ira sit, atque sic qui per verba mea, aut literas scriptas de iræ utilitate, necessitate, damno aut pernitie erudiri oporteat. Quamvis autem omnibus & singulis, & ægris & bene habentibus, ita sit quotidiana; tamen quia commoda vel incommoda ejus in corpus redundantia non omnibus ex æquo cognita sunt, præsertim ea quæ non subito iram subsequuntur, vel ejus sunt comites, sed tardius; ideò hæc hic si non bene habentibus, attamen bene habere cupientibus demonstrare volumus, ut sciant in quantum irasci bonum vel malum sit. Ira furor est brevis animi, similem pariturus fructum in membris, præsertim illis, quæ salis excrementitii sunt receptacula vel emunctoria, scilicet furorem, sed longiorem quam animi fuit. Ira vel furor animi manifestus; sua incommoda quoque manifesta habet, donec per verba, vel gestus seipsum exinaniverit; sed est & furor animi vel fervor quidam occultus, cujus radices sunt profundiores, & stimuli acutiores; qui non saltem externa lædit, sed & ossium medullas consumit, imo potius spiritibus ipsis quam membris sensibilibus existit damnosior. Atque à tali sibi cavere est consultissimum; prior ægrum efficit corpus, & qui eum frænare nescit, in periculosos præcipitat affectus, epilepsi-

lepsiam, apoplexiam, calculos, colicam, phthisin, podagram cum suis speciebus; quia salia è centris eorum tenebricosis in sensibilem trahit scenam, quæ in nobis citra eam occasionem innoxia, imo nobis utilia fuissent, suâ quiete. Sed occulti, & à nobis ipsis occultati furores salini, & fœtui communicantur; ideo inquit Sapiens, quod ex liberis cognoscatur, qualem vitam vixerit parens; scilicet in occulto; nam ex verbis & gestibus externis, de situ judicamus unus alterius; sed liberi, & ea produnt quæ occultarunt parentes in spiritibus suis, ita ut ea nec loqui nec facere voluissent, ex causis ipsis quidem notis, sed non aliis. Ideo aperti animi quamvis fervidiores, tamen occultis sunt meliores, & suo ipsorum corpori & aliorum: nam minus habent periculi, quia subitò uti surgunt ita cadunt; Sed ira cryptica, quamvis lenta sit, furore manifesto est damnosior. Audivimus in scholis ex bile vel ejus superfluitate tales oriri affectus; Ideo iracundi, biliosi dicuntur. Verum non ex bile iram, sed ex ira bilem augeri certius est; quia omnia sensibilia ex insensibilibus surgunt centris. Columbus dicitur carere bile; & tamen est animal valde iracundum; si rostrum & ungues aquilinos haberet columbus, reverà ipsâ aquilâ esset damnosior, nam spiritus ejus merum sal est vel ignis, ideo excrementa maxime sunt biliosa, & calci vivæ parallela, nam sæpe ex illis magna surgere solent incendia, uti alibi diximus. Et quamvis ira, vel animus in vindictam pronus etiam externis destitutus mediis, possessorem suum valde torqueat, in morbumque ducat, trahat, pellat, etiam ignarum; tamen sæpe vel interdum irasci conducit; Nam externis irritamentis animi hebetiores acuuntur, & fiunt ad multa aptiores, quam si quieti mansissent. Sic contumeliis & calumniis animi fervidiores redditi, sunt quasi è somno evigilassent, atque felicius, facundiusque sua tractant quam si adulatorum blanditiis obtusi, torpuissent turpi otio. Ideo qui animos fortes & magnos calumniis vel contumeliis obruere nituntur, & laterem lavant, & oleum igni affundunt. Sic

Sic ægram naturam quandoque concitare ad iram, conducibile est; si saltem fiat & bonâ intentione,& modo legitimo,ita ut facile coerceri possit,quod excitare proponimus. Ideò ira non tam est noxia,quàm sæpe utilis. Sed iracundia vitium est; ideò quoad posse vel vitandum; vel omnes ejus occasiones amovendæ, ab omnibus, præsertim autem ab ægris.

SECTIO XX.

VEnus, ipsâ irâ esset periculosior affectus,nisi quadam amicabili specie abblandiretur suis clientibus; Est autem ad propagationem generis humani requisitum necessarium, ab ipso Creatore à principio institutum; sed quia jam sine lege & fræno errat & tumultuatur per orbem; ideo valde est noxia, scilicet ea, quæ animos dementat hominum, & cœco impetu, nec periculo, nec turpitudine facti terretur. Quod ex spermate in corpore, vel vasis spermaticis ultra tempus retento multa, & valde gravia surgant incommoda, in primo Capite scripti hujus demonstravi; ideoque veneris moderatum & legitimum exercitium, tanquam Medicus nemini dissuasi; sed maturanda esse conjugia, præsertim puellarum, consului; Sed quàm utilis & necessarius est Veneris usus; tanto damnosior & turpior est ejus abusus. Et quamvis illi, qui ægri dicuntur, videantur esse immunes ab ejus stimulorum molestia; attamen sunt plurimi morbi,qui venerem acuunt, ita ut facundiores sint ad actum eum intra, quam extra paroxysmum,ægrorum aliqui; quamvis post factum dissolutis viribus maneant aliquandiu: In utroque sexu quotidie id fit; nam podagricæ, phthisicæ, calculosæ, epilepticæ personæ, ob exundantiam salis in ipsorum sanguine valde sunt lascivæ; ideò venerem ex spuma maris,& Saturni testibus natam,antiqui fabulantur Poetæ,pulcrâ similitudine; ideo podagricis non est dissuadenda Venus; nam per ejus exercitium mitigantur dolores,sed diffi-

pantur vires; monendi tamen sunt de periculo. Epilepticis præsertim puellis, matrimonium vetandum non est, sed potius accelerandum; nam plurimæ à plaga sua liberantur tali remedio, imo vitam redimunt, quamvis morte prolis, unius & alterius: Nonnullæ ipsius quoque mariti; Dæmonium enim id, Asmodæus dictum, valde est lascivum, & nisi in peregrinum sævire possit corpus, omnem suam virulentiam in proprium eructat, & variis cruciatibus affligit patientes; Multæ puellæ ob summam lasciviam incidunt in Phthises, aliosque morbos & turpes, & graves, & diuturnos: pudet enim ipsas fateri lasciviam, quam in occulto gerunt; quædam pudore repudiato, adversus omne telum aperiunt pharetram suam; nam stimuli salis earum acutiores sunt, quàm ut vel pudore, vel metu pœnæ obtundi possint: Hæ quidem satis sunt validæ, & bene habentes; illæ verò semper pallidæ & valetudinariæ: tamen his virtuosiores. Ideò consultius est puellas maturè elocare viris, quàm eas tantis periculis vel morborum vel scelerum exponere; præsertim si quid lasciviæ in eorum vel verbis vel gestibus animadvertamus; Ægri, qui aliquandiu fastidierunt Venerem, si eos novum ejus desiderium invadat, brevi integram sunt recuperaturi valetudinem; sed caveant sibi ab ejus excessu, nam in recidivas relabuntur priore morbo graviores, per excessum Veneris; ex cujus tamen efflorescentis indiciis certam sperare poterant salutem, si modum servassent. Quorum nervi læsi sunt à vulnere vel ulcere; illi & ab ordinario ejus exercitio abstineant; ne dissipatis viribus in lethalem præcipitentur casum; attamen non omninò caveant; nam ex putrescente spermate, vulnera profundiora & ulcera inficiuntur malignâ acrimoniâ; ita ut in fistulas abeant quandoque; interdū verò mares virilitate spolient; non aliā videlicet ob causam, nisi quod salis spermatici vapores ad alia propulsa sint emunctoria, intermisso Veneris necessario exercitio. Magna certè & profunda prudentia requiritur in Medico, omnia sua consilia in ægrorum

com-

commodum dirigere volente: Qui non nisi Methodum sequuntur & sequi volunt scholasticam; illi, ut cum Fernelio loquar, cum morbo ægros è medio tollunt; Quia sapientiâ destituuntur, ex peregrina verò tantum lucrum suum quærunt.

CAPUT XI.

De Medicamentis.

SECTIO I.

OMnes motus & quietes salis terrestris vel terrificantis, cujus virtutes per omnes sublunarium specierum individuorumque radices, semina & fructus variis, vel inæqualibus mensuris diffusæ sunt, tam centrales quàm superficiales, effluentes, refluentes, diffluentes & confluentes, fatales sunt, & necessitativæ. Ideò omnia & singula sublunaria & cœlestia, justis locorum & temporum parent legibus, legum nempe salinarum mancipia; Nam custos universitatis & perpetuitatis sensibilis, vel Mundi hujus Sal est. Ex hujus impulsu dies diem, nox noctem per crepuscula vespertina & matutina sequitur. Quatuor anni tempora diffident; ætas ætatem urget, quælibet suis commodis vel incommodis stipata; Sanitates quoque & morbi, generationes & corruptiones sibi mutuo succedunt. Hinc pondera, sapores, odores, colores, æstus, frigora, humiditates & siccitates suas trahunt origines; ita ut videantur omnia sibi invicem indissolubili nexu concatenata esse, & tam mala quam bona fieri oporteant; In illis videlicet scenis & scenarum centris vel superficiebus, in quibus sal terræ, & spiritus mundi hujus suum dominium exercet; Solis hominibus magnam reliquit Divina sapientia, omnium artifex libertatem; imò arbitrariam impressit imperandi, omniaque perturbandi aut in ordine pulcro custodiendi libidinem, facundiam, & scientiam; nempe illa, quæ ante homi-

minem quidem facta, sed homini in servitium subordinata fuerunt; Salutares fuerunt ortus hujus mundi inquit sapiens, non exstitit pharmacum exitiale in exordio mundi, neque inferorum fuit regnum super terram; Deus enim creaverat hominem ad conditionem incorruptam, & imaginem ipsissimæ naturæ suæ fecerat eum; ut lux mundi esset & sal terræ Sap.1.14.& 2.23.Matt.5. 13.14.Marc.9. Omnia fuerunt à principio valde bona, valde utilia, valde necessaria; Alimentales virtutes habebant vegetabilia tantum arbores earumque proventus homini, herbæque omnes viridantes in cibum destinatæ fuerant animantibus in escam à Creatore; Nulla fuit mors, nullus morbus, inter ordines rerum sublunarium, inferis servientibus, superis dominantibus, secundùm tenorem legis Divinæ; nulla medicamenti vel necessitas vel utilitas fuit, nullà noxià, deleteriàque virtute inter entia mundi tumultuante. Terrestrium formarum nulla informare vel decuit vel potuit hominem, sed omnes ei materialiter subserviebant & subservire debebant, nisi ipse lapsu suo inferorum virtutes exaltasset & supra se elevasset; atque sic se legibus fatalibus implicasset servili conditione. Sed proh dolor, virtutes inferorum non saltem animales, sed & vegetabiles, & minerales, & metallicæ, & meteoricæ, & elementales, & astrales, in corporis nostri republica liberum acquisiverunt dominium, ita ut & animum nostrum origine cœlestem, non saltem sollicitent, invitent, sed & violenter trahant in obsequium legum terrestrium & terri ficantium; quarum legum quidem Deus ipse author est, ita ut nec noxiæ sint, nec malæ, in suis stantes ordinibus; sed deleteriæ & mortificantes evadant, servilem dominio permutantes conditionem, nostri spontanei obsequii occasione: uti in Philosophia nostra sacra, mille testimoniis & exemplis id probabimus. Amor inferorum sic nos terrificavit & terrificat hodie, ut non saltem oblivio vel ignorantia cœlestium, nostræque libertatis privilegiorum, nos teneat captivos, & à familiaritate cœli divellat; sed & æ-

ter-

ternam inter Deum & nos ſtabiliat inimicitiam, & reconciliationis difficultatem vel impoſſibilitatem. Voluptate carnis ſenſuali ſic nos obfaſcinavit ſpiritus mundi hujus, & excæcavit animos noſtros, ut in luce tenebricoſa concupiſcentiarum ejus ambulantes, vel ambulare amantes lucis cœleſtis & æternæ omninò fiamus & maneamus incapaces. Quomodo jugum ſaporum, odorum, colorum, calorum, frigorum, humiditatum, ſiccitatum, ponderum, excutere poſſimus vegetabilum & elementalium, ſcimus vel ſcire amamus artem; ſed evitare moleſtias animalium concupiſcentiarum nec ſcimus, nec ſcire, nec diſcere volumus, quaſi hæ unius nobiſcum ſint conditionis vel ordinis & dignitatis, quum tamen harum occaſione, minerales, metallici & elementales ſpiritus nos ſibi ſubjugaſſent, & quotidie ſubjugent. Alimenta & medicamenta quærimus & reperimus in ordinibus nobis inferioribus; ſed niſi plura venena, quam vel alimenta ſunt vel medicamenta in ordinibus prædictis vel eorum claſſibus; tamen non pauciora ſunt ea ubique quæ nobis ſunt noxia & deleteria, quàm quæ utilia vel neceſſaria ad vitam & voluptatem judicamus. Nam regnum quod acquiſiverunt ſemel inferi & quo modo, id eodem modo, arte, dolo & vi propagare continuant quotidie, & ſuper nos & ſuper omnia quæcunque aliquomodo ad ſervitium, utilitatem, vel neceſſitatem humanam inclinant.

SECTIO II.

NOn ſaltem famis, ſitis, pudoris vel metus plagas evitaturi, exploramus viam & media, ſed illis quoque plagis ſtimulos addituri, non contenti ſufficientibus famis, ſitis, pudoris metusque remediis, non ſaltem per ampla mundi ſpatia cum magnis periculis & moleſtiis vagamur, ſed in tenebricoſiſſimas & profundiſſimas terræ concavitates deſcendere non metuimus, inde quod ſatiare poſſit inſatiabilem concupiſcentiam petituri, ſub titulo ta-

men utilitatis & necessitatis nostræ; Omnia quidem sensibilia mundi hujus entia se nostris insinuant sensibus peculiaribus indiciis, characteribus & signaturis extrinsecis; Imò singula clamant quid possint, vel quid sciant; sicuti concupiscentiæ animales, quid velint; Atque Præcepta legis Divinæ quid debeamus vel amare vel odisse, vel agere vel fugere, ex externis & virtutibus & scientiis. Omnia & potuimus & possumus adhuc quæ volumus; sed non omnia velle debemus sic, quasi nolle non possemus; nam talis necessitas non nos premit aut premere debet; sed libertas inter nos & bestias agri, constituit hiatum, facitque discrimen, nos ipsis præferens, nostri dominii, eorumque servilis conditionis. Docuerunt nos scholæ juventutis nostræ ex saporibus judicare de herbarũ virtutibus, earumq; efficaciarum gradibus; sed lex Divina ne tangere quidem nos permittit aliquas, multo minus aliquid de ipsis gustare; nisi ab eorum virtute lædi velimus; Nam sapor quarundam ignem si non superat, attamen æmulatur violentiam ejus; si non manifeste tamen occultè; Et sicuti ignem innoxiè tangere nequimus, ita & herbas quasdam, vel alia mundi hujus entia, suâ tamen utilitate non destituta: Si alimentales herbarum virtutes vel medicamentosas per gustum explorare & invenire possimus; quis sensus nos erudiet de earum malignis & venenatis potentiis; an hæ omninò negligendæ sunt, vel aliis manifestioribus indiciis se produnt quàm utiles & necessariæ, alimentales nempe & medicamentosæ? Pessimum hoc est in arte Medica, quod historica potius doceatur virtutum rerum naturalium cognitio, quàm vera, quàm realis, quàm experientiæ irrefutabili argumento certiorata. Nam sicuti multi astronomi sine ratione ex solis ephemeridibus & dogmatibus antiquorum suas calculizando fugunt prognosticationes; Ita Medici ex antiquorum traditionibus suas parant, parare discunt & docent medicinas; utrique fortuito potius quam indubitabili eventu; Quasi herbæ nobiscum hodie adeò familiariter non agerent, ac cum antiquis illis

illis Medicinæ doctoribus; vel quasi nos non possemus ex iisdem fontibus haurire cognitionem rerum, ex quibus hauserunt illi, sed vanâ saltem credulitate erudiri & niti in arte nostra vel ejus praxi debeamus. Nos etiam persuasione & hypothesibus antiquorum contenti, sine mente & judicio sicuti fuimus discipuli, ita quoque manemus, & manere amamus Doctores. Ex saporibus solis nos inquirere virtutes alimentales & medicamentosas docuerunt Medici antiqui; nam sapores dixerunt esse indices & internuntios primarum atque secundarum qualitatum, quibus virtutes medicamentosas metiri sueverunt: Cæcos sine dubio sequemur duces, si eorum doctrinam imitati fuerimus in virtutum medicamentosarum scrutinio, qui colores & odores tam varie imò & tam valide nos afficientes ut & sapores, vel non odorarint & viderint, vel omninò neglexerint, & suo exemplo negligendos esse docuerint. Verùm quod & colores & odores multum possint in nos, in animos & corpora nostra suis impressionibus ultra quotidianam experientiam docet exemplum Evæ, quam sola species coloris formosa fructus terrificavit; Et Jacobi, qui variegatis virgis in fæcundavit pecudes variegatis fœtibus. Quare utimur suffumigiis vel odoratis vel fœtidis si odorum vel parva vel nulla est in indagine virtutum medicamentosarum utilitas vel necessitas, ita ut his neglectis solis saporibus investigandis se occupaverint & occupent Medici antiqui & moderni. Quare metuimus nobis ab aere fœtido putrescentium cadaverum fœtore inquinato; vel quare dicimus & docemus arceri pestem aromaticis odoribus vel balsamis? cum tamen in herbis colorum & odorum examina negligimus, solis saporibus contenti vel eorum indiciis. Sal autem non solos sapores moderatur, sed omnes formas quæcunque sapores antecedunt, comitantur vel sequuntur: scilicet pondera atque affines characteres, colores denique, odores, calores, frigora & siccitates.

SECTIO

SECTIO III.

NAtura itaque, sive Sal illud seminale quo condita sunt & conduntur omnia ex tenebricosa abysso in scenam mundi sensibilem progredientia, & ex hac iterum in locum ortus sui redeuntia, & vegetabilia & animalia, per herbas, arbores, frutices, earumque partes, & partium varias signaturas, quibus omnia & singula peculiariter insignata sunt, nobiscum quasi muti per gestus loquuntur, & sensibus nostris, sensus vero rationi indicat, quid & qualia vel quanta sub eorum conditione vel formali vel materiali possint, sive extra nos, sive in rempublicam spirituum nostrorum recepta; Sic & membra singula corporis nostri enuntiant multifarias conditiones scientiarum & concupiscentiarum carnalium vel animalium in nobis hærentium; quando hi alimentis, quando medicamentis indigeant, & quibus. Omnia nobiscum apertè agunt & syncere, sed nos vel cæci sumus, vel surdi, vel in perversum omnia trahimus sensum, aut perversos sequimur vel sequi amamus potius ductores; Infiniti sunt sapores, odores, colores; per suos gradus divisi singuli; sed lingua una saporibus omnibus; nares, vel olfactus odoribus, visusque coloribus discernendis sufficit; Quousque nempe prædictæ signaturæ earumque authores seminales spiritus materialiter se habent in nobis contenti; Dum vero formalem induunt rationem, tum in nobis ea operantur quæ extra, captivantque sensoria ut rebus externis discernendis vel minus apta sint, vel omninò inepta fiant, donec spiritus nobis infensi vel sponte redeant in quietem, vel a nobis doctè reducantur vel repellantur; per alia media, quæ virtutem habent eos qui nos infestant, frænare aut ligare, aut ex anatomia corporis nostri expellere. Quænam virtutes sint spirituum vegetabilium extra nos formaliter sua determinantium, scimus; nempe sapores, odores, colores, & pondera variare, multiplicare, propaga-

pagare, secundum cuique à Creatore implantatam legem; sive fructus meteoricos, minerales, metallicos, in eisque latentes ejus nominis & naturæ spiritus, solvere, animaliumque & humano usui adaptare; Sed in nobis ea non agunt nec agere debent quæ extra spiritus in seminibus vel fructibus vegetabilium quiescentes, in corpus nostrum sub titulo alimenti vel medicamenti, recepti aut ingesti; nam si alere nos debeant; tum necesse est ut à spiritibus carnis nostræ patiantur se transformari in sanguinē carnes & ossa, citius quam alimentales dici possint. Si vero eos usui nostro adhibere intendimus tanquam medicamenta, nobis auxiliatura contra alios materiales quidem, sed formaliter nos infestantes; tum non in nos, sed in nobis peregrinos & rebelles suas vires exerant oportet; non materialiter, sed formaliter; ut nos eorum auxilio à rebellibus liberari, atque sic quietem acquirere possimus: atque sic medicamentorum virtutes non minus erunt peregrinæ nobis quàm morbificæ, quamvis illæ his, non autem nobis sint contrariæ: Atque sic medicamenta vehementiores habere debent virtutes quàm alimenta, ut morbificos in nobis ligare, aut ex nobis secum educere possint ocyus, quàm sine opera horum fieri à nobis vel spiritibus nostris potuisset. Omnes spiritus inferiores si in nobis formaliter agant, nobis sunt inimici, & nos terrificant, vel deorsum trahunt, vel ascendere quo Deus vocat impediunt, omnes & singuli suo modo. Nam animales etiamsi non possint transmutare corpora nostra in pecuina vel ferina; tamen pecuinis & ferinis imaginibus turbant nos vel inquietant; Vegetabiles autem, quamvis in nobis non producant arbores, herbas, gramina, cum eorum signaturis; Colores tamen, sapores, & odores generant sensibus infestos, & sensoria inepta reddunt ad repræsentandum res externas spiritui sensitivo; imo & mutos & surdos & cœcos nos efficiunt; sicuti ipsi tales sunt; Et quamvis sensus omnino non aboleant primo impetu, tamen parant viam inferioribus ut & hi in nos commodius sævire possint,

& membra noſtra plane terrificare, vel in limum & terram reducere; ſicuti ipſi in limoſis & terreſtribus, vel aqueis & vaporoſis quieſcunt corporeitatibus. Quantus ſit furor & violentia ſpirituum mineralium & metallicorum extra nos, docent venti, æſtus, frigora, nives, procellæ, fulgura, tonitrua, aliique fructus meteorici. Ideò nobis alimentales eſſe nequeunt, niſi per vegetabilium ſpirituum virtutes fracti & mitigati; Ecce quàm pulcre, quàm utiliter Divina Sapientia ordinaverit omnia. Nam nos hic in hoc corpore, ſine igne, ſine aqua, ſine terra, ſine meteoris, mineralibus & metallis, ſine vegetabilibus & animalibus vivere non poſſumus, ſed hæc poſſunt ſine nobis; attamen nulla in nobis vivere poſſunt, nobis viventibus, ſed mori & ſervire omnia, vel ſic eſſe quaſi non eſſent. Nam dum hæc in nobis fieri incipiunt vel agere, quæ fuerunt & qualia extra nos; tum nos morimur, ſive ſumus ſi ſumus quaſi non eſſemus; nam mundus ſenſibilis nos ignorat ſub tali conditione; nec nos mundum hunc agnoſcimus, vel eo ad vitam egemus; Sed hæc in Philoſophia Sacra latius deduximus.

SECTIO IV.

INfernè ſive de terra nobis ſubminiſtrantur & alimenta & medicamenta; & ea quæ nos nutriunt & quæ affligunt, delectant, diſcruciant, vivificant & mortificant; Non nos tamen proprie, ſed corpus hoc quo mediante cum mundo hoc communicamus; alius eſt cibus hominis alius carnis, alius qui nos vivificat, alius qui mortificat, in hoc corpore agentes; Ideo inquit Chriſtus Dominus; Non ſolo pane vivit homo. Mortuus fuit Adam eo die quo peccavit, ut minatus fuerat Dominus; attamen ſuper vixit annos nongentos, vitam vivens eam quæ eum mortificavit, citius quàm ab hujus mundi uſura divulſus fuiſſet. Qui itaque medentur huic corpori, non medentur homini, ſed humano præſenti ſtatui;

parant-

parantque medicamenta,& alimenta exinde ex quo desumptum vel exstructum est corpus hoc, & ei qui exstruxit; Spiritui nempe animali qui nobiscum in uno habitat corpore, ob fœdus quod cum eo pepigimus, quod tandem tamen dissolvi debet; Invitus enim hic ad abyssum revertitur, imò non nisi pervim tractus aut pulsus; Spiritus autem hominis ex Deo ortum habens, suspirat dissolvi à suo antagonista, & sæpe abit in occursum Domino adadventare tardanti, spretis sensuum delitiis. Medicamenta itaque hominum lapsum erigentia de cœlo peti debent, nam sunt cœlestia, sicuti ipse spiritus de cœlo est; Sed animalem spiritum mundo huic alligantia, vel infestis inferis reconciliantia, de terra peti debent; quamvis cœlum vel cœli Deus, verbo suo & hunc è tenebris in lucem hanc evocarit, in luceque certis legibus sua determinare ordinaverit; sed & de his latius in Sacra Philosophia; jam de medicamentis terrestribus terrestri huic corporeitati utilibus vel necessariis pauca quædam monebimus. Medicamentum est ens unum ex naturalibus, sive ex terrestribus entibus, quod suâ virtute superat virtutes vel animales vel naturales & nobis amicas; vel morbificas, corpori huic infestas, inimicas & deleterias; ideo ejus usus non est quotidianus, nec etiam adeò jucundus ut alimentorum; Rem exemplo explicabo. Pastor gregis à grege differt cujus pastor est; sic spiritus à corpore, cujus author & conservator est; sed ab utroque discrepat canis & lupus; nam ille gregi quotidianus & amicus est; hic verò, quoties irruit, semper ideo ut dilaniet aliquam è grege pecudem; sic morbus lupus est, infestus & pastori & gregi, imo & cani ipsi sive medicamento contrarius; atque hujus ope vel arceri aut propelli debet, & potest, si virtus hujus superet virtutem illius; sin minus & spiritus & corpus animale tam diu patitur ab hoc quousque expleverit famem suam, carne & sanguine animali: vel donec exanime reddiderit corpus, etiam sæpè sine manifesto vulnere; sæpè, variis defœdatum ulceribus vel vulneribus. Læditur autem corpus hoc

animale ab extrinsecis & ab intrinsecis causis, ideo utrisque opposita quæruntur & reperta adhibentur remedia vel medicamenta, à Medicis qui in tuenda sanitate & arcendis vel propellendis morbis, pastorum funguntur munere; quorum officium exigit, vel in tuto pascere gregem vel talibus canibus sive medicamentis providere, ut adversum insidias morbi corpus hoc tutum maneat, vel impetus ejus sine virium & vitæ jactura tolerare possit. Ideo Medicina in Diæteticam & Therapeuticam divisa est; Illa saltem de alimentis agit; hæc de medicamentis; Quia vero ex occulto quasi erumpunt ea quæ & spiritum & corpus animale vel quotidie infestant, ut fames & sitis; vel interdum, ut morbi, animi, corporisque ægritudines; ideo paria quoque quærit ars, illorum incommodorum conscia, medicamenta; ut & ordinariis vexis, & extraordinariis periculis, liberet vitam præsentem. Sensibiles quidem sunt cibulentorum & potulentorum materiæ, ita & medicamentorum; sed insensibilis est virtus & illorum & horum, quæ vel naturali vel artificiali potest subservire usui.

SECTIO V.

SEnsibiles formæ vulgò qualitates dictæ, sensibiliter agunt vel patiuntur, similes in similes, vel contrariæ in contrarias; ita ut visus, auditus, gustus, olfactus, tactus, & locomotiva index fit earum motus vel quietis, amicitiæ vel inimicitiæ; Sed virtutes spirituales rerum omnium profundiores & occultiores sunt, quàm ut comunibus indiciis deprehendi, vel mensuris mensurari possint; Quod butyrum & caseus ex lacte procedant, scimus; sed quid sint antequam sensibiles fiant, vel quomodo sensibiles fiant ex insensibilibus, nescimus; Panem, vinum, carnes animalium, fructusque vegetabilium esui conducere & potui, famemque & sitim mitigare; nemo est qui ignoret; sed quomodo vel spiritui animali, vel corpori subsidio esse possint, & in sanguinem, ossa,

car-

carnem tam variam efformari; non omnes assequuntur, vel assequi possunt; Ita & quomodo nos lædat vel quare arsenicum vel antimonium aliaque mineralia vel metallica corpora, quamvis quoad sensus testimonium, omninò innoxia, insipida, & vitali virtute destituta sint: Nisi ad occultas qualitates confugiamus, sive nolentes volentes ignorantiam confiteamur. Hoc tamen certum est, neminem servire posse duobus dominis contraria molientibus; ita nullus spiritus servire potest legibus naturæ sui ordinis, & superioris vel inferioris; sive naturæ animali & vegetabili vel minerali; vel hujus vel illius dominii immunis, ut sit oportet tertius alterutri serviturus; sive mineralibus vinculis solvi, vegetabilis aut animalis ordinis officia administraturus; vel animales leges abnegare, minerali & metallicæ familiæ reconciliandus: atque sic mori citius, quam vitam priori dissimilem vivere possit. In hunc finem corpora metallica in vapores & fumos, exhalationesque & humores varios rediguntur extra nos, ut & nobis & animalibus & vegetabilibus materialiter ministrare possint, spiritibus seminalibus. Huic intentioni inserviunt omnes putrefactionum, digestionum, fermentationum, dissolutionum, pulverizationum, destillationum, sublimationum, calcinationum modi; quibus videlicet spiritibus prioribus vinculis liberari, atque sic ad serviendum aliis parati & prompti fieri possint. Citius enim reconciliari possunt animalibus vegetabilia quam mineralia, citius vapores quàm humores, vel hi quam corpora sicca & solida; sic homines facilius fiunt animales, quàm vegetabiles recipiunt impressiones. Non potest homo deificari vel spiritualizari, nisi animalem super eum dominantem mortificet in se, vel mortificare nitatur naturam; Ita animal animalem non potest vivere vitam, nisi subactis vegetabilium, meteororũ, mineralium & metallorum virtutibus. Ideò seminales spiritus vegetabiles & animales, tam pro se quàm pro nobis laborant, vinculaque quibus captivæ tenentur virtutes inferiores, rumpunt, ut eas nobis in mi-

nisterium faciles reddant. Hunc nisum naturalium virtutum imitatur vel æmulatur ars, atque incipit promovere, quod natura reliquit imperfectum, vel in nobis à spiritibus animalibus nobis cohabitantibus perficiendum; adhibetque ignem extrinsecum & sensibilem operi suo, quod spiritus seminales, qui ignes sunt occulti vel insensibiles, inchoarunt quidem, sed nequaquam compleverunt, ob defectum in eis non tam virtutum, quàm cognitionum & concupiscentiarum, vel legum ad perfectionis integritatem requisitarum. Quo itaque cognitiones subtiliores & concupiscentiæ ab animalibus legibus liberiores, ubi sunt activæ, tantò perfectius nascitur opus, & vita tutior, longior, beatior; Quia autem homines inter se & animalium cognitionum concupiscentiarumque & pluralitate & vehementiâ & subtilitate decertant, ideo & artes eorum, artiumque leges, instrumenta, exercitia, opera, variè diffident; alia homines animali vel terrestri; alia Divinæ vel cœlesti & spirituali naturæ, vitæ, sublimitati reddunt, vel esse docent affiniores. Fugiens homo animales concupiscentias consors fit naturæ Divinæ, inquit Scriptura; sic animal spernens vel non metuens impressiones formales seminalium spirituum se inferiorum, liberrimè vivit, sive nemini servit, nec alium reveretur quàm hominem, cui servire est destinatum; Sed de hac rerum subordinatione plenius in Philosophia Sacra.

SECTIO VI.

Duo sunt spiritus huic mundo præsidentes, alter Dominus, alter Domini, sed & hic dominium affectans absolutum; ideo duplex quoque ars humana, vel sapientia sensibilium operum dictator & doctor; alia cœlestis, alia terrestris; alia animalis, alia humana; alia Divina, alia Diabolica; uti docet Jacobus. Homo, qui quidem in imaginem Dei creatus fuit primum, & non nisi in domicilium sapientiæ cœlestis, tamen jam & à supra & ab infra

infra discit, influxusque patitur tum Divinos, tum animales; hos tamen & frequentius excipit, & promptius, retinetque firmius & libentius quàm illos; utpote horum ab ipso conceptionis momento, nativitatis hora vel servus, vel captivus; Animales quamvis in suis ordinibus boni & pulcri, utiles & necessarii sint; tamen quia interDeum & hominem hiatum cõstituunt, & eorum impediunt vel remorantur comunionem; ideo nobis si non in præsenti noxii videntur, tamen sunt futuri ab hinc. Quia verò & inter animales & humanos, animalib⁹ inferiores, sæpe intercedunt; atq; homini quoad statum animalem multas creat molestias & dolores; ideò vegetabiles virtutes æque sunt noxiæ vel infestæ homini quoad vitæ animalis comoda; ac animales quoad humanæ dignitatis complementa. Sapientia humana sæpe quidem recedit à formarum sensibilium contemplatione, & scrutatur vel docet ea & talia, quorum capaces sensus non sunt, attamen vel se elevans & ad superiora ascendens; vel deprimens, & profunditates terrestres rimans, intra cancellos manet animales; saltem quod illa subtilius hæc crassius, de rerum sensibilium causis philosophetur, atque sic una, nempe quæ superiora explorat, cœlestem magis æmuletur vel spiritualem majestatem; quæ vero in inferioribus hæret, non nisi terrestria & sensibilia sapiat, sciat, amet. Ideò Philosophi & Medici sapientiæ humanæ clientes, alii alios excellunt; tamen utrique non nisi terrestribus innixi fundamentis, non nisi terrestria sapiunt, quousque destituuntur revelationibus cælitus factis; Quamvis autem nec verbis nec sublimi cognitione possimus effugere dominium inferorum; sed virtutes virtutibus, cognitiones cognitionibus, & voluntates concupiscentis, activas passivis superiores inferioribus opponere necesse habeamus; inferiorum vel servilium dominia vel arcere aut destruere; superiorum autem dignitatem tueri; atque sic rerum confusiones præcavere, vel confusas justis ordinibus restituere, morbos sanare, defectus explere, superfluitates tollere, & quæ sponte suâ vel propriis

priis virtutibus se erigere vel stare nequeunt, sublevare & fulcire intendentes; Attamen doctè vel sapienter, & divinis dogmatibus congrue, de rebus omnibus loqui vel philosophari, posse & scire præsertim coràm vel cum illis, qui nullis indigent medicamentis; æque necessarium est ac ægris medicamenta parare vel exhibere aut admovere. Impossibile enim est ut omnes cautelas, quæ hic observatu sunt necessariæ, & Medicis dignæ, ex integro doceamus; quas tamen attentus Lector horum scriptorum, ex rationibus nostris depromere, atque suis usibus accommodare poterit; si mentem meam assequutus fuerit: ideò enim hic adsum ut doceam quæ scio & expertus sum in mea praxi, verissima & tutissima esse, tum pro ægris tum pro Medicis, si saltem veritati obsequi ament, vel hi vel illi. Loquar igitur hic de Medicamentorum varietate; pro diversitate Medicorum ea præparantium & exhibentium variante; de Galenicis & Chymicis, eorum necessitate vel præstantia. Sine medicamentis hic vivere commode nequimus, quia à morbis nullibi & nunquam tuti sumus, sed sæpè variis obnoxii; quorum & violentiam obtundere, & diuturnitatem abbreviare & frequētiam abolere docet ars; quæ tamen valdè fallax est, ut ipse Hyppocrates docet; Difficileq; est tale reperire medicamentū quod semper prosit; spesq; & fides ægri ergaMedicum & medicinam, plerumq; plus efficit quam Medicus & medicamētum; ideò sunt quidam qui Artem Medicam quidem utilem esse & jucūdam professi, tamen ejus eventus casuales esse judicarunt; præsertim in morbis illis, qui à Diis, mortalibus infligi censebantur; quamvis chyrurgia, & medicina illa quæ excutanea corporis vitia curat, per manifesta & securiora remedia, palpando & videndo quæ agit, certioribus niti fundamentis, & eventus sortiri securiores credatur.



SECTIO

SECTIO VII.

Citius quàm de medicamentis loqui pergamus, mentionem brevem faciemus corporis humani Anatomiæ, vel membrorum ejus numeri, conformationis, connexionis, soliditatis, concavitatis, artificialis demonstrationis, quæ fit sectione; quantum nempe illius cognitio conducat ad Praxin Medicam; Videtur enim tanti momenti non esse, ut ea destituti, vel leviter saltem instructi ad faciendum medicinam idonei non sint; Nam sicuti ex spermate à seminalibus spiritibus formantur omnia membra modo sensu imperscrutabili; ita quoque occultus admodum est concursus spirituum nutritivorum cum nutriendis, vel alimentalium cum animalibus, mutua communio; Nullus est sensibilis meatus ad medullas pertingens & tamen nec hæc aliunde suum nutrimentum capiunt quàm unde sanguis caro & ossa, nec etiam aliter hæc quam medullæ, quamvis sensibilem processum mutationis ciborum in sanguinem, vel sanguificationis officinam comminiscantur scholæ; Quid est vero quod medullificat; nisi id ipsum quod ossificat, carnificat, & sanguificat; Spiritus nempe, vel substantia sensuum excellens mensuras & judicium. Est itaque Anatomiæ utilitas magna; sed non tanta quantam vel imputant vel promittunt Anatomiæ, ejus professores; Excrementa cibulentarum & potulentarum materiarum, ita & vaporum post saturationem spirituum reliquorum, sensibiles sunt, quemadmodum morborum connexio, vel internorum viscerum continuitas & contiguitas sensibilis est; atque per manualem demonstrationem doceri potest, quà vel cibi ingrediantur, vel excrementa egrediantur in corpus & è corpore; sed præterea nihil, nisi membra læsa aut affecta, inter morbos vel morborum causas recensere velimus, uti vulgariter fit; nam ægri accusant stomachum, vel renes, vel dentes, vel matricem, ut afficientes eos causas; cum ta-

men inteſtina illa ſint receptacula ſaltem vel diverticula malorum; eorumque jam actu ſenſibilium, nequaquam autem dolorum cauſæ. Ideo Medicis medicamenta internis affectibus præparantibus, ſuperficialis ſaltem cognitio Anatomiæ corporis humani ſufficiens eſt. Chyrurgi autem qui externis ſaltem ulceribus, vel tumoribus medentur, illis non tam internorum membrorum, quam externorum conformationis, connexionis & continuationis nomine conducet; Nec opus eſt, ut ſæpe vel ſemper illi excolendæ impendant tempus, ſed quantum vel his vel illis Anatomiæ conducit cognitio, prout quis docilis eſt ingenii, ſemel atque iterum conſpexiſſe ea quæ vult, ſufficiet; Reliquum ſtudii Medici tempus, imo vita integra examini ſerio omnium vegetabilium, animalium, volucrum, piſcium, radicum, foliorum, medullarum, ſaporum, odorum, colorum, ponderum, ſcientiarum, concupiſcentiarum, virtutũ, extra nos ſitarum eſt impendenda; nihil enim eſt corpus hoc noſtrum, quàm rerum prædictarum omnium breve compendiũ. Ideò qui ex corpore humano, mumia, ſanguine, oſſibus, medicamenta quærunt, quamvis acutiſſimi ſint Anatomici; revera nihil ſciunt, etiamſi ſibi & aliis doctiſſimi videantur; Neſciunt enim extra nos omnia actu reperiri, ſeorſim, & ſenſibiliter ordinata, quæ in nobis vel idealiter tantum, vel admodum implicite & obſcurè inhærent. Verùm quia exempla potius aliorum fide hiſtoricâ ſequi volumus, quàm rationem, ideò neſcio quâ temeritate, audaciâ, impietate in cadavera mortuorum ſævimus, cum tamen extra nos omnibus neceſſariis & ad nutritionem, & ad morborum curationem nobis provideat natura, vel Deus potius Naturæ Creator & Judex. Si unius humani corporis membrorum numerum, vel conformationis, aut connexionis conditionem noveris; Omnes noveris; ſed ſaporum, odorum, colorum, ponderum, quamvis ex uno Sale hæc procedant omnia, multo eſt alia conditio; nam ſingulæ eorum ſpecies, ſpecierum individua, individuorum gradus, non ſaltem numeris vari-

variant, vel externis ſignaturis, ſed internis virtutibus; in hisque ſolis deliteſcit omnium & ſingularum rerum diſcrepantia. Non omnes ſapores cognoſcit, qui cognoverit unum; Nam & unus ſapor, e.g. acidus vel amarus, ita variat in ſpeciebus & individuis, ut qui idem nomine ſit in diverſis, contrarius tamen in virtutibus eſſe deprehendatur. Par eſt & colorum & ponderum & odorum ratio. Attamen qui ſalis theſauros noverit, ille in uno ſale omnia concentrata eſſe reperiet, quæ per univerſum mundum ſub variis imo & diſſidentibus formis diſperſa ſunt: uti mox aliquot exemplis probabimus.

SECTIO VIII.

EX uno ferro ecce quàm varia artificialia opera conficiunt fabri, vel artifices mechanici, ad juvandum, offendendum, defendendum, aliaque præſentis vitæ commoda vel incommoda conducentia inſtrumenta; quæ tamen omnia & ſingula non niſi ferrum ſunt; Nam gladii, haſtæ, limæ, mallei, incudes, forcipes, clavi, claves, catenæ, unci, anchoræ, ſecures, cultri, acus, ſubulæ, quotidiana quotidiani laboris inſtrumenta ferrea tantum ſunt, & tamen extrinſecis formis variè diſcrepant, & variis uſibus adhibentur à nobis amice vel hoſtiliter invicem agentibus. Sic arbores plures, frutices & herbæ, ſpeciebus & numero diſſidentes, non niſi unum aliquod minerale, vel metallicum corpus habent pro materia, ex quo varios ſapores, odores, colores efformant; cum tamen ſub mille formis omnium, non niſi unum ſit ſalis alicujus mineralis aut metallici corpus; à ſpiritibus ſeminalibus vegetabilium tamen ſic immutatum vel formatum, ut in ſingulis peculiare eſſe videatur, cum tamen ſit ubique unum & in omnibus idem. Salis enim mineralis cujusque corporeitas abyſſus eſt tenebricoſa formarum ſenſibilium; nam in ſingulis individuis occultantur inexhauſti theſauri saporum, odorum & colorum; vinculis

tamen ponderum & soliditatum fortissimè constricti, ita ut sensim vel successive aliqui, iterum alii ocyus vel tardius inde solvi, vel progredi debeant: Hosque nisus spirituum seminalium sic diffidentes, miratur humana sapientia, & imitari studet, imò & aliquos æmulatur sed paucissimos, idque non sine metu, defatigatione, errore, dubitatione, aut periculo. Videamus arborem nucis juglandis, quercum glandiferam, avellanam, morum, fagum, mespilum, pyrum, aliasque plures arbores, frutices, herbas; ut cerasa, pruna sylvestria, alnum, rosas, berberis, ribes, acetosam; examinemus eorum folia, flores, fructus, ligna, cortices, ex eorum saporibus, coloribus, odoribus vel virtutibus, quas usibus nostris adaptamus, & deprehendemus, eas omnes & singulas sic tractare vitriolum, sicuti fabri nostri mechanici tractant arte suâ ferrum. Nam omnes prædictæ arbores, frutices, herbæ, non nisi vitriolaceas exhibent sensui nostro pro objecto signaturas, variis characteribus in superficie discrepantes; Ita ut qui vitriolum norit, omnes prædictas arbores, frutices, herbas, earumque virtutes in singulis speciebus, specierum individuis, individuorumq; membris discrepantes norit; vel qui has scit in multitudine; non nisi unius salis mineralis scit enarrare divitias; attamen artifices diversos quærere oportet, hunc vel illum saporem, odorem, colorem, ex vitriolo habere desiderans; sicuti acum ab alio, ab alio cultrum, vel clavum, vel malleum fabro petere; quamvis undique non nisi ferrum referat, varie formatum: sic alium saporem deprehendit gustus in nucis fructu, vel pyri, vel glandis; attamen non nisi vitriolaceum ubique, ita variant & odores & colores omnium & singulorum in omnibus & singulis eorum corporeitatis partibus: In aliis manifestiores, vel minerali naturæ affiniores; alibi iterum occultiores, & animalium sensui magis affabiles & jucundi. Sambucus, ebulus, helleborus, aliæ denique plures vel arbores, vel frutices, vel herbæ, si antimonium tractant, uti prædictæ

dictæ vitriolum. Innumeræ autem sunt species mineralium in terræ profunditatibus provenientium, sic ab invicem discrepantes tum virtutibus intrinsecis, tum extrinsecis homogeneitatibus, sicuti vegetabilia & animalia discrepant heterogeneitatibus; extra, intus autem cognitionibus & concupiscentiis. Spiritus autem animales quotquot eorum sunt post corpora astrorum creatæ species, spiritus sunt luciferi; & judices constituti lucis formarum ante ipsos formatæ; spiritus verò astrales, elementales, vegetabiles, minerales, metallici, meteorici, sunt spiritus terrestres, tenebricosi, terrificantes & obtenebrantes omnia superiora suis caliginibus; sed alimentantes identidem omnia suis inexhaustis virtutibus; non enim ad imperandum sed serviendum & obediendum subordinati sunt à Creatore superioribus; superiores autem destinati ad imperandum & dominandum inferioribus. Nos homines, creaturarum sensibilium quidem in ordine successionis ultimi; sed in imperando primi & maximi, non opus habemus nos fatigare laboribus, quamvis colere & custodire in ordinibus suis omnia, officii sit nostri; nam sine nobis, sed pro nobis omnia sponte fiunt à spiritibus seminalibus rerum extra nos sitarum, sine exceptione omnium; Pro nobis exhalat terra vapores in expansum ascendentes ex ejus profunditatibus metallicis & mineralibus; Pro nobis spiritus concavum cœli occupantes vapores infernè receptos, sed ponderibus pristinis spoliatos, novis ponderibus vestiunt, ventosque, nebulas, rores, pruinas, pluvias, grandines, chasmata, fulgura, tonitrua producunt, & vapores terrestres vel aquaticos variis exornatos formis sensibilibus supernè deorsum ablegant, ut vegetabilibus & animalibus seminibus inservire possint; qui tales non fuissent futuri per se, nisi virtutes meteoricas spirituum aereorum experti fuissent. Nam intolerabili vel æstu vel fœtore vel frigore molestassent animalia, nisi per virtutes meteoricas & vegetabiles labefactatæ, dissipatæ, & sic fractæ fuissent eorum virtutes centrales; nam hæ

in corporibus metallicis extremè unitæ, à ſeminalibus ſpiritibus animalium ſcenarum ſunt inſuperabiles; ideoque venenatæ & pernitioſæ eis exiſtunt in primo ſuo occurſu, nam non aliunde ſurgunt omnes moleſtiæ & violentiæ in ſphæris & ſcenis ſuperioribus animaliumq; familiis ſenſibiles, quàm ex terreſtribus virtutibus nondum omninò fractis; vel ſe in priſtinam formam recolligentibus; Quid quæſo repræſentant herbæ plurimæ, ut urtica, ranunculus, raphanus, perſicaria, ſynapi, naſturtium, aſarum, eſula, cum ſuis ſpeciebus, per ſuos ſurculos, ſuccos, ſapores, odores, colores, aliosque ſenſibiles characteres & ſignaturas, quàm nitroſi, quàm arſenicalis, vel alterius mineralis ſalis tincturas; aliæ mitius, aliæ vehementius. Terra ipſa, inanis & informis abyſſus eſt, ſed in abyſſo ſua tenebricoſa, inexhauſtos theſauros virtutum violentiſſimarum complectitur. Quicquid Deus vult & jubet in his terris fieri; id omne terra poteſt; ſed ſine juſſu Dei nihil agit, vel eſt quaſi non eſſet; ſic ſe habent virtutes omnes; nam nullæ moventur, niſi à ſuperiorum ſcenarum cognitionibus, aut concupiſcentiis motæ; uti alibi latius probavimus.

SECTIO IX.

AScendamus ultrà ad ſcenas usque animales, nam & ex illarum familiis noſtra promimus & alimenta & medicamenta, perpendamusque quid ſingulæ earum ſpecies habeant pro inſigni, quo vel ipſa ab invicem diſſident, & à nobis; vel quibus ſingulæ ſe vel nos juvant aut lædunt; offendunt vel defendunt; atque ſic vel in pœnas rebellionis noſtræ, vel in præmia obſequii, trahi aut adhiberi poſſunt. Quid ſunt ſquammæ piſcium, conchæ conchyliorum, cruſtæ cruſtaceorum? Quid pennæ, roſtra, ungues volucrum? Quid cornua, ungulæ, ſetæ, lanæ, pili, dentes, ungues quadrupedum? Quid ſæva, adipes, pinguedines pecudum? Quid ſtimuli aut aculei apum, ſcorpionum, ſerpentum?

Imo quid integra quædam animalia, ut cantharides, aliaque insecta, solo contactu noxia & deleteria? Revera nihil aliud quàm ipsissima salia mineralia, varia à variis animalium spiritibus seminalibus, sensitivis, imaginativis, astutis, brutis, iracundis, vel meticulosis, adaptata, in usum eorum & nostrum. Quid aliud alimenta, medicamenta, vestes, ornamenta, divitiæ, arma, & munimenta, oblectamenta & plagæ nostræ quam inferorum corporeitates, variarum virtutum vel spirituum terrestrium, & nos terrificantium habitacula, insidiæ, vel subsidia & impedimenta, instrumenta & media. Quid aliud venena, philtra, fascina, nisi ipsissimi sales & virtutes minerales, suis violentis potestatibus deleterii; nostrisque spiritibus subjici nescii, aut rebelles? Quid sunt excrementa animalium, vel nostrametipsorum, quæ in nobis aliquandiu quidem innoxia fovemus, sed non diu, ut humores quatuor ex quibus nos constare credimus, quid sudores, urinæ, sputa, aurium sordes, aliæque res nobis ipsis post egressum abominabiles? Quid sanguis, præsertim fœminarum menstruatim excerni consuetus? An non sunt corporeitates, vel mineralibus valde affines, eorumque tincturis intus & extra imbutæ. Non ex primis qualitatibus, non ex elementis eorumque varia mistione tot formæ saporum, odorum, colorum, ponderum, aliarumque signaturarum sensibilium discrepantiæ surgunt; Sed spiritus seminales rerum omnium extra nos & in nobis sunt architecti, jam materialia officia, jam formalia obeuntes, jam serviles, jam dominantes, aut dominium affectantes. Omnes formæ materiales quascunque nomen lucis complectitur, sub diversitatibus diei & noctis, mane & vesperæ, locis, temporibusq; variabiles, fuerunt antequam nos fuissem⁹ vel animalia, imò antequam astra in fornice expansi prosplenduissent, tot specificis differentiis discreta ab invicem omnia, quot hodie discrepant, Nulla est astralis influentia alicujus inferioris virtutis author; à spiritibus seminalibus inferiorum derivantur omnia, quæ vel eis inhærēt, vel ex eis in nos transferūtur. Et alimēta &

ta& medicamenta, & utilia, & necessaria, & noxia suppeditat nobis familia mineralis, metallica & vegetabilis omnia; Ex animali autem familia in nos concupiscentiæ & imaginationes animales transplantantur; nihil cœlum potest, nisi quod ei à Creatore concreditum est, distinguere scilicet tempora, secernere lucem hanc visibilem, à tenebriis iisdem mensuris mensurabilibus; quinta essentia & influentia cœlestis, commentum est gentilium; Quo carent inferiora, id à cœlo nequaquam sperare possunt; nec quod quid habet, cœlum id ab ipso auferre potest, nisi aboleatur nostra cum inferioribus communicatio; Spiritus sunt seminales sublunariũ, qui fuerunt antequam astra exstitissent authores omnium formarum sensibilium & in nobis & extra nos, & colorum, frigorum, humiditatum, siccitatum, ponderum, motuum, & saporum, odorum, colorum, consistentiarumque omnium; Non virtutibus insensatis, sed animalibus sensitivis destinata sunt astra in signa & indicia temporum; uti alibi docuimus. Rigidæ admodum, homogeneæ, vehementes, violentæ spiritibusque superioribus inobedientes aut omninò rebelles sunt mineralium virtutes, id eorũ externæ signaturæ docent, in egressu eorum à centris tenebricosis primo, vel eorum cum superioribus congressu, sicuti rude est ferrum, citius quam artem expertum sit. Sed sicuti hoc accommodant artifices suâ arte ad usus varios; sic quoque sensim mitescunt minerales virtutes, quæ aliquandiu cum superioribus communicarunt, & fiunt medicamentosæ ex venenatis, vel alimentales ex solidis & ad alendum inidoneis. Quæ medicamentosas virtutes habent, ea mineralibus magis affinia sunt, & tamen facilius animaliũ spiritibus reconciliari possunt quam solidis adhuc compacta vinculis metallicis. Et fructus vegetabiles in principio ortus sui ad mineralem inclinant affinitatem, amariora, austeriora, acerbiora, acidiora enim sunt, quàm ut ab animalibus ad usus alimentales adhiberi possint, uti pyra, poma, nuces, ficus, uvæ, aliique fructus arborestres docent, donec adhuc imaturi

sunt;

ſunt; ſed maturi, ſub blandis & amicis ſaporibus, odoribus, coloribus; utilitati, neceſſitati, imo & voluptati animali ſubſerviunt; Nihil tamen novi eſt in ipſis poſt, quod non fuerit ab eorum ortu; formæ ſaltem externæ poſteriores à prioribus diſcrepant, nonque diſſimiles ſaltem, ſed & contrarios producunt effectus. Non deponunt autem omninò virtutes antiquas ſpiritus minerales, aliquandiu ſervilia officia in ſcenis ſuperioribus obeuntes, ſed eas vel ſerius vel ocyus recuperant, etiam in peregrinis adhuc hærentes corporeitatibus; hincque morbi & plagæ eorum trahunt originem. Una eademque herba, in variis ſuæ corporeitatis membris diverſas, interdum contrarias cuſtodit virtutes, pro varietate temporum iterum variantes; Nucleus à putamine, hocque à ſuo involucro vel capſula iterum diſcrepat in ſapore, in odore, in colore; ideoque & interna virtute. Quædam immatura alvum conſtipant, quam comeſta poſt maturitatem, ſolvunt; Iterum alia eam ſolvunt primum, poſt conſtipant. Ideò in effodiendis radicibus, cædendis lignis, carpendis floribus, colligendis fructibus, ſummâ eſt cautelâ opus ad diſtinguendum tempora; non Annalia, non menſtrua, præſertim in ſativis; in agreſtibus quidem hæc obſervanda ſunt, ſicuti & lunæ ſitus; ſed cuj⁹libet herbæ ejusque floris, fructus, & ſignaturarum peculiaria; nam quamvis juſto tempore matureſcant omnia, tamen quia non omnia ſimul ſeruntur aut plantantur, ideo nec omnia ſimul florent, aut matureſcunt: ſed quæ ſerius ſeminantur vel plantantur ſerius quoque proveniunt, creſcunt, florent & fructificant. Sic pyrum, pomum, ceraſum, imo granum unius botri altero eſt maturius. Externæ enim aeris conſtitutiones, à mineralibus tincturis violentioribus imprægnatæ, fructus quoque & corpora vegetabilia vel juvant vel lædunt promptius, eorumque motus vel accelerant vel remorantur.

SECTIO X.

Sapientia humana, vel astutia animalis, terrestris & diabolica, uti eam nominat Scriptura, illius varietatis, commoditatis & incommoditatis externæ, conscia, quantum nempe virtutes seminales intrinsecæ, externarum occursu vel concursu, accelerari aut remorari, in melius vel in pejus, in utilitatem vel perniciem hominum mutari possint; Varios quoque quotidie comminiscitur modos, media, & instrumenta, quibus virtutes seminales mineralium, metallorum & vegetabilium quietas ad motum irritare, vel tardiores accelerare, vel nimis veloces & lascivas reprimere possit; atque sic entium omnium formas ultra ordinem earum naturalem alterare, multiplicare, minuere, accelerare, retardare, maturare, transplantare, meliorare vel pejorare, suis hoc modo prospectura commodis & voluptatibus; Ideo similia similibus, contraria contrariis, bona bonis, mala malis, vel hæc illis admovendo, subtrahendo, permutando, citius cessare non vult quam perfecerit quod intendit; nisi cœlestibus repressa frænis. Plures jam proveniunt in scenam mundi hujus & animalium & vegetabilium species quam primò creavit Dominus; quia alii nascuntur homines, quam quales creavit Deus, adulteri nempe, homicidæ, fures, mendaces, avari, superbi, crudeles, iracundi, magistratui rebelles, atque sic à Spiritu illo nequam, fallaci & astuto, ad omnia maleficia proni, proclives & instructi: Ab hominibus inventi sunt muli; Sic homines gigantum vel heroum exstitere parentes, in diebus antiquis; Imo quotidiè monstrorum fiunt authores & promotores: jam semina seminibus permiscentur, & species cum speciebus confunduntur arte à Domino antiquitùs vetitâ, & maledictionis plagis stigmatizatâ. Quos non nisi in profundissimis recessibus terræ sepelivit Dominus, atque illic vel nasci vel propagari voluit Divina Sapientia; Eos Humana vel terrestris

reſtris & diabolica Divinæ æmula, formoſis titulis inde rapit, in vitraque & vaſa ſua artificialia recondit, alit, fovet, & fructificare illic cogit, ſpecioſiores inde ſperans & promittẽs fructus quam eos terra ſuâ ſponte excludere poſſit. Scit jam homo, vel ſe ſcire jactat, vel ſcire affectat, unâ operâ medicamenta parare pro ſe & pro metallis; ex ferro, plumbo, argento vivo, argentum vel aurum conficere; vitam neſcio in quæ usque tempora prorogare, & ex ægris mortalibusque corporibus æterna & immortalia efficere: Virtutes non à Deo, ſed ab aſtralibus influentiis ſperare. Novum mundum, & aliud perpetuum mobile quam quod in Cœli fornice conſpicuum eſt, creare; atque ſic omnia mortalibus conferre quæ in votis habent; Non inficiamur horum aliqua, aliquando, ab aliquibus commenta vel perfecta fuiſſe, nam omnia talia poteſt mundi hujus princeps vel Spiritus Lucifer; ſed an noſtro commodo unquam facta ſint vel aliquando fieri poſſint; valde dubitamus. Credendum eſt quidem, uti eſt in proverbio, cuilibet artifici in ſua arte; Sed Dominus artes multas ab hominibus inventas vel a ſpiritibus malignis edoctas, damnavit, artificesque & practicos ab eo ſemel damnatarum artium ex populo ſuo malâ morte exterminare mandavit. Nobis autem Chriſtianis ſolam fidem, omnium utilium & ſalutarium artium operumque potentem, recommendavit. Si fidem habueritis inquit, ſaltem exiguam, uti granum eſt ſynapis inter alia ſemina, omnipotentes eritis; omnia poteritis, & omnia ſcietis, nihil erit quod non poſſitis; nihil quod ignoretis: 1. Joh. 2. 20. 27. Matth. 17. 20. Et quamvis exordia virtutis fidei in nobis ſeminatæ vel radicatæ primùm, exilia admodum ſint, valde differentia ab illis quæ credentibus promiſit Chriſtus, terras jam jam relicturus, Marc. 16. 17. 18. Attamen nemo perfectus evadere poteſt, niſi à vilioribus exordiens. Per fidem convaluerunt ægrorum multi in diebus Chriſti; quorum innumeros recenſent & Legendæ Catholicorum; ſed fide vulgari, quamvis hodie ſplendidiori quoad cere-

monias externas, pompam & verba; convalescunt pauci; igitur aut nulla est amplius fides inter nos, aut scriptura nos fallit; sed hoc falsum & cogitare impium, ergo prius ut verum sit necesse est; sed fraudibus, mendaciis, imposturis, hypocrisibus scatere omnia, indubitabile; vel nos in densissimis ambulare tenebris; Promittunt vitam longam artistæ nostri aliis, sed ipsi repentinâ decedunt morte juniores ætate; aliis opes promittunt & auri semen, se per innumeros gradus multiplicans; attamen ipsi pauperrimi, ex paupertate in mendicitatem, imo usque ad furta & malèficia labuntur; Utinam suo saltem damno sapere discerent, sed dolendum est, quod alios quoque incautos secum ad miseriam trahant. Scripsit quidam Philosophorum illorum non ultimus, sulphur citrinum vel factitium à calore stomachi esse insuperabile; ex causa ea, quod id, sicuti metalla corpora durissima ab aqua regis aut forti dicta, dissolvi non possit. Si examinasset oleum olivarum vel amygdalarum, vel butyrum simplex, per aquam prædictam; æque reperisset hæc illi rebellia quam sulphur ipsum minerale; attamen pinguedines omnes animales & vegetabiles si non sunt medicamentosæ, sunt alimentales. Ignoravit ille Philosoph° sulphur minerale in omni humore oleaginoso mollescere, quamvis salinas virtutes despiciat aliquandiu, sed successu temporis ab illis suâ oleoginositate spolietur, & salinis humoribus reconciliari possit. Artes humanæ à sapientia humana inventæ, raro Divinitus edoctæ, suis quoque abundant inventis, & verbis & instrumentis; quæ sancti Prophetæ & Viri divinitus edocti ignorarunt; ideò in scholis eorum calcinare, reverberare, destillare per ascensum & descensum; solvere, coagulare, sublimare, præcipitare, stratificare, amalgamizare, vitrificare, putrefacere, circulare, digerere, macerare, evaporare, colare, philtrare, fulminare, lutare, in peculiaribus vitris, fictilibus, retortis, alembicis, pelicanis, recipientibus, violis, capellis, furnis; variis ignis gradibus, aperto, circulari; in balneo Mariæ, humido aut vapo-

vaporoso; In cineribus, arena, scobe ferri, sua tractare, medicamenta præparare, maturare, fixare, edulcorare discunt discipuli; Nunquam doctiores, prudentiores & eloquentiores reperies Medicos, quàm ex scholis Chymicorum Philosophorum egressos primum, doctrinæ filios, mysteriorum artis sedulos custodes: attamen venalia habentes omnia; quæ tandem communicata cum aliis aut inutilia sunt omnia, aut admodum vilia, aut ad fallendum saltem alios idonea. Sunt & multi qui vitra, & proinde omnes lapides pretiosos malleabiles reddere sciunt, perlas conficere; succinum, sulphur, aliosque succos inflammabiles, ipsorum oleoginositatibus spoliare, & igni sicuti lapides, tractare docent; si saltem aliquos nancisci possint discipulos credulos sed divites; qui sumptus in artem facere possent. Ego spero, quod eo perventura sit ars illa vel Philosophia chymica, ut vetulas in puellas se conversuram profiteatur: Jam enim juventuti plurimos restituit, sed viros solum. Nam si in metalla dominium habet, quidni in corpora humana. Fœtus humanus, qui ordinariò, decimo mense nascitur; jam sexto natus, ab ipsis legitimatur; Quid non audet effrænis humana temeritas & audacia, præsertim in præsentis seculi avara credulitate; In pœnam tamen illius impietatis hoc habet quotidie, scilicet quod tam facile decipiatur, quàm turpiter decipit alios. Hæc hic dico, non ut contemnam Chymiæ vel utilitatem, vel necessitatem in re Medica; sed ut admoneam Lectores, quomodo sibi cavere possint ab eorum imposturis, quæ nullibi frequentiores & occultiores sunt, quàm hic, vel inter artis illius professores & practicos; Juventus oportet habeat quibus illudat suæ ætatis curiositatem, & defectum judicii alat externis exercitiis, quousque maturitatem ultimam assequatur; hoc facto, sicuti affectuum juvenilium tædium imò odium ipsi succedet in ætate provectiori, ita & errores prius vel per ignorantiam vel industriam commissos, tandem & relinquere & declinare sciet, nisi omnino prior consuetudo mala eam obfascinarit.

SECTIO XI.

EST & alia adhuc ars Medica, sapientiæ humanæ soboles, superiori simplicior, facilior, & tutior; ars adiaphora, quam nec laudant nec improbant Divina testimonia; quæ historicâ fide doctrinas & dogmata præceptorum suorum excipit, & medicamentorum formulis vel simplicibus vel compositis contenta, non quidem quomodo curari exigant morbi, sed quomodo eos curarint & curare docuerint antiqui, suam operam navat ægris; Et medicamenta ex familia vegetabili & animali desumpta suis adaptat usibus; quæ longior & quotidiana experientia comprobavit, quamvis non semper prodesse omnibus, tamen nullis noxia exstitisse; Ars dicitur dogmatica, ex Gentilium scholis in Christianas derivata, & jam per orbem universum dispersa, experimentis clara, iisque quotidie crescens, ita ut non causas jam morborum sed medicamenta, scrutentur ejus professores; locorum affectorum situ, & crasi contenti, non curent morborum radices & seminalia, quid nempe vel ubi hæreant silentii tempore, sive tunc dum eorum molestias non sentiunt ægri; & qui scire nolunt quod ignorant, sed in magis arduis ad occultas qualitates, vel cœlestes influentias quærunt effugia. Revera nisi adeò pertinaciter dependerent à sensu, & littera, ut vulgari opinione & peregrinarum rationum authoritate, plura possent quam agunt, vel promittunt; si nempe propriæ conscientiæ argumentis innixi tractarent artis opera, quàm alienæ. Sæpè enim coguntur Medici rem seriò tractare volentes, secedere à sensu, & vel sublimiora meditari, vel ex profundioribus recessibus depromere medicamenta, ægris profuturi; interdum orationem & jejunium, vel ipsum nomen Jesu suis adhibere moliminibus; quamvis nonnunquam sensibilia sensibilibus, contraria contrariis opponere, vel similia similibus apponere sufficiat. Vegetabilia quidem alia

ſunt alimentoſa, alia medicamentoſa, alia venenata; quædam intus & extra talia; quædam vero aliquâ ſui parte huic, aliquâ, alteri uſui accommodatiora. Sic & carnes animalium diſcrepant; Sed quicquid Chymia magnis ſumptibus, tædioſis laboribus, dubio eventu, periculoſo ſucceſſu inquirit, acquirit, aut ut certiſſimum remedium recommendat; id omne levi labore, minimo ſumptu, tuto eventu Ars dogmatica, etiam quandoque tantæ commoditatis ignara, illic reperire poteſt, unde ſua petit medicamenta, vel medicamentorum materias; ſcilicet inter vegetabilia. Aurum potabile Divinis laudibus efferunt ad cœlum uſque Chymici, ejus virtute morborum omniũ moleſtias profligaturi; Alii tincturam ejus jactant; alii eſſentiam; Sed talia Medicamenta, ſi in rerum natura ſunt (multa ego quidem ſic nominari audivi, ſed nulla in mea praxi, nominibus ſuis & famæ congrua vidi; Imo & juvenis parare ſcivi, non autem amplius impoſturis illis occupari amo,) nulla pro pauperibus faciunt, ſed divitibus ſaltem, benè nummatis ſingulariter proſunt, ut eos ſuperfluo ære exonerent, qui aliter tenaciores ejus fuiſſent futuri, niſi tam ſplendidi tituli id eis extorſiſſent, nempe promiſſæ longævitatis. Vinum revera vulgare, ob efficaciam & commodum quo omnibus inſervit, auro potabili eſt præferendum; Cujus virtutes magnis encomiis recommendat Scriptura ſæpius, ob neceſſitatem & utilitatem. Sed de auro potabili profundiſſimum eſt inter Prophetas ſilentium. Famoſus quoque eſt ſpiritus vitrioli dulcis apud Chymicos; Sulphur etiam ejus ob excellentes virtutes anodynas, præ omni anodyno vegetabili recommendatur. Sed & hæc, & alia, quæcunque Chymia magno ſumptu, tædioſoque labore in mineralibus venatur, nobis ſuppeditat ſuperflue, ſine nobis, & gratis offert pauperibus æquè ac divitibus, familia vegetabilis. Quid aliud ſunt quæſo fructus, folia, flores, radices, ligna, ſtipites, cortices, putamina, alia denique arborum & herbarum membra; quam minerales corporeitates, ex inferiori ordine in ſuperiorem,

rem, virtute spirituum seminalium vegetabiliũ specierum transplantatæ, in commodum & alimentale & medicamentosum animalibus, homini denique ipsi. Quis sit sapor uvæ immaturæ, gustus docet; quod nempe vitriolaceus, asper, inamœnus, stipticus. Quantum vero dissideat posterior à priori vel maturus ab immaturo; ipse quoque demonstrat gustus; attamen illud ipsum est ens vel sal in uva matura, quod fuit in immatura, quamvis sapor variet. Sunt quidem in vitriolo, & in quolibet corpore minerali vel metallico infiniti sapores, odores & colores, nam omnia corpora terrestria terrestris sunt conditionis, & primæ tenebricosæ abyssi varii thesauri, solidioribus obsignati vinculis; quæ tamen vincula tutius solvunt vel rumpunt spiritus vegetabiles, quàm animales, vel humani; hi enim sublimioribus sunt destinati officiis; vegetabiles autem materialibus occupari debent, & nobis providere quæ ad vitam præsentem sunt necessaria; Ita ut hi sint de ordine Luciferorum; sed animales, ex ordine lucis judicum. Terra sine homine producit & produxit omnia; Sed homo sine terra est servus sumi Dei, atque affinis; uti hæc clarius alibi docuimus. Nescit ars mutare terram vel aquam in pyra, poma, cerasa, in herbas, arbores, frutices; sed spiritus seminales id habent officii, vegetabilium, sed in commodum animalium. Et quamvis ars naturam seminalem rerum omnium æmuletur, vel æmulari affectet; nunquam tamen sic tuto exequitur sua, uti virtutes sensuum delitiis destitutæ. Si quis virtutem seminalem vegetabilium à nobis diverso nomine appellare voluerit; licet cuilibet quodlibet; de nominibus disputare nolumus; in re autem à nobis dissentire nemo potest, nisi dissentiat à veritate. Quod medicamenta chymica ex mineralibus scenis deprompta, vehementius operentur in corporibus nostris; id negare nunquam proposuimus; naturæ enim vel ordinis eorum ea est conditio vel proprietas, ligare omnia, & multitudinem heterogeneam in ponderosam contrahere homogeneitatem; dum videlicet seminalis eorum spiri-

ſpiritus formaliter agunt in ſphæris peregrinis; ſed ubi materialiter ſerviunt; tum in fumum & vaporem reſoluti, tot dolorum ac voluptatum gradus nutrire ſunt idonei: & æque noxii ſunt, & venenati; quā utiles vel ſalutares. Vegetabiles corporeitates benigniorum & mitiorum ſpirituum ſunt habitacula, ideò & ſanis & ægris tutiora; nam ſi non juvant, lædere non poſſunt; Sed mineralia omnem artis vim experta, naturæ ſuæ virulentiæ omninò non obliviſcuntur; & quam mox nequeunt, vel longius differunt, tandem etſi ſerius gravitate recompenſant.

SECTIO XII.

EX ſupradictis liquet, quanta prudentia eſſe oporteat Medici, qui omnia ſecundum juſtitiam in ſua profeſſione adminiſtrare intendit, ſi non omnibus profuturus, quibus prodeſſe vellet; nulli tamen nociturus per imprudentiam, multo minus alicui per induſtriam. Solam experientiam ſemper ſequi, eſt cœcum ducem ſequi, & ex eventu de rebus judicare inconſultum; Exemplum imitari aliorum, & ab opinionibus peregrinis tantum dependere; Doctori turpe; nam hoc modo ſecernuntur à Doctoribus diſcipuli, nec merentur titulos doctorum, diſcentium jugo preſſi. Voluptatis ſtimulis obſecundantes, toties ad pulveres condemnantur, & ad morborum plagas vel tot perpetiendas, quoties obſecundarint voluptuoſo appetitui. Quis igitur eſt doctor optimus, quem in medicamentorum ſcrutinio; vel eorum virtutum examine, præparationis, & exhibitionis modo, tutò ſequi audeamus, & tantum debeamus? vel qui nos dæmonia pellere; à Satana vinctos, diſſolutis vinculis ex ejus tyrannide liberare, debiles confortare, ægros ſanare, & ad ultimum uſque vitæ terminum in bonæ valetudinis ſtatu conſervare poſſe doceat, & juvet? Sola tantum ſapientia, quæ omnium eſt artifex, vel quæ ſola cognoſcit omnia, quæ ſunt vel occulta, vel manifeſta. Omnes

arbores, earumque fructus & omnes alios proventus, subordinavit Dominus nostro usui; sed excepit unam, quam nec tangere aliquomodo licitum fuit; Omnes herbas & gramina campi, tradidit animalibus; excepitque nullam; sed arbores omnes quas homini concessit subtraxit bestiis, à solis hominibus custodiendas & colendas. Post modum & carnes animalium omnium humanis quoque cibis dicavit Creator, excepto solo sanguine eorum, extis, & adipe. Sed successu temporis mutavit has leges, & contraxit angustius, ita ut & à carnibus aliquorum animalium prohibuerit homines; non saltem eis non vesci, sed ne tangere quidem præsertim eorum cadavera; Idque non sine commodo eorum qui parituri fuissent ejus doctrinis, vel legibus; nec sine certo periculo vel exitio delinquentium per ignorantiam; vel peccantium per industriam. Nobis Christianis hodie licent quidem omnia, in casibus necessitatis, sed nocent multa & in præsenti, & in futuro noxia futura, si citra singularem Divini honoris reverentiam utamur aliquibus. Omnia jam munda mundis, sed immunda sunt immundis. Quicquid condidit Deus, bonum est, nec quicquam rejiciendum est ut inutile, multo minus aliquid, ut noxium, si cum gratiarum actione, usibus à Deo destinatis adhibeatur. Solus amor pecuniæ radix & seminarium malorum, omnibus vitandus proponitur; Quicquid igitur ex amore illo, vel secundùm ejus normam fit, quia sine fide fit, peccatum est; Ideò & ea, quæ ejus amoris toxico inquinata sunt, ut Deo exosa, nobis inimica, quamvis sanctissima essent & optima per se, omnibus piis vitanda proponuntur. Sine me nihil potestis, dixit Christus ad suos, & dicit quotidie ad nos omnes, præsertim Medicos ægrorum ab eorum infirmitatibus liberatione occupatos; nam & hæc ars inter dona spiritualia recensetur, quamvis nescio cujus temerariâ audaciâ, vel impiâ prophanatione, ad naturales naturalium hominum leges jam sit alligata, & ab illis exerceatur, qui nihilo minus

minus digni ſunt, quam Chriſtiano titulo, quia nihil agunt, quod ei titulo congruum ſit; Exceptis verbis.

SECTIO XIII.

OMnia inferiora vel elementalia, metalla, mineralia, meteora, vegetabilia, animalia, actu ſunt quod ſunt, ſed potentiâ, homo ſunt; attamen in nullo, à nullo eorum, fit actu homo; ſed virtus, cognitio, & voluntas efformandi hominem, penes ſpiritum hominis ſolum hærent, illiusq; actui locus deſtinatus eſt corpus hoc numeris omnibus abſolutum; tempusque definitum ſpatium menſium ſecundum quorundam calculum novem, aliorum decem. Extra locum legitimum efformatus homo, monſtrum; Brevius aut longius quam par eſt in corpore vel loco generationis ſuæ retentus, aut inde egreſſus, morbidus, vel abortivus dicitur. Sed in humano corpore ſexus utriusq; frequentur generantur multa, quæ cum ſpiritu humano nullam omninò habent affinitatẽ, ſed ab eo longe diſſident; Atq; talia ſunt, quæ morbos appellamus, vel morborũ ſeminaria; nam hæc quamvis in nobis hæreant, nobiſcumq; alantur, tamen nõ ſunt ex nobis, nec ex natura noſtra ſeminali procedunt, quamvis ei interdum arctiſſimo vinculo unita ſint, ita ut difficile à nobis agnoſci, dignoſci, difficilius autem divelli poſſint, ſine noſtri corporis periculo, aut damno, aut ruina; præſertim ea quæ ex parentibus cum ſpiritu ſeminali in ipſis confæderata, in nos tranſplantantur; quæ nobis extrinſecus adveniunt, ſive nobis invitis & neſciis, vel per noſtram concupiſcentiam & aſſenſum; ea ſunt quoque mobilia, & circa omnem corporis vel noxam vel periculum, imò cum ejus magno commodo, abigi aut aboleri poſſint, per media illis contraria, ſed naturæ ſeminali corporis amica vel ſimilia: Sunt itaque medicamenta vel eorum virtutes, virtutibus corporis noſtri ſimiles; & tamen non ſunt ſeminales; nam ex illis nec caro fit in nobis,

nec sanguis; taliter nobis sola alimenta subordinantur; Sed medicamenta quamvis extra nos in classem alimentalium transplantari possint, in nobis tamen id non fit nec fieri debet, nam non eo fine à nobis accipiuntur vel nobis adhibentur; sed ut res carni & sanguini, sensibusque & sensoriis infestas vel inimicas eorumque destructivas, in nobis contentas, expellant ex nobis; aut ad minimum ligent, nobisque reddant innoxias, si expellere foras non possint. Cibos hos aut illos bilem generare, vel pituitam, vel sanguinem vel melancholiam, audivimus in scholis; Sic & medicamenta, hæc bili evacuandæ destinantur, illa pituitæ vel melancholiæ; unde discrimina medicamentorum nata sunt, ut alia appellentur chologoga, alia melanagoga, vel phlegmagoga; Iterum alia febrilia, antipodagrica, antinephritica; alia hepatica, uterina, cæphalica, splenetica, cordialia, quasi in medicamentorum virtutibus situm sit, ut huc magis propendeant quàm illuc; & sine concursu virtutis seminalis corporis nostri fiant vel faciant sponte, quod in nobis fit. Sed errant valde talia de medicamentis vel cibis pronunciantes; Nam ex aqua æque generatur sanguis ac ex vino; ex leguminibus & oleribus ac ex carnibus animalium; sed non eo modo uti sentiunt vel docent scholæ, simplici mutationis actu; sed exformalizari oportet spiritus inferior, materialiter superiori inserviturus; sive mori citius ejus prius domicilium, quam in novum progredi possit prioris forma: & omni priori ponderositate spoliari inferior in œconomiam spirituum animalium vel humanos recipiendus; sive vapor insensibilis fieri, citius quàm fiat vel sanguis, vel ex sanguine caro, os, excrementum. Medicamentorum autem alia est vel esse debet conditio; Nam medicamenta formales virtutes retinent, & spiritibus animalibus materialiter non inserviunt; ideò in rempublicam spirituum animalium non recipiuntur; sed in ordinibus ex quibus desumpta sunt relinquuntur, & signaturæ eorum sensibiles, quas extra nos habuerunt, in nobis integræ manent; nec corporeitates

eorum putrefcunt,ficuti alimentorū; fed à calore noftro fenfibili intenduntur potius & irritantur à quiete ad motum; ut in humores vel vapores fenfibiliter nos moleftantes,eò citius agere, & virtutes fuas exerere poffint; ob quæ agenda à nobis intro fumūtur, vel extrinfecus adhibentur: Quod vero quædam eorum,extrinfecus fignaturis fenfibilib⁹ deftituta, demum poft ingreffum in nos, virtutes acquirant vehementiores, quas in ipfis prius ignoravit fenfus, quæ multò funt activiores quàm eæ tales in nos ingreffæ quales fe intus demonftrant; Ideoque occultæ qualitates, & proprietates totius fubftantiæ à quibusdam Medicis nominentur; tamen non plus fpiritualitatis habent hæc quam illa quoad menfuram ponderis,fed numero virtutum feminalium excellunt hæc illa; ficuti numerus hic 10. æquivalet huic {1, 2, 3, 4} nam fub nulla in priori, occultantur tres Zyphræ heterogeneæ pofterioris à folo fenfu. Sic unū granum antimonii,quamvis fenfui præter pondus & colorem nihil oftentet; tamen plures virtutes poffidet in minori corporeitate, quam vel rhabarbarum, vel diagridium, vel gelapa; hæc vero in faporum, odorum, colorum gradibus, vel numeris id extrinfecus fuperare appareant. Taliter operantur omnia ea quæ venenata vel deleteria dicuntur, quamvis extra omnino fint infipida, vel non nifi ponderofa; Et non nifi fub una forma fenfibili decipiant fenfus, cum tamen valde multas easque heterogeneas poffideant, ut eas vel inutiles omnino vel mortuas pronuntient, illi qui folos fenfus duces fequuntur in cenfura rerum fpiritualium.

SECTIO XIV.

Quid vero fentiendum eft de illis medicamentis, vel medicandi modis, quorum virtus & ad diftans efficax, vel ad cu-

randum morbos utilis esse perhibetur? An falsa omninò, an tantum superstitiosa est ars illa, quæ talibus utitur, vel uti docet medicamentis: an saltem suspecta sunt superstitionis & falsitatis talia curationis media, cum revera superstitiosa non sint, sed & vera, & utilia? Mentionem quidem eorum jam aliquam fecimus; confessi & professi, nobis cum falsis & superstitiosis, multo minus cum magicis & diabolicis nihil rei futurum esse, nec aliquando fuisse; attamen quid de multis occultioribus, quam ut omnibus eorum veritas & utilitas nota sit, sentiamus, hic breviter nos explicabimus. Quæ ignorat Theologorum vulgus, vel quorum scrutinii capax non est humanis scholasticisq; opinionib⁹ intricata humana mens, ea perpetuis condemnat silentiis; & quæ communem non sapiunt sensum, abominatur Philosophorum modernorum turba. Ideò Ungentum id Armarium vel Magneticum dictum, vulgò Waffen-Salb/ex pharmacopoliis omninò est relegatum. Nec aliter sentitur, medicamenta in morbos operari posse, nisi admota membris dolentibus, aut ægro corpori ingesta; Attamen multa vim attractivam habere, & ad distans operari negare non audemus; Ex manifestissimis lapis Magnes est, qui & ferrum trahit ad se longius distans; & absente omni motus obstaculo, semper ad septentrionem propendet; Herbas aliquas cum Luna, aliquas cum Sole moveri, alias flores noctu explicare inter diu contrahere; alias contrario modo moveri sensus docent; Hydropicos, asthmaticos, epilepticos affectus, aliosque plures ex sale prodeuntes, cum mari intumescere, & decrescere, norunt prudentiores Practici. Hominum quosdam felium, aliquos murium præsentiam ferre non posse; fœminas certas solo visu speculis nocere; non fabulosum est vel commentitium, præsertim menstruosas, sed sæpius comprobatum; Nec etiam superstitiosum est spiritus morbificos ex hominibus in bestias transportare velle; Id enim si non plura unum tamen exemplum illius Legionarii dæmonii sufficienter docet. Nec permi-

fiſſet fieri id Dominus, ſi contra veritatem aut ordinationem Divinam pugnaret; Nam ſi ſpiritus inferiores ex ſcenis ſuis in homines migrant, ſecundum ordinationem Divinam illis alimentaliter vel materialiter ſubſervituri; Quare nō auderemus eoſdē ſpiritus contra ordinationem Divinam in corporibus humanis formalia officia obeuntes, vel obire affectantes citra blaſphemiam, ſuperſtitionem, & conſcientiæ noxam relegare, abigere, & pellere ad ordines inferiores; quod per ſuam Metampſychoſin, fortaſſis docuerunt aut docere voluerunt antiqui Gentilium ſapientes: Quorum verba quidam noſtratium Philoſophorum aut non intelligunt, aut in perverſum torquent ſenſum. Folium arboris unius inſertum ſtipiti alterius, quem actum oculationem vocant hortulani, ſeminalem naturam retinet arboris de qua ſumptum eſt, quamvis in eo nulla ſit vis ſeminalis in propria arbore hærente; Atque per talem inſertionis, tranſplantationisque modum multa mirabila fiunt in ſcena vegetabili; ſic & in animali; ſed modo quodam occultiori in hac; quàm in illa. Si unquam aliquis exſtitit Propheta Thaumaturgus in hoc mundo celebris; quid vetat & hodie eos tales dari non poſſe? qui per verba vel orationes propheticas, etiam quid ſignificent ignotas, vel per alia media naturalia, ad exemplar antiquorum Prophetarum, non poſſit patrare miracula, citra Numinis Divini contumeliam, & Chriſtiani nominis jacturam. Plebs judicio deſtituta quæcunq; non capit, ſine diſcrimine repudiat & calumniatur omnia, uti Chriſtum blaſphemarunt judæi dæmonia ejicientem, quaſi id per belzebub principem dæmoniorum egiſſet. Inſtar plebis judicant res abſtruſiores noſtri quoque Theologi, non ſine probro ſuo, & calumnia artificum, noxaque ægrorum, qui ſæpe curari poſſent, niſi tales impedirent ſcholaſtici. Quare non liceret homini Chriſtiano adaptare uſibus ſuis in commodum & utilitatem vel ſalutem proximi, res, vel ſpiritus nobis ad ſervitium creatos à principio. Quicunq; artem profitebantur

tur ejiciendi dæmonia temporibus Christi, nullum impedivit vel reprehendit Dominus. Nec Apollo ille Ephesius prohibitus fuit loqui de Domino, etiam Spiritus sancti ignarus; nec falsos prophetas ideò repudiavit ab officio, quod verba eorum à veritate fuissent dissona, vel à mente ipsorum; sed dæmonia non sivit Dominus loqui, quamvis vera loquuta fuissent. Non tamen hæc hic ideò loquor, ut alicui author sim vel adhibere medicamenta, vel illis uti, de quibus non constat, vel quorum efficacia potius creditur esse noxia animæ, quàm proficua corpori; vel illis qui sunt meticulosi & animo instabiles. Prudentes autem & judicio valentes non prohibeo, nec vitupero suis niti rationibus: Saltem absit cordis malignitas, & vel Deum calumniandi, aut proximum lædendi propositum: nam ex hoc fonte fluens intentio, pervertit omnia quæ secus bona fuissent.

SECTIO XV.

SI mala intentio vel imaginatio hominis intenta malefacere, potest lædere hominem etiam absentem, adhibitis adhibendis, & custoditis custodiendis? Quare bona imaginatio identidem per res naturales non possit habere fructum suum vel efficaciam in subjecto ad quod juvandum dirigitur, & ipsa, & ei subordinata media: Vel an plus possunt spiritus maligni quam cœlestes, cum tamen sciamus hos esse veraces, illos mendaces & fallaces? Non legimus Christum vel Apostolos ejecisse dæmonia, vel curasse morbos, per applicationem medicamentorum extrà, aut eorum intus præbibitionem; sed solo verbo, & invocatione nominis Domini: vel manuum impositione; Vel imperii cujusdam sublimioris quàm humanum est authoritate. Imò si scripturæ credendum est, ipsissimam præsentiam eorum metuebant dæmonia, ipsorumque sudariis & vestibus fugabantur spiritus morbifici: Atque vel hinc videre est, sine applicatione activorum passivis

sivis, multa mirabilia patrari posse, quamvis nos illâ authoritate destituamur, ideò non credimus posse alios plus quàm nos, quos nos nobis inferiores, aut saltem æquales esse judicamus; & tantum nostræ sapientiæ, virtuti, authoritatique reputamus aut attribuimus majestatis, quantum aliorum, nisi plus. Translatione tamen sanguinis humani alicujus particulæ, in corpus aliquod vegetabile, etiam procul absente patiente illo, ex cujus corpore sanguis desumptus est, multi per alia vel communia medicamenta difficile mobiles morbi, mitigantur, si non plane abolentur. Sic odontalgia etiam diuturna aufertur, si salici saltem per corticem vulnerato, assula sanguine ex loco dolente tincta inseratur, super inducto iterum cortice quo tegitur prædicta assula; Sic podagrici dolores mitescunt, si ungues abscissi ex loco affecto & de collo ranæ suspensi, eâ iterum in lacum dimissa. Ita sciunt aliqui hernias & ventosas & carnosas abigere ex tenerioribus pueris per hordeum in urina eorum maceratum, sine omni molestia & periculo; Et quamvis videatur aliquid superstitionis illi actui subesse, ob ceremonias quæ observantur circa actum illum; tamen revera omni superstitione caret; atque ceremoniæ quæ adhibentur, non sunt de essentia artificii, nam & eis absentibus feliciter succedit cura, nulla imaginatione patientis concurrente, nisi imaginatio artificis aliquid posse in morbum supponatur. Hordeum in urinâ patientis maceratum hic sufficit donec turgeat, quod tandem quercui vetulæ terebro ad medullam usque perforatæ inseritur, & foramen cuneo obturatur, quercino quidem sed jam rancido, quod aliquandiu in sæpe hæsit; hæc sunt omnia illius curæ requisita. Simili modo, per urinam videlicet ægri, curare quidam sciunt & Jcteros omnes, eâ super inspersa cineribus fraxini cum tantillo croci. Et quamvis experimenta hæc à multis sine ratione omni, ad usum trahantur medicum; attamen ratione non destituuntur, per salem enim qui spiritus est totius mundi sensibilis, plurima patrari possunt miracula absque periculo superstitio-

nis omnis; ipsâ Scriptura non contrariante. Deleguntur autem ad transplantationem morborum, arbores sylvestres, fructuum alimentalium inferaces, ut fraximus, quercus, betula, tilia, fagus, alnus; Ita & animalia quorum carnibus homines non vescuntur, ut canes, feles, equi, lupi, vulpes; Non quod alia animalia, vel arbores fructiferæ, inutiles sint ad hanc artem; sed cavendum ne morbi ex hominibus in homines transplantentur, quod fieri posset eâ facilitate, quâ in familias inferiores transmigrant. Humani enim hujus corporis eadem est conditio quæ animalis; nam & illud & hoc est de terra natum, quamvis diversorum spirituum seminalium artificio; ideò sicuti terrestres virtutes ex inferioribus scenis propagantur in superiores; ita quoque eædem vel sponte redeunt, vel per artem reducuntur ex superioribus in inferiores; Nam id non pugnat contra legem Creatoris naturæ implantatam, fieri ex sale vel alio corpore terrestri corpus animale; vel ex animali corpore fieri salem, vel terram. Nam terra sumus, & terrestria affectamus, in terram redituri omnes, quoad partem illam quam à terra accepimus, & terrestri nutrivimus cibo, quousque ea ad vitam præsentem egebamus. Nam sicuti per unionem Spiritus nostri cum Deo, quæ fit per consensum mutuum voluntatis, Deificamur; ita & per concursum virtutum nostrarum cum terrestribus & nos terrificamur, & terrestres animalizantur; sed ultra ascendere non permittuntur; nisi in pœnam illius qui eas sibi æquales effecerit aut efficere affectaverit. Multa sunt quidem in communibus transplantationibus quæ abesse possunt; quæ sive superstitiosa sive inutilia nominaveris, sive dolosa, non peccabis, nam sine eis succedet opus, æque feliciter ac iis absentibus. Ad maleficia concurrunt plurima superstitiosa potius quàm necessaria; imò si non nisi naturalia adhiberentur, tamen intentio mala pessundat omnia. Ideò sive usneam adhibeas ex calvaria suspensi sive non, sed ex solo sale nitri, vel vitrioli cum adipibus & gummatibus incarnativis foveas vel fer-

ferrum vel lignum cruore tinctum vulnerati, unguento sympathetico; non frustraberis successu bono, etiam absente omni superstitiosâ imaginatione.

SECTIO XVI.

QUod verò attinet schedulas de collo suspensas characteribus pictas variis communibus vel peregrinis, quæ ad arcendas febres, ad inhibenda cutis vulnera, ad sistendum sanguinis profluvium, ad aliosque usus humanos adhibentur; quid de illis sentiam, me quoque explicabo; me meis meam permittant fulcire mentem lectores rationibus; sic per me idem licebit & ipsis. Non mihi desunt experientiæ testimonia pro defendenda talium mediorum ad commodum humanum veritate; atque in fidem unum atque alterum recitabo. Nomen, Oipulu, sanguine patientis chartæ inscriptum & in profluvio sanguinis nudæ cuti applicatum, eâ parte quâ litteræ cutim contingere possent, subitò sanguinis fluxum comprimit; Etiam ignaro patiente, atque sic citra ipsius superstitionem & conscientiæ noxam; Cingulum ex argento vivo confectum, & scabiem arcet & pediculos; vel si adsunt, curat & pellit; Multa talium experimentorum reperiuntur ubique terrarum: nulla tamen Christianis nobis tuta, quàm quæ à fidei probatæ Medico vel Philosopho approbantur aut usui adhibentur. In veritatem tamen efficaciæ certarum vocum de collo suspensarum in arcendis vulneribus cutis; narrabo historiam cujus ipse oculatus fui testis. Dum Anno Domini 1623. ex Anglia Pragam ad parentes rediissem, reperi in ædibus eorum ex consuetudine militari habitantem Baronem liberum de Hassenburg, unius cohortis equitum Capitaneum; hic me semel petiit ut schedam quam mihi tradiderat, semel atque bis describerem. Scheda illa picta fuit multis nominibus sacris, quibus singulis cruces intermistæ stabant; Nihil sonabant alterius voces scriptæ

quàm meras telorum adjurationes, quibus lectis, feci quod à me Baro ille fieri petiit; Harum schedularum unam meâ manuscriptam, appendit Dominus ille me vidente canis palo alligati collo, contrà quem aliquod glandes ex bombarda explosit & ipse & servi ejus, illæsâ tamen canis cute; nisi quod spina ipsius contusa apparuit, ita ut minus commode gradi potuisset; Ultimò ipse ego manu meâ ex bombarba unam glandem fronti ejus impegi; nec aliud præter signum in loco ambusto quem feriit, in cane observavi; qui tandem à palo ad quem alligatus fuerat solutus posterioribꝰ pedibus claudus, ex domo ejectus est. Die sequente schedularum prædictarum unam alteri quoq; cani appendi, experturus an & vulnera à gladio fieri, prohibere posset; Cujus caudam tamen uno ictu gladii amputavit prædicti Baronis servus, canisque unâ cum schedula gemebundus aufugit; Atque sic conjurationes adversus gladium inefficaces deprehendi, quamvis & contra ejus vulnera directæ fuissent. Ita infans adhuc annorum sex, vidi militem unum ex Passoviensibus, à Praga repudiatis, exanimatum quidem ictibus gladiorum & malleorum, sed sine omni cruoris vestigio; sine dubio tali schedulâ munitum; quæ tamen ictibus mallei prævalere non potuit. Sunt qui afferant certas herbarum radices easdem habere virtutes, quas de schedulis prædictis characteribus pictis, narravimus; Sed tales radices nullibi videre potui; sed schedularum varias reperi formulas inter milites medicinam exercens, per annos novem & plures: quarum aliquas equis solis quoque conducere audivi. Quæ facta vidi refero; nec ea inficiari volo vel possum, nisi veritati essem injurius. Talium aliqua horum primò ex pacto cum dæmonibus acquisita, inventa aut edocta fuisse; vel hodie per examen veneficarum acquiri posse; non negaverim; tamen non omnia; ideò nec omnia, ut omninò christianis abominabilia sine judicio rejicienda esse existimo, præsertim si ad bonos, utiles, & necessarios usus adhiberi debeant. De verborum prolatorum efficacia, quid

loquar non habeo; experientiæ, testi certissimo obloqui nolo; quæ quamvis fallax sit in rebus multis, tamen non in omnibus; Me aliquando vidisse verborum vel incantationum effectum; asserere non audeo; quamvis & legissem, & audissem, sæpius. Si verò verba ad res mutas & surdas prolata quid possunt, vel quod possint, quis expertus sit? tunc necesse est ut fateamur, sub rebus illis quas videmus, sensuque vel vita destitutas arbitramur; revera essentias latere vitales nec surdas, nec mutas, nec cœcas, nec rudes; Alias ridiculum esset factum nostrum, & plusquam superstitiosum cum re mortua rem habere velle.

SECTIO XVII.

OMnes incantationes, adjurationes, exorcismi, & alia ejus generis opera, sive sint fallacia sive vera, quibus in subsidium propositi nostri sollicitamus creaturas nobis vel superiores vel inferiores, Angelos videlicet cœlestes, Spiritus lucis dictos; aut angelos lapsos, tenebrarum mundi hujus incolas & principes; Sunt formulæ vocum supplicantium, vel imperantium; Cum nobis æqualibus, sive homines cum hominibus aliter communicamus vel conversamur; Igitur omnis incantator, cum quem incantat suis carminibus, non agnoscit pro sibi æquali, sed vel superiori se, vel inferiori; attamen ad propositum ejus promovendum necessario, secus non uteretur incantationibus. Si igitur incantat ut se superiorem? tum incantationis ejus formula, est supplicatio; humilitatis confessio; debilitatis cognitio; quia invocato exhibet honorem, imputat potentiam, authentisatque majestatem ejus, excellentiam & præeminentiam; Sed hoc modo nemo est à nobis Christianis colendus, venerandus, aut invocandus præter solum Deum cœli & terræ Creatorem; Et quamvis Spiritus cœlestes aliquot gradibus nobis sint excellentiores; tamen à nobis adorari & invocari nec debent, nec etiam volunt;

quia Deus id nos agere prohibet; Angeli vero quæ soli Domino competunt, ea non affectant, nec ipsis arrogant; Igitur male agunt, qui Angelos bonos incantant; Si verò summum Deum suis incantationibus venerantur, supplices, ab eo impetraturi, quod ipsis deest aut in voluntate, aut cognitione, aut virtute; tunc novam adorationis formulam ipsis comminiscentes, Christum honore debito defraudant, ejus institutionis Divinæ adorationis regulam despicientes quasi inutilem aut omnino vanam; Et erunt inexcusabiles in die judicii. Quod si vero incantatio ipsorum vel adjuratio, est formula imperialis orationis? tum illi, quibus sic majestaticè imperatur, ipsis incantatoribus sunt minores & inferiores, sive & Dei & hominum spiritibus serviles; Nec possumus vel debemus eis uti ad alia, nisi ad ea, quæ nobis agere sunt indecora; ob periculum prophanationis authoritatis, eminentiæ & excellentiæ nostræ; sicuti Magistratus jubet servos & subditos suos arare, vectigalia solvere, aliaque servitia in signum & debitum obedientiæ, exequi; Si verò sic se habent spiritus mundi hujus erga nos: tum rebelles nobis, non saltem increpare verbis, sed & pœnas ab eis exposcere, vel plagas eis infligere ipsorum inobedientiâ aut rebellione promeritas, possumus; atque sic illi sibi à nobis timere debent, & nos revereri; non autem nos ab ipsis. Sed quod talis relatio sit inter incantatores spirituum, & spiritus qui ab eis incantantur; credibile non est; nisi dissimulata vel à nobis vel ab ipsis: atque sic non tam ipsis quam nobis periculosa & exitialis; nam hi dissimulantes se promptos esse servire nobis imponunt nobis; atque commodissimam occasionem arripiunt nostrum breve imperium in illos, suâ tyrannide in nos rependendi; nullum enim exstat exemplum in his terris, quod homines in spiritus debitam eis obedientiam negantes, fuerint aliquando vindices; Futurum id ab hinc speramus, si hic eorum antagonistæ & hostes vivendo, sic animati hinc in alterum mundum egressi fuerimus; authore Scripturâ. Si jam victores eorum essemus & im-

peratores; non superstitio esset sed beatitudo,tam fortes,tam magnos, tam astutos habere servos, nempe hujus mundi Principes. Imperavit quidem Dominus Jesus, spiritibus mundanis, & mutis, & surdis, & claudis, & furibundis & clamosis, aliis denique omnibus æque in nobis,in animalibus,ac in aere,mari & terra habitantibus; Parueruntque omnes ejus imperio; Nam in ipso habitavit Divinitas corporaliter; Nos futuri sumus demum quod ipse fuit, si saltem hic affecti fuerimus,sicuti ipse adversum eos affectus fuit. Qui jam acquisivit aliquale saltem dominium vel imperium in dæmonia, modo à Domino legitimato; ille nec erit superstitiosus, nec in Deum blasphæmus, nec flagitiosus, si id exercuerit, quoties, quando & ubi aliqua se ei obtulerit id agendi commoda occasio. Qui verò inferioribus supplicat, servit, aut eos aliquo modo reveretur; ille est Antichristus, & in pœnam temeritatis vel impietatis suæ est & hîc eorum mancipium, & futurus in æternum ab hinc. Igitur si certus es de fide tua; si privilegia credentium tibi sunt concessa,amice Lector; demonstra te eum esse, qui es hîc in occulto,abhinc futurus in manifesto. Secùs, ne affecta citius victoriæ præmia quàm pugnam consummaveris; nam si feceris; vapulabis.

SECTIO XVIII.

Nulla hodie nobis Christianis desunt morborum remedia, ob quorum defectum aliquos morbos incurabiles pronuntiare possimus vel ausimus. Sed in nobis Medicis saltem desunt requisita, Medico titulo, Divino testimonio approbato digna, quamvis humanis sufficienter muniti sumus, & ad exercendam Medicinam idonei approbati. Nam si ars, scientia & virtus curandi morbos & pellendi dæmonia, inter dona Spiritus illius recensenda sunt, qui author esse creditur & Prophetiarum & Apostolatus, certe ejusdem quoque testimonio approbemur in offi-

cio nostro necesse est,quo humano. Nam etsi sal saliendi habere potentiam videatur nobis, in nobis,à Domino autem ut infatuatus & ad saliendum ineptus repudietur; nec nos idonei ad medendum esse poterimus, Spiritus testimonio destituti in arte nostra. Ideò qui saltem communem sequitur methodum; & præcepta animalis vel humanæ sapientiæ in arte sua; ille quidem Medicus est, ab illisque solum approbatur, qui eum talem esse agnoverunt ex verbis vel operibus; sed sibi ipsi est valde noxius; Nam lucrari mundi thesauros, honores,amores; perdere autem seipsum, mulcta lucro major est,authoritate Scripturæ. Communibus saltem & terrestribus confidere medicamentis; Christianum non est, sed Ethnicum; ab his solum exerceri consuetum, sed in Judæis à Domino reprehensum; ideò nobis & illicitum & probrosum. Despicere omnem Medicinam & Medicum; identidem impium; non fieri potest sine contumelia Creatoris, qui creavit utrumque, & qui utitur ambobus tanquam mediis sensibilibus in dispensatione donorum vel decretorum sapientiæ suæ spiritualium. Omnes admittere qui nobis hoc titulo ornati,vel insigniti occurrunt, vel se Medicos esse profitentur; valdè periculosum; quia multi inter tales sunt ægris ipsis miseriores, & quoad judicium pauperiores; medicamentis potius indigi quam illi ægri apud quos mercenariam exercet operam; atque ad hos reprehendendos directum est id proverbium Medice cura teipsum. Sacris mediis vel remediis, orationibus,supplicationibus, nominis Divini invocationibus, uti, sed sine fide; est sacra prophanare, vel canibus & suibus prophananda objicere; atque sic & peccatum & scelus, & blasphemia, quamvis occulta, Rom. 2. 24. Sine Deo & ejus reverentia aliquid proponere velle, cæco & naturali naturalis sapientiæ impetu,aut ductu; Vanum est; vel successu vel eventu bono destitutum; quasi quis piscari vellet in mari sine hamo aut rete; vel æthiopem dealbare, illius actus incapacem: quamvis reliqua ad id requisita adsint. Frustra enim laboras Medicus absen-

absente Domino; sicuti Piscator absque jussu Domini suum expandens rete; quamvis propositum ejus & media, & methodus, & labor extrinsecus sint irreprehensibilia, coràm hominibus. Deum autem socium habere operis vel authorem & approbatorem, non est in voluntate nostra; nam ille non amat habitare nisi cum talibus Medicis, & taliter affectis, qualis vel qualiter ipse affectus est, nempe cum puris corde; cum sapientibus, cum piis; non verò auri, non honoris, non favoris populi amatoribus & studiosis. Dæmones autem sollicitare ad operis socios; est dæmones per dæmones ejicere velle; vel vanum omninò; vel ad tempus saltem ægris prodesse; sed in mox futuro eos affligere vel perdere; non ut inquit Scriptura, dæmonium tali arte pulsum, quamvis ad tempus cedat, aut absentiam dissimulet, tamen redire certò solet, nec id quidem solum, sed septem comitibus ipsi paribus auctum. Quare igitur hodie in tanta & Medicorum & medicamentorum abundantia, morbi porrò, iique multi, maneant incurabiles, in promptu causa est; scilicet quia Dominus non est nobiscum; Non est autem; quia nec ægri, nec Medici amant ejus præsentiam, sed oderunt, quamvis aliud verbis dissimulent; sed Dominus novit corda omnium, nec se falli patitur qualiter falluntur homines. Præsente Domino non opus est exoticis, vel pretiosis admodum, & industriè præparatis remediis; sed sputum & lutum prævalet vel æquivalet omnibus panacæis; nam dæmonia ejus venerantur & formidant præsentiam; absente eo; omnia humani animi molimina rident & contemnunt, vel saltem dolis & fraudibus illudunt. Utinam tantâ sedulitate, industriâ, & fide uteremur in depurandis affectibus nostris Domino exosis, quantam adhibemus in medicamentorum præparatione, vel exhibitione; certe & minori sumptu, & dexteriori successu, & feliciori eventu, nobis parerent omnia. Christus Dominus curavit leprosos, paraliticos, cœcos, mutos, surdos, epilepticos, imo & mortuos resuscitavit, æque ac febriculas solo verbo, solâ increpatio-

patione, sine omnibus remediis; sic Petrus & Johannes laici & piscatores, Medicinæ & Philosophiæ mundanæ ignari, claudum ab utero matris, integræ sanitati restituerunt; Nos autem & nostri Præceptores per orbem celeberrimi; in Arte, longâ praxi experientissimi; & multâ lectione disertissimi vel eloquentissimi effecti; à plurimis & vilibus scandalizamur morbis; nolunt enim nobis cedere, sed & in corpora nostra sæviunt pari violentiâ ac aliorum hominum omni litterali sapientiâ vacuorum. Quare id quæso? Quare ipsis obviam ire non possumus? an vel nolumus, vel nescimus? Non revera, nam nemo est, qui se adeò rudem, adeò debilem, adeò ignavum vel ignarum esse confiteatur? Quare igitur? In promptu causa est; sine fide sumus, & nos & ægri nostri. An non ipse Dominus ob defectum fidei in ægris, inutilis visus est, & quidem in Patria sua? Marc. 6. 5. Matt. 13. 58. Luc. 4. 23. An non discipuli Christi ob incredulitatem suam expellere non potuerunt spiritum illum, Matt. 17. 19. Quicunque crediderit in me dixit Dominus, non saltem ea faciet quæ ego, sed & illis majora, Joh. 14. 12. Igitur aut nos fallit Scriptura; aut nos fide caremus; vel fides nostra nulla fides est, sed fidei saltem species sine veritate. Possumus quidem vel scimus refrigerare calida; vel calfacere frigida; vel humectare sicca; aut exundantẽ humorem minuere; mediis talibus formis insignitis extrà; sed ad occultiora nobis nullus patet aditus; Et experimenta toties probata, & approbata, nos tamen fallunt. Medici ipsi sæpius periculosè decumbunt, & graviter affliguntur, & ope & cõsilio destituti, in casu proprio, quamvis in alieno sint, vel fuerint, & esse soleant, omniscii & omnipotentes. Cum opibus & fama Medicorum, crescunt morbi quoque, & cum Medicis ægri multiplicantur. Hæc quotidie fiunt, & tamen cæci sumus; quæ fiunt, ea fieri videre nolumus; nec causas discere quare fiant: atque sic aliorum damno sapere, citius quam nos eadem quoque irretiat sors, ita ut pedem retrahere nequeamus.

SECTIO

SECTIO XIX.

QUis unquam finxit, vel fingit & comminiſcitur quotidie tam multifarios & ciborum & medicamentorũ apparatus, quales hodie in culinis noſtris & pharmacopoliis proſtant, plurimi non ægris ſolum inutiles, ſed & ſanis noxii quàm nos Medici; Libidinoſæ & inſatiabilis concupiſcentiæ magnatum & ditiorum, præſertim fœminarum lenones, authores, fautores & defenſores; hâc temeritate aliquid de eorum theſauris noſtræ proviſuri rei domeſticæ, quæ niſi invitæ veritati nihil impendunt; ſed hypocritis & adulatoribus omnia, ſponte & ultro largiter largiuntur. Defectum fidei, ſapientiæ, virtutis ad medendum requiſitæ, compenſam⁹ dulci exoticorum perſuaſione abſentium laudibus, pretioſorum recommendatione, & rariorum vel difficulter acquiri poſſibilium efficaciâ; ut eò tutius ferro, & igne in membra ægrorum ſævire audeamus, poſt; quia aliter eos juvare neſcimus nos, nec illi juvari volunt quàm ſic; ratione enim deſtituti, ſenſibus tamen abundant. Magnum eſt vectigal opum avaritia, quam dicunt parſimoniam; ſed valetudinis temperantia. Vorago autem, barathrum & pernities vitalium virtutum voluptas eſt & gula; ſicuti opum prodigalitas. Nolunt Medici, vel dubitant permittere ægris eos conſulentibus veſci aut uti cibis & potibus ab eis deſideratis, ne quidem ad refocillandum eorum deſideria, multò minus ad ſatiandum, utilibus & neceſſariis. Sed non dubitant eos obruere medicamentis, taceo ſapores & odores, admodum multis; ſyrupis, julapiis, decoctis tantâ quantitate præſcriptis, quæ ad ſatiandum bovem ſufficerent; quibus non ſaltem ſpiritus vitales, ſi non plus & periculoſius, tamen æque ac à morboſis humoribus vel vaporibus premuntur, ſed & membra onerantur, & niſi ſingulari gratiâ Dei virtutes vitales manerent vel evaderent decoctis illis ſuperiores, opprimuntur omninò; ita ut omnem ſpem amit-

poreitatib⁹ in novas liber pateat egreſſus & ingreſſus; Spiritus autem ſeminales à priorum corporeitatum vinculis ſoluti, ſuis ſe proprietatibus ſubſtantialibus vel juvant vel lædunt, ſenſim & illic in alias corporeitates rediturí prioribus diſſimiles, aut & contrarias. Nam ſpiritus ſeminalis alicui corporeitati inſitus, nulli vel nocere aut prodeſſe poteſt, excepto ejus corporeitatis pondere, ipſe omni pondere deſtitutus; Ita hordeum non poteſt generare hordeum, niſi veteris hordeí corpore deſtructo; nec ex eo aliqua virtus in nos poteſt derivari alimentalis, aut vitalis, quæ largius ſumpta nos inebriat, niſi omninò prioris corporeitatis ſubſtantia ipſi detracta fuerit. Si Sal in nobis inclinat ad generandum ſalem, ſive acquirit formalem rationem, tum non ſe patietur ab aqua à ſuo opere prohiberi, ſed quo plus bibemus, plures ſitiemus aquas; Inde quoque & maris ſalſedo ortum trahit, quam nulli aquarum fluvii alterari poſſunt, ſuo affluxu, ſed omnes quotquot in mare labuntur à ſpiritu ſalis in ſalſam mutantur naturam, ſenſim in ſiccas corporeitates, ſolidas & immobiles convertendæ, donec omnino cum forma externa aquæ & nomen amiſerint: uti demonſtravimus in Philoſophiæ Sacræ opere, Capite de fontibus. Fruſtra itaque bibetur aqua, vel julapia infrigidantia & ſitim exſtinguentia, vel ſanguinem humectantia, niſi in ſanguine hærens ſpiritus ſalſificus mortificetur; quod per corpora media fieri nequit, ſed per ſpiritualia adminiſtretur oportet. Fruſtra exhibentur calculum atterentia, vel expellentia arenas; niſi ſpiritus lapidificus, vel ejus virtus lapidifica enervetur, ſpiritibus aquificantibus. Sunt quidem ſpiritus illius naturæ in corporibus quoque alimentalibus vel medicamentoſis, attamen diutius ſubtilizari debent citius quam virtus eorum ad lapidificam usque pertingere poſſit; & niſi prævaleat illa huic, tum ab hac æque in lapidem transmutatur, ſicuti aliæ tali virtute deſtitutæ. Sed ars extrinſeca ea ſcientiâ deſtituitur, per quam ſpiritus ſeminales materiarum alimentalium omni ſenſibilitate omninò

spoliare, atque sic nudos nudis copulare possit; Internorum spirituum id est officium, qui secum alios vel in tenebras rapiunt, vel ex tenebris in lucem evehunt. Bruta animalia nullis utuntur medicamentis, nec opus habent, quamvis curiosa nimis concupiscentia humana artem quoque quam vocant veterinariam confinxerit; sine qua tamen vivunt & valent bene, feræ, & animalia deserta incolentia, imò melius quàm pecudes nobis cohabitantes, & nostro vitio multis plagis subjectæ. Et tamen & ipsorum defectui remedia accomodata generat terra: quæ eis monstrat nõ externa informatio, sed ipsa eorũ seminalis imaginatio. Purgatio, vel vis solutiva in nobis absq; concursu animalis spiritus suas exerit actus, & quia sine concursu imaginationis animalis operatur, ideò docet se cum spiritibus profundiora centra sanguinis & carnis nostræ occupantibus, vel vile admodum vel nullum habere commercium; Ideò non in spiritus, sed in vapores crassiores solum, vel humores, vel excrementa crassiora exercet imperium, & ea saltem attenuat, dividit, dilatat, quæ in angustioribus punctis, vel in se ipsis coarctata quiescebant & pellit ut prioribus terminis contineri nequeant, sed latius spatium quærant; ideo magno cum impetu erumpunt, internorum vaporum violentiâ protrusa.

SECTIO XX.

Sub finem hujus Capitis etiam mentionem faciemus vehiculorum, sive liquorum eorum quibus medicamenta immerguntur & miscentur, præsertim sicciora, ut commodius & facilius deglutiri vel imbibi possint: Quamvis quædam eorum quæ pro vehiculis interdum usurpantur, sola & per se sine medicamentorum adjectione sumpta, vim habeant medicamentosam; & tales sunt omnes spiritus vel aquæ ex herbis destillatæ; Sed loco harum interdum utimur vel vino aliquo, vel jure carnium, vel cerevisia, sub titulo vehiculi; quibus permiscentur pulveres, extract,

tracta, olea, magisteria, salia, imo & liquores acriores, vel gustui inamœni, qui soli vel linguam vel guttur gravius afficiunt, & deglutitionis commoditatem impediunt; Ideo tincturæ vel extracta, vel spiritus minerales, quamvis sint humidæ substantiæ, ita nec olea, sola & per se exhibentur, sed aliis permista liquoribus; Tribuit quidem ars vehiculis quibusdam præter eam quam diximus commoditatem, & efficaciam medicamentis ipsis, quorum vehicula sunt non imparem, sed æqualem quibusdam, quibusdam & præstantiorem; Nam sunt vehicula de quibus docetur, quod virtutes medicamenti ad locos affectos non saltem comitentur sed & ducant; quò, sine vehiculis illa vel omnino non, vel minus commode pertingere possent, aut viribus non integris; Ideo uni medicamento plurimæ interdum imputantur virtutes, ob vehiculorum varietatem. E. g. Tinctura corallorum, in aqua artemisiæ, pulegii, mellissæ aliisque uterinis, exhibetur in omnibus affectibus matricis. In aqua cinnamomi, contra affectus cordis & capitis; In aqua ononydis, halicacabi, aliisque diureticis; contra calculum, renumque affectus. Contra omnes fluxus sanguinis, in aqua plantaginis, bursæ pastoris, aliisque stipticis. An vero à vehiculis vel à medicamentis proprie sic dictis, varii procedant hi effectus, disputent alii; Ego hic saltem in gratiam studiosorum medicinæ quædam monebo, quæ in delectu vehiculorum sunt observatione necessaria; Vidi enim sæpe à magnis etiam Medicis sæpe misceri medicamenta liquoribus sub titulo vehiculorum, medicamentis virtutis omnino contrariæ, cum magno ægrorum incommodo; E. g. Elixir Paracelsi dictũ, quod est extractum massæ pilularum Ruffi, per spiritum vitrioli, aut sulphuris oleum, factũ; atq; sic est compositum ex rebus valde fixis, quæ si odorẽ excipias, nihil in vaporẽ exhalabunt etiã calori intensiori exposita; Attamen elixir id sæpe miscetur cum spiritu vini, cum aqua vel spiritu lilii convalli aliisque capitalibus & volatilibus essentiis; quæ nullam cum Elixiri prædicto affinitatem habent;

bent; ideo nec comites virtutum ejus dici possunt, multò minus earum ad locos affectos delatores vel duces; Lingua quidem facile falli potest, ita ut permittat ad gulam & stomachum pertingere aliqua mista aliis, quæ sola per se ne ad guttur quidem admisisset; sed ingressa in stomachum vel medicamenta vel vehicula eorum, vel cibi vel eorum condimenta, fallere nequeunt spiritus animales suis externis signaturis, quibus sensum vel linguam fefellerunt; Nam externas signaturas deponere & exuere debent in stomachum ingressa, citius quam in spirituum œconomiam admitti possint, atque sic ab ipsis ad usus adaptari corpori vel utiles vel necessarios; Ideo quæ extra volatilia fuerunt, & graviorum corporum vinculis liberata, ea celerrimè à spiritibus animalibus rapiuntur. Ut vinum & spiritus omnes destillati nos inebriantes; nam vix in stomachum ingressi, statim avolant & alta petunt; nullaq; vel admodum exigua sentitur eorum virtus in stomacho, nisi quæ à satiatis spiritibus per sanguinem in omnia corporis membra derivatur. Humores autem fixi, ut sunt spiritus vitrioli aliique ei similes, diutius in stomacho hærent, illic & quoad suas externas signaturas activi, in res externas quas suis tincturis acidis contingunt; attenuant, dissolvunt, atque sic concoctionem vel digestionem stomachi promovere docentur. Igitur volatilia cum fixis nunquam commisceri debent, si se mutuo juvare debent, ob quem finem commiscentur. Ita si vomitum excitare intendis per medicamentum, tum necesse est ut nec menstruo id immergas in præparatione, quod vomitionem aliqualiter impedit, nec etiam vehiculo tali commisceas, exhibendum patienti; nam utroque modo difficilem efficies vomitionem, quæ per se gravis est; nam est & honestius & commodius, ut stomachi stercora per anum ejiciantur quàm per os; si autem necessitas exigit vomitorium, tum id sic concinnari debet, & exhiberi, ut nec molestum sit patienti, nec periculosum, nec tædiosum, nec etiam irritum, solâ nauseâ eàque prolixiori patienti infestum, ab eo assum-

sumptum; sic ea quæ alvo solvendæ tantum dicantur, præparari, vel cum talibus exhiberi debent vehiculis, quæ nullam moveant nauseam in stomacho, multo minus vomitum proritent; ideò menstrua in quibus purgantia macerantur, fixa ut sint oportet, quæ vim extracti, vel medicamenti purgantis per inferiora non omninò aboleant, sed aliquandiu remorentur, ita ut ejus virtus non tam in ventriculo quam intestinis extra ventriculum, sentiri possit: nam si secus fiat, quæ soli alvo exonerandæ destinantur, vomitus quoque ciebunt à patiente insperatos, & valde molestos, & eousque infestantes ægros, quousque ex stomacho ad intestina prolapsum sit medicamentum. Identidem fit, si vomitoria vel in menstruis macerentur fixis, & ad motum vel digestionem in stomacho fientem incapacibus, Nam nec vomitus feliciter succedit, nec alvus eorum virtutem sentit satis maturè; sed longiori nausea, vel stomachi dolore infestatur æger. Vel si cum vehiculis ad vomitionem ineptis exhibeantur aut excipiantur. Nam vehiculum tale esse oportet, ut virtutem medicamenti vel juvet & excitet, vel omninò nihil impediat. Ideo tutissimum est exhibere vomitoria cum aqua simplici non nisi tepente; vel cum jure carnium pinguiori, vel cum cerevisia; vel cum syrupis violarum præsertim antiquioribus; atque ejecto per vomitum vehiculo primo, mox exhibere alterum & tertium; nam quæ nauseam causari solent in stomacho, sunt nitrosa, biliosa, vel aluminosa, & sine vehiculo vel omnino non, vel difficulter possunt evacuari, ob tenacem & viscosam fæcem stomachi cui involuta sunt. Purgantia autem per inferiora, fixis misceri debent, nequaquam volatilibus, ut sunt vinum vel aliæ aquæ destillatæ; Nam hæc nauseam solent excitare, etiam in exhibitione eorum quæ omnino non sunt nauseabunda, nisi vitio vehiculorum fiant. In actu purgationis, à frigidorum usu omninò cavendum est, sed calidis utendum; vel si urgeat sitis, & patientes haustum frigidiorem sibi porrigi exigant; tum vinum concedi potest aliquanto zinzibere con-

Xxx ditum,

ditum, non quidem ut bibatur, sed cochleari ingeratur. Sed hæc sufficiant dixisse de medicamentis, eorumque vehiculis.

CAPUT XII. *Conclusio Operis.*

HÆc sunt, Christiane Lector, quæ de Sale, de Salino spiritu, ejusque variis virtutibus tam activis quam passivis, vitalibus & mortificis, in anatomia membrorum corporis hujus & spirituum republica per intervalla sensibilibus, in præsenti hoc opusculo, philosophicè commentari volui; non autem historicè, uti plurima hodiè, & Medica & Physica taliter publicantur, philosophicis destituta authoritatibus. Non enim aliter prodesse potui & Medicis & ægris, nisi ad veritatem ipsissimam directis rationibus. Utinam omnia ad placitum & ad captum lectorum hic scripsissem; Sed quia nec mihi ipsi in omnibus satis feci, sicuti volebam; ideò & ab aliis multa in hoc opere desiderata iri, ad perfectionem plenariam requisita, valde metuo. Sed quid agendum? In arduis & voluisse sat est. Nam neque noster Spiritus, quia animalibus insidiis circumseptus, & terrestris tabernaculi numellis coarctatus est, (quamvis in se ipso consideratus Divinæ naturæ consors, vel fieri posse, capax sit;) rerum omnium primas radices adsequi potest; vel si assequatur; tamen eas ex integro nec lingua eloqui, nec calamo depingere potest, ita ut verba ore polata, vel manu scripta, omnes internos animi conceptus sensui exhibeant. In Divinis sic est; nec etiam aliter in Naturalibus. Semper plura remanent in animo occulta, quàm vel gestus, vel sensuum organa, explicare possunt, etiamsi ea mirentur. Jam hic, jam illic, vel deficimus, vel erramus nostro judicio, aut peregrinæ opinionis persuasione decepti; Id evenit nobis in plebiscitis; igitur multo magis in abstrusioribus: Sic quoque est conditionatum salini principii mysterium, vel mysterii scrutinium. Inexhausta est salis abyssus, & nullus est locus vel tempus, quod ejus exinanire possit thesauros. Ideo pauca admodum sunt hæc,

hæc, quæ hic de Sale scripsi; Sciant tamen omnes horū Lectores, quod mea sint omnia, quæ eorum subjicio censuræ; non deprædata aut mutuata ab aliis; odi enim alienis pennis ornatas corniculas; Vilipendo alieno ære superbientes negotiatores; Ditiores sunt illi qui pauca habent, sed propria; Pauperrimi qui multa, sed aliena. Habenti, plura promitti Spiritus: Sed nihil habenti, & eorum quæ se habere putat, ablationem minatur. Multi sunt, qui de Sale scripserunt, me per orbem celebriores; Sed quos mihi hucusque legere contigit de Sale commentarios, ab Echo genitos existimavi, sine sale, sine rationibus philosophicis enim eos reperi; fide non nisi historicâ suffultos; Sed mea hæc pauca, rationibus tam firmis munivi, ut contra eas nihil prævalere possit invidia, nihil calumnia; quamvis ab utroque latere à dictis furiis oppetantur. Qui dubios, qui timidos, qui sensuales, qui cœcos duces sequi amat; sequatur per me licet; Sed sciat quod illis ducibus ad occultas, vel spirituales morborum causas, seminaria, radices, quæ in profundissimis matricibus quiescunt, & inde vix ab acutissimis ingeniis erui possunt, nunquam sit perventurus. Catholici hujus erroris contagioni se subducere velle, utile quidem esset & cujuslibet probi Medici requisitum; verùm quia non solum grave & arduum est studium id, sed periculi, odii, invidiæque plenum; ideo paucis hodie est acceptum. Nam quibus studiis olim honor & opes comparabantur; illis hodie apud nos Christianos contumelia & contemptus attrahitur. Ignorantia, ubique, præsertim autem in Medico, audax quiddam est, temerarium & sibi perfidens; Eruditio è contra & prudentia, verecunda & cunctabunda; his si accesserit integritas, blanditiarum & adulationum nescia; aggrestiores quidem reddit Medicos vel austeriores; sed quibus in arte omnia tutò fidere possit quisque. Impossibile quidem est nobis Medicis, animum ab omnibus omninò dolis, fraudibus & adulationibus sequestrare, etiam id sedulo affectantibus; Nam plurima sunt cujuslibet seculi ad meditandum dolos irrita-

menta,quibus obnoxii sunt & sanctissimi, sicuti fami & siti; Attamen levioribus assuescendo,paratur aditus ad turpiora; igitur & à piis vel necessariis fraudibus sic nobis temperare debemus, ut non nisi extremâ necessitate compulsi,assentiamur ægros fallere, vel decipere falsis promissis; nec id nostro tam quàm ipsorum lucro. Sunt enim aliqui ægrorum valde creduli, imò & superstitiosi; sive ad obediendum Medico, etiam vanissima suadenti,promptissimi. Aliqui iterum magis contumaces & obstinati,ita ut nec necessaria imperanti obedire velint; sed vel vilissimarum muliercularum deliramenta sequi malint, saltem ipsis affabilia suadentium; Attamen ab utrisq; vocati,operam nostram accomodare debemus,ut arte nostrâ suis oneribus exonerari possint; aliquos itaq; fallere virtus est; aliquos scelus.Semper tamen tutissimũ est nobis nostro poti⁹ niti judicio quàm peregrino; vel philosophicā poti⁹ quam historicam sequi rationem; quamvis exempla & judicia aliorũ imitari necesse habeam⁹,nosmet ipsi judicio adhuc immaturi, vel uti nescii. Quantò enim altiora & profundiora intelligimus certius,tātò sublimiores induimus virtutes,tantoq; majora & facilius & felici⁹ operamur,vel operari apti simus.Necessariũ est requisitum in Medico,perfectissima affectuum dolorificorum causæ proximæ,cognitio; ita & conditionis loci affecti,& emunctoriorum per quæ excrementa naturæ onerosa effluunt,aliarũq; plurium indicationum sensibilium; Non tamen sufficiens ad officium; Sed morborum seminarii ejusque centri insensibilis, & temporum motus, continuationis, intermissionis, reciprocationis, præcipua; Nam sine his præmissis, nulla potest adesse in Medico certa curandi methodus, nulla medicamentorum applicationis, mutationis, cessationis scientia. Nam interdum omnia medicamenta neglexisse tutius est & ægro & Medico, illi ob periculum vitæ; huic vel conscientiæ vel famæ. Medicus is revera prudens est,qui omnia offendicula & ægro & ei noxia evitare sciverit, quamvis non omnia possit; sed plurima experiri debeat

etiam invitus. Ita qui per pauca, per simplicia, per domestica, nobiscum nata, justo tempore & legitimâ dosi exhibita mederi sciat, tutius cavere errores suos potest & corrigere; quàm qui per plura, eaque ex pluribus composita, per pretiosa, exotica, longius continuata, & se ipsum erroribus pluribus implicat, & ægrum tædiosis fatigat, & naturam gravat: Imo certe fraudis est insimulandus, quisquis per plura egerit, quæ per pauciora fieri possunt; nisi ignorantia excuset errorem. Necessitas quidem interdum exigit composita, sive plura quam unum vel simplex; & internorum & externorum usum; non tamen semper ex necessitate morbi, sæpius ex necessitate ægri; quod nempe obedire medico nolit, simplia consulenti & suadenti; vel omnia medicamenta fastidiat aromaticum odorem spirantia; Illius rei gratiâ inventæ sunt à Medicis variæ condimentorum formulæ, quibus & cibulenta, & potulenta, & pharmaca, acceptiora gustui redduntur; attamen quantum fieri potest, studendum est paucitati; quæ nec ægro nec medico est periculosa; Nisi Pharmacopæos excipias. In hunc finem quoque multa comminiscuntur quotidie prudentiores Chyrurgi instrumenta ad urendum vel vulnerandum cutem requisita, quæ minus sunt scilicet formidabilia patientibus. Hoc summè recommendandum sentio Medicis; ut in præscriptione cujusque medicamenti, studeant paucitati; & uni affectui unum objiciant medicamentum, vel ad summum duo; eaque domestica potius quàm exotica, nisi æger exoticis magis quàm domesticis per vitam assuefactus fuerit. Conditura verò ex pluribus fieri possunt etiam exoticis; nam hæc ad fallendum potius ægri sensum, quam ad morbum vel dolorem mitigandum adhiberi solent. In eum finem & vehicula præscribuntur varia, ut medicamenta ab ægris & facilius, sive sine molestia & fastidio deglutiri possint. Nam sunt quædam pharmaca viscosa & glutinosa, quamvis gustui non sint inamœna; ut resina Gelapæ; aliaque ei similia, quæ levi madore attacta, viscositatem contra-

Xxx 3 hunt,

hunt,& vel faucibus vel palato hærent. Quæ acriora, aufteriora, acerbiora funt, vel amariora quam ut fola deglutiri poffint, ut fpiritus nitri, falis, vitrioli, omnesque oleoginofitates deftillatæ; mitioribus & fuavioribus oportet ut permifceantur; Ideò pro Medico praxin incipiente neceffe eft, ut exempla antiquorum imitetur, in exhibendis & præfcribendis Medicamentis; Nam peculiaris Regio peculiares habet leges, pro diverfitate ingenii incolarum variantes: Quarum in praxi Medica delectus eft valde neceffarius. Nam aliter Galli, aliter Angli, Hifpani, Poloni, Germani, Bohemi, & benevalentes cibis, & ægri medicamentis, tractari volunt. Sed totum à rationibus peregrinis, vel experimentis aliorum pendere velle; & titulo & officio Medico indignum & indecorum eft: Nifi empyricos & circumforaneos ab omni crimine erroris & fraudis abfolvere velimus, eorumque temerarios aufus legitimare, noftro exemplo, fine propriæ fcilicet rationis cenfura aliorum experimenta noftro adhibentes ufui. Antiquorum Medicorum authoritas, doctrinæ, leges, præcepta, hiftoriæ, ratiocinationes, rationes, reverendæ funt & facræ; Nam fine illis impoffibile effet, aliquam fapientiæ affequi cognitionem; traditiones enim antiquorum funt neceffariæ manuductiones ad Sapientiam. Sed fi quis Medicus mutos tantum præceptores in praxi fua fequi amat, vel ea tantum imitari, quæ ab aliis didicit; Illi theoriæ cognitio eft magis noxia, quam utilis, quæ ipfi aliter agenti, utilis valde & decora fuiffet. Præconceptæ enim opiniones, pertinaciter eis adhærentes, libertate judicii fpoliant, & arcent veri à falfo, utilis ab inutili & neceffario fieri difcretionem. Quantoque diutius quis Medicus fub fcholafticis legibus captivatus hæferit, tantò & tardius & difficilius libertatem judicii proprii affequitur; fi non cuique arti, attamen Medico valde neceffariam; hic enim ad omnes cafus intentus effe debet; five & cum ægris corpore, & cum ægris animo converfari. Longius continua-

tinuata consuetudo in naturam abit; secundùm vulgare proverbium. Littera quamvis doctorem efficere posset ex discipulo; nequaquam tamen prudentem in praxi, sine judicii concursu ejusque liberrimi, rationibus tamen sufficientibus muniti. Medicina enim non est pura Ars, vel habitus acquisitus per externas doctrinas & sensibiles demonstrationes; Sed est habitus quoque mentalis, pro objecto habens insensibilia; unâ facie causas rerum sensibilium; alterâ affectus sensibiles eorumque signaturas examinare aptus. Pauca admodum simplicia sunt hodie in usu; Sed compositorum est major frequentia & apud Medicos, & apud pharmacopolas; minori quidem lucro ægrorum, sed maximo pharmacopolarum. Ne autem existimet aliquis satis fieri officio & titulo Medico; si satis fiat authoritati scholasticæ, vel canonibus præceptorum, vel ægrotorum persuasioni, vel opinioni & judicio vulgi; nam hæc singula, & veritas, magno ab invicem hiatu distant. Ars scholastica multa ignorat; de multis ambigit, vel probabiliter saltem disputat; ideò sæpe, imò in quotidianis etiam casibus, taceo extraordinarios, ad occultas qualitates monstrat profugium; cui quæso hucusque innotuit febrilis seminarii centrum, in quo quiescit aliquandiu, febricitantibus innoxium? Quis docuit præceptorum nostrorum nos nosse legitimam causam reciprocationis paroxysmorum, justis intervallis exorientium, durantium, quiescentium; an videlicet in nobis hæreat, an aliunde sive ab extra in nos derivetur. Profundissimis sunt hæc mysteria involuta silentiis; vel rationibus intricata adeo tenebricosis, ut citius quis veritatem in rebus reperire possit, si scholasticis se saltem non implicasset tricis. Et tamen non est Medicus, etiam nullius seminalis rationis cognitione præditus, qui non audeat Epilepsiarum & Febrium profiteri curam, alios morbos taceo; Nescius tamen eorum amborum originis. Quasi Medici intentio saltem, adeò efficax sit, ut imprimere possit medicamento, eam quam in mente suâ meditatur, si meditatur, Medicus e-

ner-

nergeiam; Nullus est qui hæc non nôrit; tamen nemo est qui cœcutire se fateatur, vel fortuitam esse artem suam: Ita quidem est quod animus Divinæ Naturæ consors, magnificus sit, & tantum non omnipotens; sive quod & miracula patrare possit: uti exempla Prophetarum, Christi & Apostolorum docent. Sed hodie paucos reperias inter artistas, qui animalem exæquent sapientiam, multò minus aliquos qui superent: & homines se esse demonstrent, si non in omnibus, attamen in velle suo, Divino exemplari conformes. Lupum tamen ovi, vel aquam igni reconciliare velle, Divina non docet sapientia: Sed duarum specierum semina miscere, vel in terra vetat, multò magis itaque in corpore nostro. Non est possibile ut medicamenta ex virtute in virtutem transformari possint; ligari tamen quædam, quædam ligata prius, per artem solvi possunt. Sunt tamen etiam entia quædam inter se valde cognata, ita ut unum facile alterius admittat impressiones; uti in hoc opere, aliquot induximus exempla, ejus rerum affinitatis. Sed medicamenta, vel entia quæ ad curationem morborum a nobis Medicis adhibentur, quodlibet peculiarem habet virtutem, radix aliam, folium aliam, medulla, cortex, flos, fructus, capsula, aliam. Sic aliam pilus, caro, sanguis, os, medulla, cerebrum, bilis, stercus, urina etiam unius animalis; Quæ virtutes se mutari quidem patiuntur ab arte quoad gradus, sed non quoad speciem; sive nihil est quod omninò agere debeat ad intentionem Medici, imò ne ægri quidem; quamvis hujus imaginatio multum possit in corporis proprii rempublicam. Omne quod intrat per os in stomachum, id in œconomiam spirituum nostrorum admittitur, non ob alium finem, nisi ut virtutem sibi innatam usibus adhibeat nostris, ministrando tamen ipsis; non autem rebellando, aut dominari affectando spiritibus hujus corporis architectis: Ideò quæ formalia extra nos sunt, materialia in nobis ut fiant necesse est; si in nobis quieta omnia custodire volumus. A compositis autem vel exoticis semper plus & gra-

& gravius periclitamur, quàm à simplicibus & domesticis. Theriaca officinarum, Andromachi appellata, ex pluribus quam quinquaginta simplicibus, iisque partim exoticis, partim domesticis constat; atque ideo ratiocinatione vulgi, multis admodum affectibus mitigandis, abolendis, arcendis, accommodata esse judicatur. Nec est aliquis qui inficiari possit simplicia Theriacam ingredientia, pluribus conducere, sed singula singulis; non verò in unum congesta corpus omnia. Sed merito quæritur, an Theriacæ compositio sit necessaria ad omnes effectus producendos, quibus conducere creditur? an verò tutius esset, singulis affectibus, singularia, eaque simplicia opponere? E.g. Ad icterum, epilepsiam, pestem, nephritidem, & plures alios morbosos affectus, præscribitur Theriaca; Sed si non nisi icterus sit, vel nephritis, vel epilepsia, quæ affligit ægrum, tamen integræ descriptionis vel compositionis corpus exhibetur ægro. Quid agunt igitur virtutes epilepticis affectibus destinatæ in Theriaca, si non nisi icterus est vel nephritis, quæ molestant ægrum? An epilepticæ cum ictericis operam jungunt, vel nephriticis? aut solæ ictericæ operantur aliis omnino otiosis? Sine dubio in diversis affectibus alias oportet esse tantantum otiosas, alias tantum activas; præsertim in illis, quorum seminaria toto cœlo discrepant, atque ita subordinari sibi nequeunt. Atq; ex hac sola tantum ratione patet multa Theriaci compositionem ingredi, quæ abfuisse profuissent, quia felicius operatæ fuissent virtutes activæ solæ, quam aliorum, etiam minimè subordinatorum, implicatæ nexu. Eodem modo & aliorum compositorum sunt examinandæ virtutes; vel compositionis judicanda utilitas aut vanitas. Medicamenti genus certè quo simplicius, eò est & utilius, & tutius, & felicius judicandum. Atque hoc unicum est, quod hoc in loco demonstrare volumus. Non necesse est igitur ut tyro Medicinæ se fatiget colligendis, corradendis, vel componendis Medicamentis; Sufficiet si simplicium plurium juste collectorum, & præparatorum, ad rem suam facientium suffici-

ficienti suppellectile sit munitus. Si quæ necessitas aliquando oboriatur compositionis; Ea non erit ex parte morbi, sed patientis tantum; Quod hic sæpe medicamenti odorem vel saporem fastidiat, vel abominetur; vel non nisi majorem ejus dosin. Si hæc defuerint in ægro, de aliis non est necesse ut simus solliciti. Si quis inquiat, affectos compositos, composita quoque exigere medicamenta. Quod multa sæpe simul patiantur dolorem membra, de eo nullum est dubium; Sed cujuslibet membri plaga non habet peculiarem semper causam; sed ab uno eoque quoad molem & pondus satis exiguo semine, plures surgunt affectus; ita ut ablato vel sopito uno saltem seminario, plura vel omnia prius dolorem patientia simul convalescant. Ideo qui seminalium rationum morbificarum conscius est; ille unico remedio plura membra à passione doloris liberabit, vel præservabit: quam illius ignarus; hunc enim necesse est vagari in opere; quia vagatur vel ambiguus est in animo, de morbi causa & sede. Diximus quoq; & demonstravimus pro posse nostro, in hujus operis sectionibus quibusdam; Omnia purgantia fermenta esse; Et virtutes earum in nobis esse rerum quiescentium irritativas; unitarum dissolutivas & dissipativas; Ideò post sumptum aliquod purgans, si non vomitus semper, sæpè tamen nausea, aut vomendi conatus infestare ægros solet; præsertim illos, qui copiosam admodum generant & excernunt bilem; Ideò Medicus talibus patientibus purgans exhibiturus, lene aliquod vomitivum præmittat, ut si quid hæreat in superficie bilis, ejus portio aliqua detrahatur, citius quàm ejus integra moles ad motum vi purgantis medicamenti irritetur. Secus & periculosa solet subsequi medicamenti purgantis operatio; vel violentior quàm virtus medicamenti eam exercere potuisset, bile deficiente; vel admodum molesta, variis rugitibus & torminibus ventris, patientem infestans. Non autem adeò difficile est reperire medicamentum, mitigando dolori idoneum; quàm morbi seminarium, & seminarii quietis locum, indagare. In cor-

tradendis medicamentis, vel medicamentorum formulis, longiori vulgi censurâ & usu approbatis, desudant omnes Medici, non tyrones solùm, sed & Veterani. Genuinas autem, sed abstrusiores morborum causas, scire posse, cupit nemo, studet nemo. Occultarum, malignarum, venenatarum qualitatum tituli, patrocinantur nostræ ignorantiæ & desidiæ; Quasi impossibile sit nobis hodie invenire, si quæsiverimus; quod ignorarũt antecessores nostri, quia non quæsiverũt. Mens humana revera est omnipotens; secùs non meretur nominari omnipotentis viva imago: nisi sit, vel fieri cupiat conformis exemplari suo: Temeritatis exprobrationem, vel Polipragmosines contumeliam non curat animus magnanimus; sed invidiæ & calumniç offendicula, sũt ej⁹ virtutis stimuli, & amoris vel æmulationis Divinorũ calcaria, imò Divinæ affinitatis argumenta certa. Quod paucissimi morbi, & vilissima dæmonia se arte scholasticâ pelli, & medicamentis vulgaribus abigi aut domari vix patiantur; Quod amentes & amantes, vel à pythonibus, certo dæmoniorũ genere obsessi, prophetarum nomine toties imposuerint, & quotidie imponant; (uti insignium trium personarum in unum fasciculum, à Theologo non vulgari, sub titulo Lucis in tenebris prophetiæ congestæ, exempla docent:) Ita ut eos tanquam cælitùs edoctos veneremur, admiremur, & aliis tali modo excipiendos recommendemus, vel recom̃endantibus obsequamur; Quod epileptici, vertiginosi, & lunatici, ad Theologos amandentur, precibus & psalmodiis sacris exercendi; qui potius Medicis & Chyrurgis crudelioribus recommendari deberent, ignibus & ferro tractandi; Id solum nostra causatur ignorantia; & in scrutinio mysteriorum sordida negligentia. Sæpè identidem serrâ, novaculâ, ignibus, vel causticis omnis generis, sævimus in membra ægrorum; Interiora membra & exteriora variis dilaniamus plagis, qui tamen mitius tractati, vel omninò à talibus medicis derelicti, citius convaluissent. Talia autem vitia, errores, imò flagitia Medicorum & Chyrurgorum non aliunde surgunt quam ex

profundissima ignorantia, cui talibus moliminibus parantur opercula. Non enim omnis Medicus qui satis facit regulis scholasticis, vel communi opinioni, satis facit officio suo ex requisito tituli; Id si nullâ aliâ ratione demonstrari potest, saltem solo ad occultas qualitates in omni medicâ ratiocinatione profugio, quamvis satis sit turpe, & in authoritate historica conquiescere velle. Medicus circa sensibilia versatur; clamant scholæ. Sed morborum seminaria, sedes, reciprocationes, aliæque eorum circumstantiæ, sunt omnino insensibilia, nullo sensu vel ratione animali inveniri possibilia, in centris suis quiescentia; quamvis revera sint, sicuti butyracea & caseosa materia in lacte est. Quomodo igitur Medicus aliquis, harum profunditatum omnino ignarus, sua tutò, & piâ fide tractare potest: qui nempe se tantum circa sensibilia versari velle, aut posse fatetur. Locus sæpè centralis quiescentis morbi, ægro melius cognitus est quam ipsi Medico, qui tamen ratiocinio animi sui id assequi nequit, ut morbus alibi hærens, alibi sentiatur magis, quàm illic ubi ejus quiescunt infixæ radices; Et quid si Medicus non sit ægro in hoc actu prudentior, tum & illius est vana in Medicum spes, & hujus in morbum diligentia. Est quidem ita, quod jam longiori consuetudine in mentibus hominum occalluerit, imo immediacilis omnino evaserit error ille, nempe, tantum circa sensibilia versari oportere Medicum; occultorum autem nullam omnino indigere cognitionem; multo minus scrutari profunditatem; nonque simplicibus uti, sed compsitis, censurâ omnium Medicorum approbatis, & palam prostantibus; Nec ego Æthiopem dealbare volo, vel sub ordinem redigere, quæ eo nunquam cogi volunt vel redigi possunt. Ideò nec consuetudinem improbo catholicam, nec authoritatem historicam, nec scholasticam veritatem, utilitatem, necessitatem. Sed saltem ignorantiam, vel judicii defectum reprehendo, reprobo, & exprobro in eis, qui aliorum famæ parcere nesciunt, ipsi eâ maximè indigi; quamvis garrulitatis temeri-

meritate apud plebem satis sint celebres. Nemini etiam hæc mea obtrudo nolenti in censuram, vel invito in custodiam; sed saltem censuræ expono publicæ, si aliquis alicubi lateat mysteriorum cognitionis avidus, vel arte excellentior; ut unà operà & hæc approbet vel reprobet, meliorum & certiorum Doctor. Ab invidis tamen, ignaris, vel aliorum opinionibus captivatis; ad synceros, ad doctos, ad spirituales, & ad liberos, provoco mystas. Sit ita quod strepam inter olores anser; uti me judicabunt, sicuti jam judicarunt non nulli; Sed ego strepam eousque, quousque illi veriora & pulcriora modulati fuerint. Interea hæc mea filiolo meo Johanni Theodoro, quem unicum habeo, & ut me ipsum diligo, recommendabo, si fortassis à Domino ad medicinam practicandam vocatus fuerit; ut habeat quibus occupetur, donec meliora & veriora ab aliis audiverit, vel ipsi largitus fuerit spiritualium donorum Dispensator. Non mihi sed veritati semper & tantum quæsivi, quæramque discipulos; aliter me & mea judicantibus, respondebit vindex Justitia. Nemo hominum est extra metum vel periculum erroris; quamvis studiosissimè omnes aversetur, & effugere studeat aliquis; Homines enim sumus omnes: Attamen alii nostrum aliis mysteriorum & Divinorum, & Naturalium, vel indagandorum, vel apprehendendorum capaciores. Quod si verò periclitantur illi qui omnia pericula cavent; multò pluribus & gravioribus periculis vel erroribus obnoxii necesse est ut fiant, vel maneant illi, qui cœco impetu cœcos æmulantur duces, sive ægri Medicos; sive discipuli doctores. Quod si quis autem de certitudinis causarum morbificarum cognitione animo fluctuans, ad curationem symptomatum ab alio sollicitetur, inque tales casus, non alios, vel occultiores, promptitudinem profiteatur; qualis est omnium circumforaneorum, herniotomorum, lithotomorum, dentifragorum professio. Multos quidem is ubique terrarum reperiet artis suæ manuductores, empyricos, & empiricarum curarum relatores vel imitatores, &

in Medica & Chyrurgica praxi. Sed eos Medico Rationali imitari est valde periculosum. Nam curationes tali modo fientes sunt fortuitæ; Raro reperies aliquem talium Medicorum, qui sua aliter quam exemplis vel historiis defendere possit. Attamen unum aliquem vel ad summum duos, pro auxiliari praxeos, sibi adjungere, non ita est noxium quàm utile; ut scilicet cavere discamus ea, quæ ipsos temerario ausu patrasse, conscientiæ testimonio convincimur. Nos Medici revera & turpiter & graviter impingimus, à communi tantum & inveterata consuetudine dependentes; & tamen nullis offendiculis simus vel fieri volumus prudentiores, ut vel cautius vel syncerius in arte nostra procedamus, affectum vel favorem vulgi vilipendentes; An non error ille satis manifestus est, & sensuum & rationis testimoniis condemnabilis; nempe sentire & docere, sanguinem per trachæam vel æsophagum erumpere oportere, ex vena in concavo pectoris fissa vel ruptâ. Nullus enim manifestus est meatus per quem sanguis ex uno vase effluens, in aliquod prædictorum influere possit. Nec tamen volumus errorem agnoscere illius opinionis, nec mutare methodum ratiocinationis nostræ. Rupto intestino aliquo ventris medii, excrementa inde egressa in concavum ventris prolabuntur, non exeunt per monoculum; Ex eo enim indicio judicamus per lapsum ab alto, continuitatem vasorum urinalium, vel vesicæ, vel intestinorum fissam esse, quia excrementa per consuetas vias non fluunt. Sed ex sanguine largius per os erumpente judicamus, venam aliquam pectoris, eamque interiorem ruptam esse; perverso judicio; quasi per superiora fieri oporteat, quod per inferiora fieri impossibile judicamus. Magis nos movet authoritas assensus vel capacitatis vulgi, quàm veritatis amor, plus apud nos valent numeri suffragantium, quam pondera & certitudines suffragiorum. Proposueram quidem ego mihi, huic opusculo inserere certa quædam transplantationum morborum, & experimentorum singularium, huic vel illi dolori mitigando

accom-

accommodatorum exempla; verùm quia exstant tot Dispensatoria Pharmaceutica, tot receptarum formulæ, tot magisteria specifica uterinis, nephriticis, febrilibus, podagricis affectibus dicata, imo tot Panacææ; ut plures, vel ad vulgi opinionem accommodatiores, vix fingi possint; unde tanta ubique Medicantium ubertas, nobilissimæ Arti Medicæ infamis & pestilens, ita ut hodie Pharmacopæi Medicorum affectent fieri censores; Ideo nolui, quos maxime abominor, abusus artis Medicæ, locupletare; Sed scripta mea omnia sic tempero, ut & abusum eorum præcaveam ab irrationalibus; & recommendem usum prudentioribus. Communi Medicorum vel Medicinæ Doctorum medicinam docendi & practicandi modo, nobilissima & sacratissima morbos curandi & dæmonia expellendi scientia, olim in arcanis Principum & Magnatum mundi hujus recōdi consueta, ad prophanas & sacrilegas circumforaneorum, muliercularū vilissimarum & sordidissimorum opilionum manus devoluta est; reliquam mundi fæcem taceo; Nec video modum quo possit à prophanationis turpitudine liberari, & pristino splendori restitui, nisi sacris silentiis, & mysticis involucris arceâtur ab ea vilia ingenia: atq; sic sancto silentio redimatur, quod turpi garrulitate, fastu & avaritiâ multorum, publici juris factum est. Non quod invideam ignaris Sapientiam; Optarem enim, ut multos haberem in affectanda Sapientia æmulos; Beatitudo enim hæc esset maxima, omnia scire velle, ignorare nolle; Sed quantū distamus nos ab ea, vel illa à nobis beatitudo. Nos & voluptatum & dolorū in nobis gerimus, fovemus & alimus seminaria; quæ nos quidem ab invicem nominibus distinguere, & diversis temporibus sensu quoq; discernere discimus; sed non citius in nobis unum aliquando fuisse agnoscere volumus, donec sic invalescant in nobis dolores, sicuti olim lasciviebant voluptates; unius tamen seminis fructus ambo. Rarus hodie inter nostros senes, Caleb, quia rarus inter juniores Joseph. Sicuti voluptates alicubi invalescunt, ita post dolores successuros minantur. Pauci quidem sunt qui id futurum credant, attamen multi qui metuunt, sed metu ipsis magis noxio quàm utili, putant enim se certi alicujus medicamenti usu futurorum malorum evasuros incommoditatem; sed errant & hi judicio, & illi, qui eos in eam cogunt opinionem; nam eos quos metuunt attrahunt vel accelerant dolores iis Medicis, quorum operâ se eos effugituros sperabant; si vitam quam vivunt continuare perrexerint; Nullum enim medicamentum adeo efficax est, ut mille errores unicâ aboleat operâ; Multi jam apparentibus salis eos sensim falsificantis indiciis, ciborum quotidianorum condimentum, talem, ideo

ideo fastidiunt, quod sibi noxium futurum arbitrantur; Sed & illi errant; nam sal ille quem hodie deglutimus manifeste talem, salinis humoribus corpus gravantibus, dolorum seminariis, nihil addit ponderis; sed aliquid detrahit, id unà cum excrementis cibi ordinariis foras protrudens. Ille autem Sal, qui in juventute nostra mille voluptatum fuit parens, in senectute naturam mutat, & dolorum fit principium: Seróque à nobis contra hujus molimina parantur remedia, ex extrinsecis Apothecis; Imò parum proderit ad dolorum progressum inhibendum, etiamsi mutemus animos & medicè vivere proponamus, quia serò; fortassis si id anticipassemus aliquid profuisset. Verum quia voluptates duces sunt cæci, sed admodum astuti, volentes enim suaviter ducunt, nolentes obsequi vi cogunt; ideo paucissimi sunt nostrum qui eorum vel sciant, vel velint, vel possint declinare illecebras & laqueos. Nisi Deus opt. max superne nobis largiatur intelligentiam, interque nos & ipsas constituat inimicitiæ seminaria. Et tamen nec sic tuti omnino manere possumus ab ipsorum insidiis, vel citius absolvi ab omni eorum tentationis periculo, quàm corpus hoc animale reddiderimus illi, qui id mutuavit nobis; sive terræ; Atque nos reversi fuerimus in patriam, patribus nostris aggregati, beatitudinis eorum facti consortes, Quo nos ducat, & adducat qui se id facturum promisit, Amen.

Quæcunque desideraveris in opusculo hoc, Amice Lector, ea tibi pleno cornu suppeditabit Philosophia Sacra; & Mysterium Sabbatismi; In quorum auctione quotidie laboramus, Deo & veritati in honorem; utinam tantum synceris & piis animis in messem: Nulli autem in offendiculum.

FINIS.





VIRO
NOBILI ET EXCELLENTISSIMO DOMINO
JOHANNI SOPHRONIO KOZAK,
Philoſopho acutiſſimo, Medico experientiſſimo, Fautori & Amico plurimum colendo.




Agna ſcriptorum ſeges, & libido
Magna ſcribendi penes hunc & illum;
Plena librorum quoque ſunt ubivis
Scrinia magna.
Magna pars autem ſpurium parentem
Noſcit, agnoſcens alios labores;
Ornat & multos aliena pluma
Vulſa, revulſa.
Præditi verò genio ſagaci,
Arte quærentes proprioque Marte
Nominis famam, reliquis ſubinde
anteferuntur.
Inter hos nulli ſtudio ſecundus,
Magnus & magnâ meritò beandus

Laude, KOZAKUS, salis arrha, summus
Mysteriarcha,
Ipsius libri sapiunt sophorum
Sal: legas tantum salis ista scripta,
Senties mox, quod sale condiantur
Omnia dicta.
Salsa servantur, sale cuncta durant:
Præmium KOZAK igitur laborum
Hoc sit, ut reddat Tibi Sal perenne
Nomen in orbe.

Honoris & amicitiæ ergò canebat
Ulmæ Suevorum

JOHANNES CASPAR BEUTTELIUS,
Ambergâ-Palatinus, Med. D.



INDEX Rerum memorabilium.

ADam *ex qua terra creatus, p.* 8.
de Adjurationibus, 517.
Ægris *an bibere conducat, & quid?* 441.
de Aere, 468.
Affectus *hominis sunt fructus seminum salinorum,* 19.
Affectuum *varietatis causa,* 117.
Amor *quid,* 149.
de Amuletis, 107. *ubi applicanda,* 111.
Anatomia *corporis humani quãtum conducat ad praxin medicam,* 489.
Antiqui *hauserunt sua vel à Deo vel à dæmonibus,* 2. 128. *non sciverunt omnia,* 2.
de Armario *unguento,* 510.
Arteriæ *exsangues qua,* 221.
Asmodæus *qualium morborum author,* 165.
Astra *an influant?* 145. 147. *non sunt causa dierum criticorum & annorum climactericorum,* 340.
Attractiva *vis in amuletis quid?* 108.
Aves *cur non mingant,* 99.
de Auro *potabili,* 503.
Authoris *intentio,* 3. 377.
de Balneis, 453.
Bilis *alisq; humores unde proveniant,* 307.
Cadaveris *violentâ morte perempti præsente homicida cruentatio, unde?* 223.
Calculi *in homine quam materiam & causam efficientem habeãt,* 239. 241. 254. *in variis corporis partibus generantur,* 242. *in infantibus cur generẽtur?* 243. 262. *cura,* 268.
Cardialgiâ *quidam inveteratâ laborans absq; medicamento purgante curatur,* 402.
Causæ *morborum vera qua?* 4.
de Cerevisia, 445.
Cittosæ *passiones,* 65.
Colicæ *lethalis exempla,* 261.
Coma, 230.
de Condimentis *ciborum,* 457.
Contagio *cur non omnes inficiantur?* 337.
de Corallorum *tinctura,* 227.
Creaturarum *omnium matrices catholicæ tres sunt,* 333.
Criticorum *dierum causa,* 340. 349.
Cruentæ *mictionis causa,* 206. 220.
Dæmoniorum *ordines,* 170. *ad dæmonia ejiciendum qui homines idonei?* 185.
de Dentitione, 200.
ad Dentium *dolores remedium,* 513.
Diæteticæ *quadam regula,* 83. *& seqq.* 429. 437. *& seqq.*
Diaphoreticorum *usus,* 112. 407. 410.
Diarrhæa, 419.
Digestio *à putrefactione differt,* 75.

 Diure-

Diureticorum *usus*, 407. 410.
Dogmatica *Medicina*, 502.
Dysenteria, 420.
Elixir *proprietatis Parac.* 527.
Epilepsia, 162. *ejus causa*, 162. 245. 262. *seminarii epileptici locus quietis*, 326. 331. *cura*, 399.
Excrementa *sanguinis*, 202.
Excrementorum *expulsio quomodo fiat*, 91.
Excreta *prater naturam*, 78.
de Exorcismis, 517.
Fœminæ *quando purganda*, 399. 410.
Fames *unde oriatur*, 435.
de Febribus, 271. *causa interna*, 274. 281. 282. 295. *externa*, 301. *locus affectus*, 277. 287. 298. *cura*, 399.
Febrium *pestilentialium causa*, 309.
Febrilium *symptomatum causa*, 304.
Febris *an morbus sulphureus*, 272.
Febricitans *Baro haustu vini curatur*, 443.
Fidei *& superstitionis differentia*, 466.
de Fœtu *in utero contento judicium fallax*, 63.
Fœtus *cur non aque ex sanguine ac ex spermate generetur?* 67.
Furor *ex spermatis resolutione*, 57.
Gonorrhæa, 423.
Hepar *an sit officina sanguinis?* 225.
Hepatici *fluxus causa*, 209.
Herniarum *cura*, 513.
Homo quid, 152. *est microcosmus*, 38. 144. 263. *ejus status ante & post lapsum*, 157.
Hominum *mortuorum ordines*, 174.
in homine *habitant omnes spiritus mundi*, 18. 39. 69. 123. 142.
in homine *signaturarum externarum diversitas unde*, 19. 234.
Humana *sapientia quid?* 172.
Humores *in homine unde oriantur*, 217.
Hydrops *quid*, 71. *ejus species*, 249. 254. *cura*, 257. 259.
Hydropicorum *aqua ubi generetur*, 255.
de Jejunio *agrorum*, 462.
Jejunè *bibere an noceat?* 432.
Ignis *centralis quid*, 4.
Impotentiæ *incedendi in infantibus & agris causa*, 300.
de Incantationibus, 517.
in Infantibus *cur calculi generentur*, 243. 262.
Infantium *morbi varii*, 29. 201.
Infantes *quomodo & quando purgandi*, 412.
de Insomniis, 140.
Invasio *quid*, 158.
de Ira, 149. 471.
Judicium *de fœtu in utero contento fallax*, 63.
Juvenes *laxius sunt regendi*, 58.
Juvenis *novennis impregnavit puellam octennem*, 353.
de Laconicis, 453.
de Lamiis, 135.
de Lamiarum *proba per aquam quid sentiendum*, 139.
Lienteria, 419.
Loc⁹ quietis *seminarii epileptici*, 326. 331. *febrilis*, 331. *podagrici*, 326.

Cura

Circa Lunæ *mutationes morbi salini agros gravius affligunt*, 54.
Lunæ motus *non est causa inferiorum sed index*, 54. 401.
Lux *gemina est*, 173.
Matrices *creaturarum omnium catholica tres sunt*, 333.
Medicamentum *quid sit*, 483.
de Medicamentorum *facultatibus*, 478. & *seqq*. 507. *ex scena vegetabili*, 491. 503. *animali*, 594. *minerali*, 504. *de eorũ vehiculis*, 526. *simplicia compositis sunt utiliora*, 537.
Medicus *morbos futures præscire potest*, 344. 359. *quomodo procedere debeat in curatione morborum*, 380. & *seqq*. *item*, 524. *septenarii rationẽ habere debet*, 319. 339.
de Menstruorum *fluxu in fœminis*, 349. *quomodo* per os ejiciantur, 222. *alba & pallida*, 423. *an maligna*, 355.
Mesaraicarum *venarum officium*, 26. 67. 218. 228.
Metallica *corpora sunt homine vivaciora*, 12.
de Metu, 466.
Morbi *infantium*, 29. 201. *ex sanguine ad superiora impetum faciente*, 203. *descendente*, 205. *arterioso*, 213. *venoso*, *ibid*. *cur quidam incurabiles?* 267. 520.
Morborum *causa qua vera*, 4. *definitio*, 264. *unde in homines deriventur?* 168. 264. 322. *endemii & epidemii*, 42. *quomodo differant?* 44. *salini circa lunæ mutationes gravius affligunt agros*, 54. *salinis pinguia nocent*, 105.
Morborum *resolutiones in septenariis menstruis & annalibus cur periculosa?* 347.
Morborum *seminaria*, 114. 315. 336. *ubi lateant in homine*, 191. 327. 455. *motus & quies*, 317. *loca*, 323. 326. 332. *tempora*, 338. 347. *transplantatio*, 187. 428. 510. & *seqq*. *quotuplex*, 189. *modus*, 426.
Morbos *omnes curandi quis modus optimus?* 186.
ad Morbos *curandos qui homines idonei*, 185. 191.
Mortis *definitio*, 177.
Mortificantiũ *spirituum ordines*, 173.
de Mortuorum *spectrica apparitione*, 142.
Mortuorũ *hominum ordines*, 174.
Muli *cur steriles?* 146.
Mundi *interitus qualis futurus*, 181.
Nutritio *corporis quomodo fiat*, 88. 203. 217.
Obsessio *quid?* 159. *ejus remedia*, 160. 184.
de Obsessis *à dæmoniis*, 154. *cur lascivi*, 159. *cur hodie non tam facile à dæmoniis liberentur ut olim*, 185. *inter obsessos qui numerãdi*, 161.
Obstructio *an putrefactionis causa*, 275.
Odontalgiæ *remedium*, 513.
de Opsoniis, 459.
Parenchymata *viscerum internorum an vel superne vel inferne excerni possint?* 209.
de Pedum *lotione*. 454.
Pestis *quid sit?* 309. *causa*, *ibid*. & 313. 467. *Cura*, 313.

de Phlebotomia, 414.
Phthysicis *omnis purgatio noxia*, 269
Phrenitis *ex resolutione spermatis*, 57
Picæ *morbi causa*, 65.
Podagra, 261. *causa*, 262. *locus quietis*, 326. *Cura*, 398. 513.
Principiorum *basis est sal*, 6.
Prognosis *morborũ unde petẽda*, 360.
Prophetæ, 130. *eorum differentia*, 131. *de modernis quibusdam quid sentiendum*, 132. 169.
Prophetici *raptus*, 138.
Prophylacticum *quodnã optimum?* (335. 369.
Pterygia *ulcera*, 251.
Puella *octennis peperit à novenni puero impragnata*, 353.
de Purgatione, 386. 528.
Purgantia *medicamenta quæ vi & modo humores evacuent?* 387. 391. *quo tempore exhibenda*, 396. 401. *cur sanguinem non evacuent?* 394. *quando fœmina purganda?* 399. 410.
Putrefactio *à digestione differt*, 75.
Putrefactionis *causa an obstructio*, (275.
Pythonisse, 135.
Raptus *quid?* 158.
Remedium *ad omnia sanguinis profluvia*, 259.
Repercussiva *vis in amuletis quid sit*, 108.
Sal *est omnium maximum*, 6. *est omnium mutationum causa*, 55. *est principiorum basis*, 6.
Salis *definitio*, 4. 24. *differentia*, 13. 26. 144. 234. 248. 421. *resolutiones variæ*, 35. 247. *proprietas in homine*, 211.
Salini *morbi circa Lunæ mutationes ægros gravius affligunt*, 54.
In Salinis *morbis pinguia nocent*, 105.
Sanguificatio, 89. *an in hepate fiat*, 225. 256.
Sanguis *ex quibus constat*, 196. *ejus differentia*, 198. *excrementa?* 202. *eruptiones variæ unde*, 203. *à lapsu ab alto*, 213. *Cura*, 420. *excretio per alvum*, 218. *mictio*, 206. 219. *motus*, 215. 216. 416. *vomitus*, 211. *an in venis putrescat*, 415.
Sanguinis *esus cur Iudæis à Deo fuerit prohibitus*, 176. 197.
Sanguinis *ex cadavere violentà morte perempti homicida præsente eruptionis causa*, 223.
ad omnia Sanguinis *profluvia remedium*, 259.
Sapientia *Divina quid?* 5. *humana quid?* 172.
Sapientum *paucitatis causa*, 3.
de Scarificatione, 417.
de Schedulis *de collo suspensis & characteribus variis pictis*, 515.
Scriptura Sacra *pleraq; Medicis scitu necessaria docet*, 365.
Scotoma *quid?* 159.
Sectarum *inter Christianos differentia unde*, 134.
Seminũ *transplãtatio duplex est*, 147.
Seminaria *morborum*, 114. 315. 336 *ubi hæreant in homine*, 191. 327. 455. *de eorum motu & quiete*, 317. *locis*, 323. 326. 332. *temporibus*, 338. 347. *locus quietis seminarii epileptici*, 326. 331. *febrilis*, 331. *podagrici*, 336.

Sexus

Septenarii *cur rationem habere debeant medici?* 319. 339.
Sex⁹ *differentia in spermate nulla*, 55.
Signaturarum *externarum in homine diversitas unde?* 19. 234.
Sitis *unde oriatur*, 435.
de Somno, 448. *meridianus cur noxius*, 451.
de Spectrica *mortuorum apparitione*, 142.
Sperma *quid*, 55. 61. *sexus utriusque est aquilibrale*, 56. *est sterile ante actum mistionis, ibid. quomodo differat à subjecto generationis sua* 62. *sexus differentia in spermate nulla*, 55. *ex ejus resolutione varii morbi*, 56.
Spiritus *quid?* 121. *eorum proprietates*, 119 122. *differentia*, 183. 239. *hominis cum spiritibus mundi collatio*, 180. *hominis variis mutationibus sunt obnoxii*, 116. *omnes spiritus mundi habitant in homine*, 18. 39. 69. 233.
Spirituũ *morbificantiũ ordines*, 173.
de Stypticis *medicamentis*, 419. *in sanguinis eruptionibus non semper tuta sunt*, 76. 204.
Styges, 135.
Superstitionis *& fidei differẽtia*, 466.
ex qua Terra *Adam creatus*, 8.
de Theriaca *Andromachi*, 537.
de Thermis, 453.
de Tinctura *Corallorum*, 527.
Transplantatio *morborum quid?* 188: 425. 510. *& seqq. quotuplex*, 189. *modus*, 426
Transplantatio *seminum duplex est*, (147.
de Tristitia, 465.
de vehiculis *medicamentorum*, 526.
Venæ *exsangues qua*, 217. 219. *mesaraicarum officium*, 26. 67. 218. 228.
Venæsectio, 228. 414.
de Venere, 473.
Vermes *illic non generantur unde exeunt*, 74. *qui loci eorum generationi commodi*, 74. 76. *quid propellat*, 74. 77.
Videntes *qui dicuntur*, 130.
de Vigiliis, 448.
Vis *attractiva & repercussiva in amuletis quid sit*, 108.
Vita *gemina est*, 173. *calibis pericula*, 58
de Unguento *armario*, 510.
Vomitus *sanguinis & aliorum humorum*, 208. 211.
Urina *quid sit*, 99. 233. *ejus causa, differentia & judicia*, 102. 104. *cruenta*, 206. 210. 220. *nigra*, 234. *purulenta*, 220. *incontinentia*, 237. *suppressio*, 220. *ej⁹ causa*, 235. *exinde qua oriantur symptomata*, 236. 237.
Urinæ *hydropicorum & podagricorum quales*, 269.

Sphalmata Typographica, quæ per Authoris absentiam irrepserunt, quia propter temporis angustiam conquiri & consignari non potuerunt, Lectori benevolo tollenda relinquuntur.

FINIS.